Zanoni died in 1682. His work (Rar. Stirp. Hist.) was published in 1742 and is an update of Zanoni's Istoria Botanica of 1675 by (illegible).

example: Linnaeus cited Assiter (Bauhinia variegata)
Sum p. 26, t. 15 [1675]
In his work Historia p. 32, t 20.

3 species

'82
Mar
#1170

Dominicus M. Fratta del. Joseph de Benedictis in.

Dominicus Maria Fratta in. et del.

Joseph de Benedictis Bononiæ inc.



JACOBI ZANONII

RARIORUM STIRPIUM

HISTORIA

EX PARTE OLIM EDITA.

Nunc centum plus tabulis

EX COMMENTARIIS AUCTORIS

AB EJUSDEM NEPOTIBUS

AMPLIATA

Opus universum digessit, latine reddidit, supplevitque

CAJETANUS MONTIUS

Phil. & Med. Doct. Colleg. Lect. Publ.

BONONIÆ

Ex Typographia Lælii a Vulpe. MDCCXXXXII.
SUPERIORUM PERMISSU.

5181
22 L

5179

BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

JOANNES ANDREAS, BERNARDINUS, ET JACOBUS ZANONII

PERPETUAM FELICITATEM.



Tſi pertenue munus hoc eſſe agnoſcimus, BEATISSIME PATER, quod Sanctiſſimæ Tuæ Majeſtati ſupplices offerimus, ea tamen eſt, atque ita celebrata inter omnes Clementiæ Tuæ fama, & opinio, ut omnino dubitare nobis non liceat,

quin hoc qualecumque eſt, quo majus certe a nobis proficiſci non poteſt, venerationis noſtræ argumentum, libenti, benignoque animo ſis accepturus. Nos quidem inficiari non poſſumus initio veritos eſſe, ne hoc minime deceret, minimeque fas eſſet SANCTITATEM TUAM graviſſimum totius Eccleſiæ gubernandæ munus ſuſtinentem, leviuſculis rebus quodammodo interpellare. Sed & illa nobis occurrebat ſingularis, atque incredibilis excelſi Animi Tui magnitudo, quæ, tametſi plurimis, & maximis in rebus occupata, humiliora tamen, quæ aliquam induſtriæ, ac diligentiæ ſpeciem haberent, nunquam contempſit: deinceps veniebat in mentem ſpectata, & clara erga tuos Cives benevolentia, cujus & in omni vita, & præſertim ex eo tempore, quo Sacris Patriæ Tuæ Antiſtes præeſſe cæpiſti, egregia, ac præclara documenta reliquiſſes: amor denique, ac ſtudium, quo ingenuas diſciplinas a prima uſque adoleſcentia proſecutus es, in certiſſimam ſpem nos adduxit, fore ut literatum hoc Avi noſtri, Tuique Civis monumentum, a diuturna oblivione vindicatum, Sanctiſſimo Tuo Nomini inſcribi, ac nuncupari benigne,

indul-

indulgenterque concederes. Ac ſi vere de Te exiſtimare volumus, BEATISSIME PATER, illud fateri cogimur, ſingulari providentia, ac Divino beneficio eſſe factum, ut ad Sacerdotii auguſtiſſimi Sedem, ac celſiſſimam, quæ eſt in terris dignitatem, unus ex omnibus deligerere, qui non modo admirabili ſapientia univerſam Eccleſiam difficillimis temporibus regere poſſes, ſed qui etiam optimarum artium ſplendorem, ac dignitatem, altiſſimo Tuo Patrocinio, literarum ipſe amantiſſimus, defenderes, & conſervares. Etenim, ſi ex antiquis pariter, ac recentibus Hiſtoriarum monumentis colligimus, ex omni memoria optimos, ac liberaliſſimos extitiſſe Principes, qui cum literis ipſi dediti non eſſent, literatorum tamen hominum patronos, ſe defenſores, ac vindices profeſſi ſunt; quanto hoc magis de Te expectare poſſumus, BEATISSIME PONTIFEX, qui, cum a primo ineuntis ætatis tempore ad doctrinæ ſtudia tenerum animum appuliſſes, tanto deinceps ardore animi per omnem vitam in iiſdem verſatus es, ut a perpetui laboris, vigiliarumque curſu, quem initio tenueras, non maturus Te poſtea laudis, & gloriæ fructus,

non

non requietis deſiderium, non ea qua optimus quiſque angi ſolet valetudinis cura deflectere potuerit, aut retardare. Habueras Tu quidem a natura omnia: ſummum ingenii acumen, memoriæ vim incredibilem, ſyncerum, ac prudens in delectu rei cujuſque judicium, ac reliqua præſidia, ſine quibus, optima etiam cum voluntate, excellere inter doctos nemo poteſt. Tua vero præcipua, longeque præſtantior laus eſt, SANCTISSIME PONTIFEX, quod, etſi poteras avitis, paterniſque opibus contentus vivere, eoque ſplendore, quem Tibi Majores Tui bellica, civilique prudentia a multis jam ſeculis in Patria Tua florentes reliquiſſent, molli tamen, otioſaque vita deſpecta, omnem ingenii vim, omnemque animi contentionem ad ſubtiliores, reconditioreſque diſciplinas contuliſti. Romam profectus es, Divino jam Numine viam Tibi ad Solium, futuramque magnitudinem præparante, ibique Te Innocentio XII Optimo, ac Sapientiſſimo Pontifici, non tam generis nobilitate, quanquam hæc in Te ſumma erat, quam eximiæ doctrinæ, ac politiſſimæ eloquentiæ laude commendaſti: cumque Te ad Rerum Divinarum, Legumque ſtudia cœleſti magis inſtinctu,

quam

quam humano conſilio applicaviſſes, admirabiles progreſſus, quos celerrime feciſti, quantus poſtea futurus eſſes brevi tempore oſtenderunt. Aſcendiſti per omnes gradus ad præſtantiſſimas dignitates, honoreſque ampliſſimos, quibus omnibus ita perfunctus es, ut ſingularis quidem prudentiæ, religionis, atque integritatis famam colligeres, literarum vero ſtudia in tam multis, tantiſque occupationibus nunquam relinqueres. Declarant hoc inprimis egregia illa volumina, quæ de Sanctorum honoribus, cultuque poſt mortem, cum Eccleſiam Bononienſem vigilantiſſime gubernares, tam multa, tam copioſa, tamque accurate conſcripta edidiſti; quorum nulla pagina eſt, in qua non ſingularis perſpicuitas, non planiſſimus, atque accomodatiſſimus ad demonſtrandum ordo, non ſumma cognitio antiquitatis, non Theologiæ, Juriſprudentiæ, Philoſophiæ, ceterarumque artium, ac facultatum exquiſita, ac perfecta eluceat ſcientia. Quin etiam poſteaquam ſummam in Terris poteſtatem conſecutus es, primis ipſis fauſtiſſimi Tui Pontificatus diebus, audita eſt illa Tua plena ſapientiæ, & gravitatis vox, qua ſacros honores, ac præ-

mia nemini Te conceſſurum, niſi commendatione doctrinæ, ac virtutis, denunciaſti; eandemque ceteris viam propoſuiſti, quam Tuo exemplo commonſtraſſes, quæque Te ipſum ad Purpuram, & Infulas, atque ad ſummum dignitatis faſtigium perduxiſſet. Hæc omnia cogitantibus nobis, BEATISSIME PONTIFEX, minime alienum a reverentia Tuæ Majeſtatis viſum eſt hoc Tibi Opus nuncupare; Optimo videlicet Patri & Clementiſſimo, omniumque ingenuarum artium amantiſſimo Principi: & quamvis fortaſſe herbarum contemplatio levior videri poſſit, tamen & Salomonem accepimus, & Cyrum, & multos præterea potentiſſimos Reges, hoc ipſo ſtudiorum genere, relaxandi animi cauſſa, non mediocriter eſſe delectatos. Nos interim Deum Optimum maximum ſupplici-ter oramus, ut vota totius Eccleſiæ, inprimis autem hujus Civitatis Patriæ Tuæ, diuturnam Tibi vitam, proſperam valetudinem, ac perpetuam felicitatem precantis benignus exaudiat; Sanctiſſimoſque Tuos Pedes venerabundi exoſculamur.

JACO-

JACOBI ZANONII
VITA

A CAJETANO MONTIO

SCRIPTA.

JAcobus Zanonius peregrina ſtirpe generatus, Civitatem noſtram, quod multis pariter claris, doctiſque Viris contigit, non originis, aut naturæ, ſed juris habuit Patriam. Montecchii natus eſt, antiquo, & celebri Longobardiæ citra Padum oppido, in quo Majores, Agnatique diu habitaverant, ſive illius loci veteres indigenæ, ſive, ut eſt veriſimile, Regio Lepidi, vicina ex urbe quondam profecti. Quippe etiam Regii Lepidi honeſtiſſima fuit olim Zanoniorum domus, quæ inter ceteros Bernardinum Zanonium protulit, Societatis Jeſu Sacerdotem (*a*) pietatis ſtudio, ac poeticæ facultatis laude celebratum: atque hinc propagati eſſe, qui Montecchium poſtea incoluerunt Zanonii, a multis exiſtimantur. Montecchium autem Regienſi in agro (*b*) oppidum eſt florentiſſimum, ſplendoris plenum, ac dignitatis, quod paulo ſupra æmiliam viam, inter Cruſtulum amnem, Parmenſiſque ditiones fines, vetuſta poſſeſſione, Eſtenſes Principes tenuere. Ac de Montecchienſi quidem Zanoniorum ſtirpe, uſque ad initium præteriti ſæculi, nihil admodùm certi proferre poſſumus; quo tempore videlicet Jacobi parens, unus, quantum nobis conſtat, ex hac familia ſuperſtes fuit, honeſtus homo, ac liberalis Peregrinus Zanonius. Is quum in patria habitaret, pharmaceuticam artem ſumma æquitate, ac diligentia inter ſuos municipes faciens, haberetque Juniperam Carronciam, ex diviti, ac ſplendida illius loci familia, conjugem, decimo quinto ejuſdem ſæculi anno filium ſuſcepit, qui poſtridie nonas Januarias, in æde S. Domnini, quæ Montecchii eſt, ſacro ablu- 1615

(*a*) *Bernardinus Zanonius natus eſt Regii Lepidi anno* 1533, *obiit Genuæ* 1620. *V. Franciſcum Xaverium Quadrium in libro cujus titulus eſt* Storia e ragione di ogni Poeſia. *T.* 2. *pag.* 471.

(*b*) *Diſtinguendum hoc eſt ab alio ejuſdem nominis oppido in Piceno, ſeu Marchia Anconitana.*

tus Baptiſmate, Jacobus eſt nominatus. Peregrinus Zanonius
1618 poſt breve tempus morte immatura extinctus, filio, quem puerum admodum, vixque tertium annum agentem relinquebat, Ludovicum Carroncium affinem ſuum tutorem aſcripſit: is erat Juniperæ frater, ſpectatæ inter ſuos fidei, atque integritatis, Balthaſſaris Carroncii, nunc Tribuni militum, proavus.

Adoleſcens Avunculi ſtudio liberaliter inſtitutus, latiniſque informatus literis ad paternam artem adjecit animum: cumque ingenio non parum docili eſſet, ac memoria inprimis valeret, cognitionem herbarum, quarum in ea facultate uſus frequens eſt, facile aſſecutus, ad reliquarum deinde ſtudium ſenſim deductus eſt; itaque omne tempus, quod erat ipſi a gravioribus curis vacuum, partim in perluſtrandis montibus, & conquirendis ſtirpibus, partim in libris perlegendis collocabat; atque hæc omnia tanta alacritate faciebat, ut appareret naturalem in eo eſſe, ac penitus inſitam, ſeu potius divinitus datam ad hæc ſtudia propenſionem. Annos natus, ut opinor, viginti Bononiam commigravit, non tam ut in arte pharmaceutica uberiorem quæreret fructum, quam ut in hac urbe, quæ optimarum artium altrix, & parens ſemper exiſtimata eſt, aptiorem ſtudiis indulgendi ſuis opportunitatem haberet. Statim igitur ut venit, in clari, & magni viri Bartholomæi Ambroſini diſciplinam ſe tradidit, qui herbarum ſcientiam ea tempeſtate publice apud nos profitebatur, ac non minus in ea, quam in univerſa rerum naturalium cognitione excellebat. Hunc ſibi præceptorem cum elegiſſet Zanonius, & cum eodem hortante nihil omitteret, quod, ſive ad agri noſtri ſtirpes inveſtigandas, ſive ad earum culturam perdiſcendam facere poſſet, brevi tempore ſic profecit, ut expectationem noſtrorum Civium facile ſuperaret: itaque externus Adoleſcens ſeptem, ac viginti annos natus dignus potiſſimum viſus eſt, cui publici Horti cuſtodia a Sapientiſſimis Viris Præfectis, & Adminiſtratoribus Vectigalium committeretur.

Bononienſis Hortus inde ab origine ſua, & Doctorem habuit, qui ſtirpes oſtenderet, earumque virtutes explicaret, & Cuſtodem, qui colendis præeſſet; quorum alter a Senatu, alter a Præfectis Vectigalium conſtituebatur. Vectigalium Præfecti, undeviginti numero, partim ex ampliſsimis Juris utriuſque, ac Medicinæ Collegiis, partim ex ipſo Senatu, graves inprimis ſapientesque viri ſingulis annis deligebantur, penes quos, ut noſtris etiam temporibus, in pecunia Gymnaſii adminiſtranda, inque

ædi-

ædificiis ejuſdem, & ſartis tectis procurandis auctoritas erat (*a*). Ad eos quoque Horti publici gubernatio, ejuſdemque Cuſtodis deſignatio pertinebat. Cum igitur Paulus Gattus, qui annis prope quadraginta Horti cuſtodiam obtinuerat, legitimam vacationem ab eo munere impetraſſet, cumque ſucceſſore opus eſſet, Vectigalium Præfecti in eum finem convenientes, Zanonium 1642
ſubſtituerunt in locum Gatti adhuc vivi, qui tamen paucis poſt diebus eſt mortuus. Non minimum ſane hoc probitatis illius ac doctrinæ argumentum videri debet, quod talibus Viris tantopere commendatus eſſet, quorum ſemper in hac Civitate prudentia, & gravitas enituiſſet.

Erat Bartholomæus Ambroſinus Auguſtini filius, ad ſtirpes demonſtrandas eo tempore deſtinatus, eamque provinciam ex auctoritate Senatus tertium jam viceſimumque annum ſumma cum laude adminiſtrabat. Is novum Horti Cuſtodem diſcipulum ſuum, ſingulari benevolentia ſtatim complexus eſt; in quo ſcilicet parem intelligentiam, ac ſedulitatem, vel antea perſpexerat. Ille autem viciſſim ita agebat officii ſui partes, ut neque majore diligentia quiſquam, neque aſſiduitate. Erat in montibus, & convallibus, abditiſque nemoribus frequens; herbas quaſcunque, ſive minus cognitas, ſive elegantia ſpectatas in urbem afferebat; ad cultum ſæpe duriores aſſidua cura, & quotidiana mitigabat opera; excelſa, ac prærupta Apennini juga ſingulis annis inviſebat, ex quo illud conſequebatur, ut nunquam in Horto montanarum ſtirpium copia non eſſet: quin etiam novæ interdum ab eo, neque a ceteris memoratæ inveniebantur, ut Caſtellionenſi præſertim itinere contigit, decimo anno a ſuſcepta Horti cuſtodia inſtituto, cujus itineris brevem deſcriptionem, eodem anno, in vulgus edidit. Excogitavit etiam ra- 1652
tionem, qua integræ poſſent incorruptæque ſtirpes diutiſſime conſervari, quas ille tabulis ligneis ſingulari quodam, ac perlucido conjungebat glutine: idque præ ceteris Chriſtianus Mentzelius admiratus eſt, illuſtris Botanicus, qui tunc adoleſcens Bononiæ ſtudiorum cauſſa commorabatur; intimaque illius fa- 1653
miliaritate uſus, amicitiam deinde cum eodem in multos annos

 abſens

(*a*) *Eugenius IV. P. M. anno* 1437 *peregrinarum mercium vectigalia Archigymnaſio Bononienſi confirmavit, quibus adminiſtrandis duodecim Viri poſtea deſtinati ſunt; quatuor nempe pro ſingulis Collegiis, Juris Pontificii, Juris Civilis, ac Medicinæ, qui Vectigalium Syndici, & Adminiſtratores eſſent, & vocarentur. His denique Clemens VIII anno* 1603 *ſeptem adjecit Senatores.*

abſens coluit. His igitur ſtudiis cum maxime floreret Zanonius, translatis rebus ſuis omnibus antiqua ex Patria, ubi ante aliquot annos deceſſerat Mater, perpetuum ſibi in hac urbe domicilium fixit, atque, a Joſephi Savii hæredibus fundo coempto, in celeberrimo ejuſdem loco, e regione Ædis S. Blaſii,
1656 nobiliſſimam adornavit pharmaceuticam officinam; cui non modo ipſe, quoad vixit, ſed etiam Poſteri illius, ſumma proſperitate, ad hæc tempora præfuerunt.

In hac nova occupatione adeo de priſtinis ſtudiis nihil abeo detractum eſt, ut etiam Horti publici adminiſtrationi privati curam adjunxerit. Cum enim in Ædibus Conſilii Publici, ita eſſet conſtitutus Hortus, ut externa illius ſpatia patere omnibus neceſſe eſſet, vix in eo ſtirpes quæque elegantiſſimæ inviolatæ diu eſſe poterant; quocirca publica auctoritate, quod etiam Pauli Gatti temporibus factum erat, privato in loco peregrinis ſtirpibus hortus eſt conſitus. Nec vero ſola herbarum diſquiſitione Zanonii animus occupabatur, ſed animalium etiam, lapidum, ac metallorum, omniumque rerum naturalium ſtudio ſe dederat, quarum ille mirificam varietatem, & copiam ex omnibus Terræ partibus in proprias ædes congregavit, cum inſtructiſsima Bibliotheca, non tantum domui ſuæ, ſed etiam Civitati per multos annos ornamento futuram.

Magno tum in honore eſſe apud nos cœperat Zanonius, nam & in quotidiano eum ſermone, & in ſuis ſcriptis Ovidius Montalbanus, & Hyacinthus Ambroſinus celebrabant, clari inter Cives noſtros Botanici; quorum alter doctus homo, & multifariam eruditus, non mediocrem ſibi in hac diſciplina laudem comparaverat; alter eam publice tradebat: Bartholomæo enim Ambroſino, qui annos duodequadraginta id munus obie-
1657 rat mortuo (*a*), in illius locum Hyacinthus frater a Senatu ſubſtitutus fuerat; iſque eum locum quattuordecim circiter annis occupavit. Neque ab externis Botanicis minus colebatur, qui omnes amicitiam illius certatim expetebant. Alexander Balamius nobilis Britannus, quum a Gaſtone Borbonio Aurelianenſi Duce (*b*) in Italiam ad ſtirpes perquirendas mitteretur, quotieſcunque eo itinere Bononiam venit, liberaliſsimo hoſpitio a Zanonio

(*a*) *Bartholomæus Ambroſinus, qui anno* 1619 *Joanni Cornelio Uterverio Delphenſi Batavo ſucceſſerat, mortuus eſt anno* 1657, *ætatis* 69.

(*b*) *Gaſto Borbonius Aurelianenſis Dux, Henrici IV Galliarum Regis filius, Ludovici XIII unicus frater.*

nio ſuſceptus eſt: itaque non modo, quas tunc habebat peregrinas herbas cum eo communicavit, ſed etiam Tingi Mauritaniæ urbe, quo ſe poſt Aurelianenſis Ducis mortem contulerat, lectiſſima quæque illius regionis ſemina ad eundem mittere conſuevit. Habuit præterea in Gallia conjunctiſſimos Dionyſium Joncquetum publicum hujus facultatis Pariſiis Doctorem, & Nicolaum Marchantium Regiæ ejuſdem Urbis Academiæ Botanicum: in Germania Chriſtianum Mentzelium, Joannem Georgium Volkamerum illum ſenem, Paulum Ammannum, extremis etiam temporibus Jacobum Breynium, & in Batavia Paulum Hermannum. Patavii Georgium a Turre, Jacobum Pighium, & Felicem Vialium, qui omnes, partim Zanonio vivo, partim ejuſdem poſt mortem Horto publico illius Civitatis præfuerunt: Sertorium præterea Antonium Urſatum nobilem virum, ac eruditum; Joannem Baptiſtam Scarellium, Hortique Mauroceni cuſtodem Antonium Titam: Venetiis Joannem Mariam Ferrum, Michaelem Nutium, Joannem Mariam Ciaſſium, fratreſque illius Joannem Baptiſtam, & Jacobum: Florentiæ Angelum, & Philippum fratres Donninos, hortorum Magni Hetruriæ Ducis Præfectos, & Iſidorum Fantinum: Piſis Thomam Belluccium in Horto publico iſtius diſciplinæ Magiſtrum, ejuſque ſucceſſorem Petrum Natum, Andream Veſtrium, & Paulum Bocconum Panormitanum: Lucæ Balthaſſarem Campium, ejuſque Fratrem Michaelem, ac Ludovicum Brenium: Senis Pyrrhum Mariam Gabrielium: Romæ Jacobum Barrelierum Pariſienſem, & Joannem Philippum Vignolium Horti publici Præfectum. Ex his nemo erat, qui ſemina, aut propagines, aut viviradices ad Zanonium non mitteret, quibus ille Bononienſes hortos mirifice locupletavit: tum primum peregrinas ſtirpes ab extrema uſque India, & America invectas hæc Civitas vidit, eæque in noſtris hominibus, etiam qui rerum iſtarum rudiores videbantur, admirationem excitarunt. Neque eo ſecius tamen in exquirendis noſtratibus herbis, ſolique Italici propriis eadem contentione animi perſeverabat; in Baldum montem Veronæ proximum ſtatis temporibus proficiſcebatur: quæ loca petere ipſe non poterat, in ea Marcum Nannium mittebat, hominem ad hoc ipſum dedita opera inſtitutum.

Hiſce rebus effectum eſt, ut multas præclaraſque ſtirpes haberet, partim incognitas, & novas, partim haud ſatis diligenter a ceteris exploratas, quarum ille hiſtoriam conſcribere aggreſſus, deli-

delineari ſingulas, æneiſque tabulis incidi juſſit, peritiſſimum, qui tum eſſet in noſtra Civitate, artificem nactus Franciſcum Curtium, cui brevi poſtea, clarus & ipſe futurus, Franciſcus Maria Francia (*a*) diſcipulus acceſſit. Deſcriptiones ipſe elaborabat accuratas, ſubtiles, minima quæque exprimentes, quantum etiam in eo ſcribendi genere fieri poterat, dilucidas, & explicatas: cum ex
1670 his duas, tanquam ſpecimen, adjunctis tabulis edidiſſet, ſummam apud omnes iſtius operis expectationem commovit.

Zanonius jam eo pervenerat laudis, ut cunctis in hac urbe antecellere Botanicis exiſtimaretur. Poſt breve tempus ab ea quam diximus tabularum editione, Hyacinthus Ambroſinus
1671 deceſſerat (*b*), eodemque anno, paucis poſt menſibus, provecta ætate ſupremum diem obierat Montalbanus (*c*): ita nemo erat, qui primas hujus facultatis Zanonio non deferret. Joannes enim Baptiſta Capponius Joannis filius, ad demonſtrandas in Horto ſtirpes Ambroſino ſuffectus, cui muneri quinquennio tantum præfuit, eruditiſsimus quidem homo, omnique doctrinæ genere perpolitus, herbarum ſcientia cum Zanonio comparandus non erat: quod etiam in cauſſa fuit, ut æmulatione iſtius laudis (non enim diſsimulari poteſt) obtrectatio aliqua inter hos Viros futura initio videretur; verum ne ulla eſſet poſtea, Zanonii præcipue moderatione, & æquitate factum eſt; ex quo hunc fructum collegit, ut quem ſibi perpetuo adverſaturum ſuſpicatus fuerat, eundem ſtudiorum ſuorum & fautorem habuerit poſtea, & laudatorem. Florebat iis temporibus Zanonii domus Adoleſcentium ſtudiis, qui in conſuetudinem illius penitus ſe dederant, quique ex ea deinceps docti peritique evaſerunt Botanici: inter quos mihi præ ceteris nominandi ſunt Lælius Triumphettus, ac Joannes Baptiſta ejus frater Joannis Sanctis filii, Joannes Carolus Amadeus, & Nicolaus Cæſius: ex his Joannes Baptiſta Triumphettus, cum annos amplius triginta Romano Horto præfuiſſet, quadriennio eſt ante me natum mortuus: reliqui omnes in noſtra Civitate, & ad meam uſque adoleſcentiam ætate proceſſerunt.

Edidit Zanonius primam Hiſtoriæ ſuæ partem, cum an-
1675 nos natus eſſet ſexaginta, eamque Vectigalium Præfectis nuncupa-

(*a*) *Franciſci Mariæ Franciæ Vitam ſcripſit Joannes Petrus Zanottus in libro, cujus titulus eſt*: Storia dell' Accademia Clementina *Tom.* 1. *pag.* 333.
(*b*) *Hyacinthus Ambroſinus mortuus eſt anno* 1671, *ætatis* 66.
(*c*) *Ovidius Montalbanus mortuus eſt anno* 1671, *ætatis* 70.

pavit, quorum incredibili beneficentia maximi ſumptus, & quotidiana rei familiaris detrimenta ſublevabantur: quas enim ille vel in tanta rerum naturalium, ac peregrinarum varietate colligenda, vel in tot libris coemundis impenſas faciebat, vix unius privati hominis, ac in mediocri fortuna poſiti opes ſuſtinere potuiſſent. Jure igitur Zanonius grati animi ſui erga eos Viros, a quibus tantopere adjuvabatur, monumentum extare voluit ſempiternum. Sed hoc poſtea evenit, ut illius libri editione tantam exiſtimationis, & gloriæ acceſſionem conſequeretur, ut majorem vix optare, aut ſperare poſſet. Senatus Bononienſis, cujus in optimarum artium cultores clara extitit ſemper liberalitas & fides, ampliſſimo decreto, hunc, & Poſteros ejus, civitate in perpetuum donavit: domum illius nobiliſſimi Cives, quorum erant multi his ſtudiis dediti, frequentabant: controverſiæ, ſi quæ de his rebus exortæ eſſent, ad ipſum deferebantur: cum literatiſſimis hominibus illius temporis literarum conſuetudine jungebatur: poſſem in his Franciſcum Redium, Laurentium Bellinum, Manfredum Septalium, Philippum Bonannum, poſſem alios permultos nominare, ſed longius non evagabor quam neceſſe eſt. Hunc præ ceteris Lælius Triumphettus obſervabat, cui demonſtrandarum ſtirpium provincia, poſt Capponii mortem (*a*) a Senatu delata fuerat, quam ille ſex deinde annos, & quadraginta, ad noſtra ſcilicet hæc tempora magna cum laude adminiſtravit (*b*): hunc Lælii frater Joannes Baptiſta, qui anno poſt munus idem Romæ obire cæperat, & in literis quas ſcribebat, & in omni ſermone non dubitabat præceptorem ſuum appellare (*c*): ad hunc Jacobus Roſpilioſius ampliſſimus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Clementis IX Pontificis Maximi fratris nepos, humanitatis, & officii plenas epiſtolas mittebat. 1676

Ipſe autem Peregrino filio, quem grandem habebat, rei domeſticæ cura permiſſa, quod reliquum ætatis erat in literis agere conſtituerat, alteramque Hiſtoriæ ſuæ partem conficere maturabat, quam ut latine ſcriberet, utque etiam primam in eandem linguam verteret, Joannes Maria Ciaſſius, & Felix Vialius amiciſſimi homines per literas hortabantur: cui quidem rei, cum eam maxime ageret, ne perfici poſſet, ætatis jam ingraveſcen-

(*a*) *Joannes Baptiſta Capponius mortuus eſt anno* 1676, *ætatis* 56.
(*b*) *Lælius Triumphettus mortuus eſt anno* 1722, *ætatis* 75.
(*c*) *Joannes Baptiſta Triumphettus mortuus eſt anno* 1708, *ætatis* 52.

veſcentis obſtiterunt incommoda; erat enim affecta valetudine; & infirma, quæ reſpirationis difficultate ſæpe tentata eſt. Extremo tempore in laborioſum, ac difficilem incidit morbum, cujus initio haudquaquam intellecta magnitudo eſt, neque aliud eſſe, quam diarrhæa quædam moleſtior credebatur: itaque nemo erat, qui evaſurum non putaret, præſertim cum anteactæ vitæ continentia, & medicinæ præſidiis, & optimi filii, conjugiſque amantiſſimæ cura ſe ipſum aliquandiu tutaretur. Tormina deinde acceſſerunt, & febres, quibus gravior in dies, ac periculoſior morbus factus eſt; cum haud minore ille tamen animi conſtantia doloris acerbitatem vix ullo tempore intermiſſam ſuſtineret. Adhibebantur a Medicis, ut in ancipiti caſu, varia remediorum genera, quæ omnia vel nihil proficiebant, vel ſic tantum ut vitam producerent ſine levamine. Quadrageſima circiter die ſpes aliqua ſanationis oſtendi viſa eſt; ſed vanam fuiſſe, ac fallacem, brevi poſtea funeſtus, ac prope improviſus comprobavit exitus: quinta enim aut ſexta poſt quadrageſimam die, cum gravioris mali nullus adeſſet metus, tanta eum cepit, ac repentina morbi vehementia, ut viribus ſubito collabentibus, ſero intellectum fuerit, nulla medicina, nulloque præſidii genere occurri poſſe. Summo itaque do-
1682 meſticorum luctu, & Civitatis dolore extinctus eſt, octogeſimo ſecundo anno ſæculi proxime elapſi, cum ſeptimum ipſe ac ſexageſimum ætatis compleſſet, a ſuſcepta vero Horti publici cuſtodia quadrageſimus pene effluxiſſet (*a*). Corpus illius, poſtridie quam mortuus eſt, in ſepulcro, quod ſibi, ſuiſque in Æde S. Blaſii comparaverat, magnifico funere eſt conditum.

Fuit mediocri ſtatura, habitu gracili & ſicco, capillo paſſo, facie ſubnigra; natura placidus & mitis, erga amicos benevolus, in neminem injurioſus, adverſis in rebus conſtans, in ſecundis moderatus. Nam de ingenii perſpicacitate, de eruditione, ac doctrina nihil dico; quantæ iſtiuſmodi res in eo fuerint ſcripta declarant, præſertim Hiſtoria, qua non modo incognitas ſtirpes perſecutus eſt, ſed multas etiam ex vulgaribus ad Veterum deſcriptiones, præſertim Dioſcoridis, propria conjectura accomodavit: nondum enim Priſcorum interpretatio apud Botanicos plane obſoleverat; qui etſi poſtremus fere in hoc genere elaboravit, haud mediocri tamen laude dignus videtur, quod etiam in his ſtudiis, habendam eſſe antiquitatis rationem cen-

(*a*) *Zanonius die* 24 *Auguſti* 1682 *dyſenteria extinguitur*.

cenſuerit. Edidit præterea de itinere libellum, per Caſtellionis montes, finitimumque Baragatiæ, & Sparvi tractum inſtituto, quæ omnis inter Bononiēnſium, ac Florentinorum fines longe, lateque patens regio, ampliſſimæ Pepulorum domus imperio ſubjecta eſt. Commentarios denique perſcripſit, quibus novam, auctioremque Hiſtoriæ ſuæ editionem, utramque partem complectentem proferre meditabatur, de quibus alius eſt a nobis conſtitutus ad dicendum locus.

Cum igitur in his ſtudiis omne ætatis tempus conſumpſiſſet, non laudem ſibi modo, ac dignitatem dum vixit, ſed gloriam etiam poſt mortem nulla oblivione perituram comparavit. Quod ſi veriſſimum illius ſenſum interpretari libeat, omnem iſtam immortalitatem, quæ eſt in memoria, ac ſermone hominum poſita, non modo ab eo non quæſitam, ſed etiam contemptam jure mihi videor poſſe dicere: qui enim a pueritia optime inſtitutus, ſanctiſſima præcepta Chriſtianæ religionis firmiſſime comprehenſa teneret animo, ea profecto opinionis perverſitate imbutus eſſe non poterat, ut ad perpetuitatem hanc neſcio quam nominis, leviſſimam videlicet immortalitatis umbram omnia ſua ſtudia, omneſque cogitationes dirigendas exiſtimaret. Illa illa erat, quam ſpectabat, beatiſſima immortalitas, optimo cuique, & juſtiſſimo poſt mortem in Cœleſti domicilio præparata; ad quam ſic aperte contendit in omni vita, conſtanterque aſpiravit, ut nemini dubium relinqui poſſet, quin hanc ſibi unice propoſitam haberet, veluti optimum, & rectiſſimum vigiliarum, ac laborum, quos perferebat, finem: quam ſi eſt conſecutus, ut plenus religionis, ac pietatis animus, & ab omni vitiorum corruptela alieniſſimus ſperare nos jubet, quis non vere beatam, vel priſtinam, ac mortalem illius vitam audeat dicere, cujus moleſtias, ærumnaſque minime diuturnas æterna felicitas compenſavit. Quanquam etiam in Terris, florentiſſima progenie, Divinum ipſi Numen retribuit virtutis præmium: habuit autem a triceſimo circiter ætatis anno matrimonio ſibi conjunctam Joannam Fornioniam Imolenſem, ex qua Peregrinum filium procreavit, filiaſque duas Juniperam, ac Magdalenam. Junipera in Virginibus conſecratis ordinis S. Franciſci, quæ SS. Naboris, & Felicis Cœnobium incolunt, nomen profeſſa Regina Roſalia dicta eſt; Magdalena Dominico Baldutio nupſit. Poſt Joannæ Fornioniæ mortem, cum eſſet prope ſexagenarius, Virginiam Cupardiam viduam duxit, eoque matrimonio affini-

tatem conciliavit ſibi honeſtiſsimorum Civium. Nam & ipſa plena olim dignitatis fuit apud nos Cupardiorum domus, & nupſerat jam antea Clara Virginiæ ſoror Jacobo Gotto ſpectato Juriſconſulto, qui multos per annos Jus Civile in Bononienſi Gymnaſio interpretatus eſt, atque in ampliſſimo Magiſtratu Tribunorum plebis Judicis locum aliquando occupavit. Ac Virginia quidem Cupardia, nullis liberis e Zanonio ſuſceptis, paucis menſibus ab ejuſdem obitu eſt mortua.

Peregrinus Zanonius, Patri ſuperſtes undecim annis fuit: herbarum ſcientiæ & ipſe deditus, cum literatiſſimis hominibus illius temporis amicitiam coluit, eique Paulus Ammannus Uratislavienſis Botanicus, qui Lipſiæ habitabat, de ſtirpium Cha-
1685 racteribus librum inſcripſit (*a*). Publici tamen Horti curam ipſe non geſſit, quæ poſt Jacobi mortem Pompejo Zolio delata eſt. Patre vivo uxorem habuit Annam Belliam, Auguſtini Mitellii (*b*) clari Pictoris neptem ex filia, cujus mors paucis diebus Soceri interitum conſecuta eſt: ne filii quidem, quos ex illa habuerat, diu ſuperfuerunt. Anno inſequenti in matrimonium duxit Angelam Bonomiam Sebaſtiani Bonomii illuſtris Medici ſororem, natique ex ea Joannes Andreas, Bernardinus, & Avi nomen referens Jacobus, filiæque complures. Peregrino mor-
1693 tuo, ſuperſtites pueros Mater honeſtiſſime educavit, ex quibus Bernardinus juriſprudentiæ ſtudio dedit operam, ac in ea facultate Doctor nuncupatus, in ampliſſimum etiam Judicum, & Patronorum Collegium adſcitus eſt (*c*). Joannes Andreas, & Jacobus paternam, avitamque ſecuti conditionem, in rerum naturalium, ſtirpiumque diſciplinam haud mediocrem contulerunt operam: ſingularem vero in Chemicis ſtudiis intelligentiam Jacobus aſſecutus eſt, uſu inprimis, & experientia comparatam. Itaque & in Academiam Bononienſis Inſtituti ſcientiarum aſcriptus, & Jacobo Bartholomeo Beccario, ſummo Philoſopho, ac Medico, quem ego Præceptorem amantiſſimum habui, a Phyſica facultate ad Chemicam, in eodem Inſtituto explicandam translato, ſocius, & adminiſter, qui operibus præeſſet adjunctus eſt;

(*a*) *Editus eſt liber Lipſiæ anno* 1685. (*b*) *Auguſtini Mitellii vitam ſcripſit Carolus Malvaſia in libro, cujus titulus eſt:* Felſina Pittrice *Tom.* 2. *pag.* 400. *Joſephi autem ejus filii vitam ſcripſit Joannes Petrus Zanottus in libro, cujus titulus eſt*: Storia dell' Accademia Clementina *Tom.* 1. *pag.* 181. (*c*) *His diebus factus eſt Ampliſſimi Senatus a Secretis.*

eſt; affinitate ipſi proximus, quod eſſet Beccarii ſoror Joanni Andreæ Jacobi fratri nupta.

Annus prope ſexageſimus a ſenis Zanonii morte præterierat, quum de ſupremis illius in vulgus edendis laboribus, a Nepotibus ejuſdem, quos nominavi, humaniſſimis Viris, Avo, & Patre digniſsimis conſilium initum eſt. Erant ab eo commentarii plures relicti, eoſque contexere, ac perficere opus erat: igitur pro ſumma neceſsitudine, quæ & mihi cum illis, & Patri meo eſt, ut operam meam eo conferrem, ex me poſtularunt. Ego, qui in his ſtudiis ab ipſa prope infantia a Patre educatus eſſem, talibus autem Viris negare quidquam pe-

tentibus non poſſem, pollicitus ſum me, quantum meæ vires paterentur, facturum quod poſcerent; ſuſceptumque negotium ad finem perduxi. Equidem ſpero fore, ut ex hoc libro cognoſci poſsit, quantum ad herbarum ſcientiam illuſtrandam contulerit Zanonius, vel quantum Botanicorum utilitati, & commodis proſpexerit; utque in perpetuum tanti Viri memoria, pie recolenda, Poſteritati commendetur.

JACOBI ZANONII

De Jacobo Zanonio ejuſque ſcriptis graviſſimorum Hominum Teſtimonia.

HYACINTHUS AMBROSINUS. In Horto ſtudioſorum. Bonon. 1657. pag. 74.

In agri Bononienſis locis montoſis, circa Cœnobium Eremitanorum Camaldulenſium, in Quercu annoſa, initio menſis Maji obſervavit (uvam quercinam) Jacobus Zanonus Horti Publici Cuſtos, & ſimplicium indagator eximius, nobiſque attulit.

Idem in Phytologia. Bonon. 1666. pag. 375.

Inter Naſturtii ſpecies libuit in gratiam Lectoris Botanici exhibere iconem Naſturtii alpini, Halicacabi peregrini foliis, nuper in montibus agri Bononienſis reperti a D. Jacobo Zanono, herbarum indagatore eximio, Horti Publici Cuſtode vigilantiſsimo.

OVIDIUS MONTALBANUS. In Dendrologia Ulyſſis Aldrovandi. Bonon. 1667. pag. 147.

Herba viva, vigens ſuo modo, & vegetans, eſt de præſenti in Viridario innumeris rariſsimis plantis refertiſsimo Jacobi Zanonii, Aromatarii Bononienſis, & Botanici incomparabilis, ab eodem mihi anno elapſo monſtrata.

Idem JO: ANTONII BUMALDI nomine, in Bibliotheca Botanica. Bonon. 1657. pag. 109.

Jacobus Zanonus Pharmacopœus Bononienſis, ibidem Horti Publici Cuſtos, herbarum, rerumque naturalium peritiæ profuſiſsime amans. Is intra inſtructiſsimi ſui Muſæi cancellos, quamplurima herbarum cadavera immortalia non ſolum reddidit, ſed, quæ eſt illius Botanica minerva, ea in ſuperbiſsimis picturis, & auro coronata vertit aulæa, pretioſiſsimis quibuſvis arachnæis præferenda ornamentis Principum, atque Magnatum. Ipſe idem obſervationes aliquot, vulgari licet idiomate conceptas, circa novas, & non vulgares ſtirpes in agro Bononienſi naſcentes

publi-

publicavit, typis Jo: Baptiſtæ Ferronii, anno D. 1652, in folio magno; aliaſque ſuccedentibus annis forte plures, ac potiores proferet.

CHRISTIANUS MENTZELIUS. In Indice nominum Plantarum univerſali. Berolini 1682. *in elencho Auctorum.*

Jacobus Zanonius Italus, Bononienſis Pharmacopœus, Horti Medici Bononienſis, qui eſt in Palatio Cardinalis, Præfectus, Vir rei herbariæ curioſiſſimus, præſertim in conſervandis plantulis exſiccatis, quas ut in perpetuum cum omnibus coloribus durent, ſingulari glutine aut vernice in tabulis ligneis obducit, amicus meus Bononiæ ſingularis.

PAULUS BOCCONUS. In Icon. & Deſcript. Rar. Plant. Oxonii 1674. *pag.* 39.

Hujus meminit Doctor Hyacinthus Ambroſinus in ſua Phythologia ſub nomine Tithymali bacciferi: an idem cum noſtro judicare poteſt Jacobus Zanonus, Pharmacopœus, & Botanicus ejuſdem urbis laudatiſſimus, ad quem e Sicilia ſemina nos tranſmiſimus.

Idem in Opere: Recherch. & Obſervat. Natur. Amſtelodami 1674. *pag.* 221.

Je ſouhaiterois avoir quelques nouvelles de Monſieur Zanoni de Bologne, & de Monſieur Gio: Maria Ferro de Veniſe, & de ſçavoir s' ils ont mis au jour quelques ouvrages de plantes, avec des figures; parce que l' un & l' autre avoit fait eſperer à leurs Amis l' impreſſion de quelque Livre, touchant les plantes non décrites.

Idem in Opere. Offervaz. Nat. Bonon. 1684. *pag.* 205.

Tra i particolari Orti Botanici, vi è quello del fu Giacomo Zanoni, Botanico de' noſtri tempi degno di lode, e per il merito di ſue aſſidue fatiche, e per l' opera da lui pubblicata l' anno 1675; ed oggidì dal Sig. Pellegrino figliuolo viene mantenuto il predetto Orto, con la medeſima diligenza, che faceva il Padre, dal quale altra raccolta di piante nuove ſarebbe data alla luce, ſe maggior vita gli foſſe ſtata conceſſa. Si crede però, che la diligenza, ed inclinazione del figlio ſia per accreſcere le ſue glorie.

JACOBI ZANONII

Et pag. 205.

Il Muſeo di coſe naturali del fu Giacomo Zanoni, per eſſere raccolta di un privato, ſi rende anch' egli conſiderabile. Racchiude Muſchi marini, Coralli, Fuchi marini, Petrificati di molte ſorte, Criſtalli foſſili del territorio di Bologna in numero conſiderabile, e conchiglie foreſtiere, ed altre coſe naturali con tanta pulitezza diſpoſte, che danno luſtro alla Città di Bologna. Al preſente queſto Muſeo viene mantenuto, ed aumentato da Pellegrino figliuolo del ſuddetto Giacomo.

PAULUS AMMANNUS. In Charact. Plant. Francof. & Lipſiæ 1685. in Præfatione.

Eoſdem ingeminat, ſi non multiplicat, leſſus Botanicorum concio, propter flebile fatum, quo venerandus, & peritiſsimus Senex Dominus Jacobus Zanoni Bononiæ 1682 ſuperis annumeratus eſt.

Et paulo poſt loquens de Paulo Hermanno.

Poſitis Idem in arte medica fundamentis, recepit ſe in Italiam atque ex Virorum doctiſsimorum, præſertim Jacobi Zanonii contubernio doctior ſemper evaſit.

JOANNES BAPTISTA TRIUMPHETTUS. In Libro de Ort. & Veget. Plant. Romæ 1685. pag. 49.

Illud ſat eſt innuere, quod ipſe, aliique facile adnotarunt in ſpectabili planta a dilectiſsimo Jacobo Zanono Thlaſpi Perſici nomine inſignita.

JOANNES RAIUS. In Hiſt. Plant. Londini 1686. in Explicat. nom.

Jacobus Zanonius Italus, Bononienſis Pharmacopœus, Horti Medici Bononienſis, qui eſt in Palatio Cardinalis, Præfectus, rei herbariæ peritiſsimus; ſcripſit Italice Hiſtoriam Botanicam plantarum rariorum a ſe obſervatarum, & cultarum partim in Horto ſuo privato, partim in publico Bononienſi; quarum plurimæ nondum a quoquam ante ſe editæ, aut deſcriptæ fuere.

JOSE-

VITA.

JOSEPHUS PITTON TOURNEFORT. In Inſtit. Rei Herb. Pariſ. 1700. *in Iſagoge pag.* 46.

Bononienſem Hortum noſtris temporibus multum locupletarunt plantarum ſtudio inprimis delectati Jacobus Zanoni, & Lælius Triumphetti.

CAROLUS PLUMERIUS. In Novis Generibus Plantarum Americanarum. Pariſ. 1703. *pag.* 38. *ubi novum Genus Americanæ ſtirpis ZANONIAM nuncupavit.*

Clariſsimus Dominus Jacobus Zanoni Botanicus, & in Horto publico Bononienſi Præfectus, plantarum ab Antiquis memoratarum diſcretor perſpicaciſsimus, & diſſertator ſapientiſsimus, Hiſtoriam Botanicam edidit, in qua tum Antiquorum, tum Recentiorum plantæ non antea obſervatæ, ac ex variis Orbis partibus advectæ ad vivum tabulis æneis repræſentantur, & genuinis deſcriptionibus referuntur.

PETRUS GARRIDELUS. In Hiſt. Plant. Provinciæ. Pariſiis 1719. *in Explic. Auct. pag. xlvii.*

M.r Jacques Zanoni étoit Apoticaire de Bologne, & très-habile dans la conoiſſance des plantes rares, qu' il cultivoit tant dans ſon jardin, que dans le jardin de Médecine du Palais du Cardinal, dont il avoit la direction. Son ouvrage eſt un amas des plantes les plus rares, dont pluſieurs n' ont point été décrites, avec des très-belles figures en taille douce.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ANtequam Zanonianas Tabulas, quæ meæ ſunt partes, exponere aggrediar, neceſſarium exiſtimo, & quale initio conſilium Auctoris in Opere hoc inſtruendo, conſcribendoque fuerit, & quid ipſe in hac nova editione præſtiterim, quam breviſſime fieri poteſt, explicare.

Zanonius, ut ex prima parte Hiſtoriæ Botanicæ conſtat, quæ multis ab hinc annis Italico ſermone edita eſt, triplicem finem vel ab initio ſpectavit: nempe ut imagines, ac deſcriptiones traderet earum ſtirpium, quas incognitas ad eam diem putabat: deinde, ut alias nomine tantum recenſitas, vel confuſius a reliquis propoſitas, accuratius exequeretur ipſe, & quo a conſimilibus internoſci poſſent, exquiſitis delineationibus repræſentaret: poſtremo ut ſuas aperiret conjecturas de quibuſdam Theophraſti, ac Dioſcoridis plantis, non ſatis ut ipſe arbitrabatur cognitis, noviſque interpretationibus obſcuriores, quaſdam eorundem ſententias illuſtraret. Ducentas fere pro his omnibus Tabulas incidi juſſit, eaſque ita diſtribuit, ut octoginta, explicationibus adjunctis, unico volumine complecteretur, Hiſtoria ſcilicet Botanica dudum commemorata; ceteras pro altera ſervaret Operis parte, quam ſe aliquando editurum pollicitus fuerat. Mors deinde Auctoris ac Peregrini ejus filii progreſſum, ac finem tandiu remorata eſt, dum Nepotes denique honeſtiſſimi Viri, avitæ laudis, & communis utilitatis ſtudioſiſſimi de his omnibus in lucem edendis deliberarent. Occaſionem dedit huic conſilio Vir clariſſimus, ac ſummus Botanicus Guillielmus Sherardus Britannus, qui ex Orientali peregrinatione in patriam revertens, Bononiæ aliquot dies moratus eſt, uſus familiariter Lælii Triumphetti, ac noſtri Parentis conſuetudine (a). *Is ad Zanonianum Muſæum inviſendum profectus, quum de tabulis, & commentariis ab Auctore relictis comperiſſet, ſuppellectilem hanc omnem videre cupiit, diligenterque inſpectam ſic probavit, ut paratum ſe eſſe oſtenderet, ſi Nepotibus ita libuiſſet, proprio ære omnia coemere, in Anglia vel Batavia editurus. Verum ipſis affirmantibus malle ſe in Patria, & propriis impenſis prodire librum, quam Avi ſui exportari monumenta, hortatus eoſdem eſt, ut ſi minus hoc ſibi concedere vellent, editionem ſaltem ne diutius omitterent. Res deinde per ſex ac viginti annos, temporibus ita ferentibus, dilata eſt, ac nos denique in partem operis vocati ſumus. Initio tamen haud ita facile decer-*

(a) Anno 1716.

decerni poterat, quænam iſtius rei perficiundæ expeditiſsima eſſet ratio: erant enim in his tabulis, quarum explanatio prorſus deſiderabatur; aliæ breves duntaxat notas adjunctas habebant, quippe ab Auctore ad memoriam renovandam ſcriptas; in paucis omnino abſolutæ, ac perfectæ deſcriptiones, quæque ſuperioris libri narrationibus reſponderent inventæ ſunt. Intellectum eſt igitur non poſſe illud fieri, quod videbatur convenientiſſimum, ut altera ederetur Hiſtoriæ Botanicæ pars eodem ſtylo, eademque Auctoris locutione perſcripta; ſed neceſſarium fore alterutrum, vel proferri ſine deſcriptionibus tabulas, vel deſcriptiones ex commentariis contexere, & quantum fieri poſſet apte componere. Nec vero dubium erat, quin hoc multo elegantius futurum eſſet, ac non minus ad laudem Auctoris, quam ad eorum, qui his tabulis uti vellent intelligentiam accomodatius: quandoquidem nemo ignorat multa eſſe, quæ, ſi omnis explicatio abſit, ex imaginibus ut ut accuratiſſimis cognoſci nequeant. Hoc igitur muneris mihi dederunt optimi Viri, meique amantiſſimi, ut brevem ſingulis tabulis hiſtoriam adjungerem, ſive ex Auctoris ipſius ſchedis, ſive ex mea obſervatione, his deficientibus, confectam.

Quum autem liber hac ratione ſcriptus a primo, quem Auctor ediderat, nimium diſtare, ac ferme non ejuſdem Operis pars eſſe videretur; tabulas quoque veteris Hiſtoriæ, eadem ratione explicatas ceteris adjungi placuit, ac univerſum Opus latine ſcribere, ut Exteris etiam italice neſcientibus commune eſſe poſſet. Zanonius ipſe, extremis præſertim temporibus, ab hujuſmodi conſilio haud prorſus alienus fuit: eodem enim anno, quo Hiſtoriam Botanicam evulgaverat, literas a Joanne Maria Ciaſſio Tarviſino, qui Venetiis habitabat, & a Felice Vialio Patavino accepit, quibus ipſi de libri editione gratulabantur; in eo ſe tamen italicam linguam, deſcriptioneſque paulo verboſiores (erant enim literæ familiariter ſcriptæ) non ſatis probare ajebant: ſuadere ut quoniam multæ adhuc tabulæ ſupereſſent, loco alterius partis, quam pollicitus erat, editionem latinam univerſi Operis inſtitueret. Talium Virorum auctoritate commotus Zanonius ſupremis annis id ipſum perficere cogitaverat, quod non paucæ deſcriptiones in adverſariis repertæ ad eam rationem, quam ipſi Ciaſſius, & Vialius propoſuerant exactæ declararunt. Quin etiam, cum in ſuperiori libro nonnulla obrepſiſſe cerneret, quibus correctio aliqua vel temperatio adhibenda eſſet, ex novis obſervationibus notas paſſim aſcripſerat, quibus vel præteritæ editionis menda quædam corrigeret, vel etiam ſe aliquando opinionem aliam ſequi oſtenderet, præſertim in ſubtilioribus quibuſdam Dioſcoridis interpretationibus. Neminem igitur futurum putamus, qui non intelligat, hunc librum edenti-

bus nobis eadem fuiſſe præſtanda, quæ Auctor ipſe, ſi diu vixiſſet, ſe omnino facturum apertiſſime ſignificaverat. Reprehendent aliqui, quod non ſolum ordine quodam noſtro dicendi uſi ſumus, ſed etiam quod ita ſcripſimus, ut noſmetipſos ubique loquentes, nuſquam autem Auctorem ipſum induxerimus Zanonium. Sed præterquam quod aliter facere longe difficillimum erat, ut quæ de una ſtirpe multis in ſchedis, adverſariorumque paginis Auctor conſcripſerat, mutila ſæpe, & hiulca, ac nonnunquam inter ſe diſſentientia ad explicationem tabularum conciliari poſſent; habebamus etiam doctiſſimorum Hominum illuſtria exempla, noſtrorum præſertim Civium Bartholomæi Ambroſini, & Ovidii Montalbani, quorum in poſthumis Operibus Ulyſſis Aldrovandi evulgandis non diſſimilis opera fuiſſet.

De ordine in plantis diſtribuendis haud multum laboravimus, neque ab illo diſceſſimus, quem Auctor ipſe uſurpaverat, ut eas a primis cujuſque nominis literis, juxta ſeriem, ut ajunt, alphabeticam diſponeremus; qui ordo etſi minime naturalis, parumque fortaſſe ad doctrinam idoneus, percommodus tamen eſt, paucaſque tantum ſtirpes deſcribentibus, ubi ſubtilioris, reconditioriſque methodi rationes vix afferri poſſunt, propemodum neceſſarius. Ex hoc eſt, quod Vir Clariſſimus, & in hac diſciplina ſummus Joannes Jacobus Dillenius in Horto Elthamenſi paucis ab hinc annis edito, etſi methodum, qua Joannes Raius uſus erat, & probaverat alias & commendaverat (a), *alphabeticum tamen hunc ordinem tanquam commodiorem ceteris anteponere non dubitavit. Nomina quidem haud pauca fuerunt nobis commutanda, ſive quod non eadem eſſent latina, & italica, ſive quod appellationibus quibuſdam apud Veteres uſitatis his temporibus vix uti liceat. Quis enim nunc ferret Meſembrianthemum recenſeri inter Aſteres, Bignoniam inter Clematides, Anonidem inter Cicera, quemadmodum ferebat ratio, & conſuetudo illius ætatis? ut illa omittam Dioſcoridis nomina, quæ Auctor conjecturis quibuſdam nixus, variis tribuebat plantis, quorum cum his quæ nunc uſurpantur a Botanicis nulla convenientia eſſe poteſt. Talem igitur habuimus delectum nominum, ut recentiorum Botanicorum, præſertim vero Tournefortii ſequeremur regulas, ab iiſque tunc ſolum diſceſſimus, quando externa facies, vel habitudo plus valere ad ſtirpes quaſdam inter ſe diſtinguendas viſa eſt, quam ſola florum fructuumque ſtructura. Sic Jaceam ſpinoſam Creticam, quam inter Carduos numeraverat Tournefortius appellavimus Calcitrapam; quæ enim Jaceæ ſpinoſæ dicuntur neque proprie Cardui ſunt, neque Jaceæ: eandemque ob cauſſam e Lithoſpermi genere ſtir-*

(a) In Judic. de Meth. Plant. pag. 30.

ſtirpes quaſdam exemimus proprio habitu, certiſque notis diſtinctas, quæ, cum etiam parum commode ſive ad Heliotropii, ſive ad Echii genus referri poſſent, Scorpiuri nomine, quod a Moriſono uſurpatum eſt, appellandas putavimus. Seſamum autem, & Armoraciam non ſolum ob externum habitum a Digitali, & Cochlearia ſejunximus; ſed etiam quod herbæ ſint in Medicorum ſcriptis aliquando commemoratæ, ut earum nomina ſine confuſionis periculo mutari nequeant. Vocabula inuſitata, ac nova nulla prorſus fecimus; ac vix unquam contigit, ut herbæ cuipiam ejuſmodi tribueremus nomen, quo non antea ab aliquo ex Botanicis ſuperioribus nuncupata eſſet: hoc tantum curavimus, ut primum initio ſingularum deſcriptionum poſitum & ambiguitate careret omni, & veram affinitatem exprimeret illius plantæ cum reliquis idem nomen commune habentibus. Quod niſi Caroli Linnæi doctiſſimi viri, ac eruditiſſimi Opera ſerius ad nos allata eſſent, peculiaria fortaſſe nobis, ac peropportuna ſtirpium nomina ſuppeditaſſent; ut pro Hyerichuntide Roſa vulgo dicta, quam prope inviti Myagris annumeravimus (non enim videtur omnino eſſe Thlaſpi ſpecies, ut voluit Tournefortius) Linnæus autem propria voce Anaſtaticam dixit. Coreopſidis quoque nomen a Corona Solis, ac Bidente, inter quas veluti medium eſt, Chryſanthemum alato caule Jacobi Cornutì optime diſtinguit. Verum quia tabulis jam in eum, qui nunc eſt ordinem digeſtis, ac libri editione inchoata Linnæi Opera ad nos pervenerunt, ordinem priſtinum immutare integrum non fuit.

In deſcribendis plantis ſubtilem quandam, & accuratam enumerationem minimarum partium negleximus, quæ & numero, & figura ſæpiſſime variantur: experientia enim nos docuit vix unquam accidere, quin deſcriptiones adeo prolixæ obſcuritate aliqua laborent, aut certe longitudine ipſa confuſiores fiant: ac ſæpe, ut monet Cicero, res parum eſt intellecta longitudine magis, quam obſcuritate narrationis (a). *Notas igitur tantum præcipuas collegimus, altitudinem plantæ, foliorum, florum, fructuumque ſitum, formam, colorem, aut ſi quæ alia forte viſa ſunt ad eam quam deſcribebamus ab aliis diſtinguendam neceſſaria. Cetera, ſi quæ ex imagine in tabula ſculpta ſatis intelligi poſſent, verbis etiam exprimere ſupervacaneum putavimus.*

Dioſcoridis interpretationes, ex quibus haud minima pars Zanonianæ veteris Hiſtoriæ conſtabat, non ea verborum, ac ſententiarum copia referre inſtituimus, qua ipſe Auctor uſus erat; neque enim propoſitum nobis fuit Opus illud latine reddere, ſed opiniones tantum Auctoris indicare, quibuſque de cauſſis a reliquorum Interpretum mente

(a) de Invent. lib. I.

ac ſententia diſceſſerit. Nunc ſi quis eſt, qui uberiorem ejuſmodi rerum tractationem quærat, huic prima illa Hiſtoriæ pars italice ſcripta perlegenda eſt, quæ quidem etiam poſt hujus libri editionem inter doctorum manus verſabitur. Nobis ejus generis quæſtiones, haud magnam his temporibus utilitatem habentes, leviter attigiſſe ſatis viſum eſt.

Deſcriptionibus plantarum varia ſubjunximus nomina, quibus eædem ceteris in libris memoratæ, ac deſcriptæ, aut etiam delineatæ occurrunt. Sunt quidem ex his non paucæ ab Auctore ipſo inventæ, neque ab aliis antea obſervatæ; ſed pleraſque jam ſibi tot Botanicorum ſcripta poſt illius mortem edita vindicarunt. Quin etiam ex illis, quæ in veteri Hiſtoria pro novis extabant, nonnullas, vel tunc ab aliis deſcriptas fuiſſe, accuratior deinde obſervatio declaravit. Sed hoc ab Auctoris laude nihil detrahit; ſunt enim incompletæ quædam, ac ſubobſcuræ in libris deſcriptiones, de quibus judicare omnino difficillimum eſt. Zanonius, qui in rebus incertis judicium ſuum non facile interpoſitum vellet, quas ita imperfecte deſcriptas reperiebat ſtirpes pro novis habebat, alias fortaſſe ſibi incognitas non deeſſe exiſtimans, deſcriptionibus illis plane reſpondentes. Aliquando etiam veram inter eas, ac naturalem differentiam intereſſe arbitratus eſt, quarum fortuita ſolum varietas erat: quæ quidem res doctiſſimos, ac peritiſſimos quoſque Botanicos, ut multis exemplis confirmare poſſumus, non ſemel in errorem conjecit. Quod igitur ad plantas novas attinet, inficiari profecto non poſſumus, haud multas eſſe in hoc Opere: ſed longe plurimæ ſunt, quas ita accurate affabreque delineatas, quemadmodum in Zanonianis tabulis ſunt, haud ita facile alibi reperias.

Indicarum ſtirpium imagines, cum in veteri Hiſtoria, tum etiam in hoc libro ceteris tabulis interſperſæ, etſi eundem Auctorem agnoſcunt Matthæum a S. Joſeph, Carmelitam Excalceatum, de cujus vita, rebus geſtis, omnique ſtudiorum ratione, brevem commentariolum huic proœmio ſubjungemus; tamen quia non uno tempore omnes, neque integræ pariter, vel manu ipſius Auctoris delineatæ ad Zanonium pervenerunt, ita conſiderari poſſunt, quaſi eſſent duplicis generis: quare nos etiam, diſtinctione aliqua ſervata, alias libelli, alias commentariorum imagines nuncupavimus. Commentarios intelligimus eos, quos Valerius a S. Joſeph, manu ipſius Matthæi ſcriptos, cumque imaginibus naturali magnitudine expreſſis, anno ſeptuageſimo primo ſuperioris ſæculi ad Zanonium attulit: libellus autem ille eſt, qui biennio ante ad Michaelem a S. Eliſeo, ab hoc ad eundem Zanonium miſſus fuerat,

ex

ex adversariis Matthæi ab imperito quodam in India descriptus. Nos hunc pariter, & commentarios in Musæo Zanoniano repertos evolvimus, diligenterque observavimus. Commentariorum imagines fideles erant, satisque accuratæ, ac multæ ex ipsis Horti Malabarici tabulis mirifice respondebant. Matthæus enim ipse Malabarum terras diutissime incoluerat, neque mediocrem operam in fundamentis illius Operis ponendis collocaverat. Sæpissime tamen factum est, ut earundem plantarum non eadem essent in Horto Malabarico, quæ in Matthæi commentariis nomina; cujus rei causſam varietati linguarum Indiæ Orientalis habitatoribus communium facile tribuebamus: ideoque mirari nemo debet, quod plantam aliquam Horti Malabarici describentes, barbaro quidem nomine utamur, sed plane diverso ab eo, quod est in Horto Malabarico: quippe nos Matthæum sequi debuimus, discordem sæpe in hoc ab illius Operis editoribus. Sed, ut eo revertamur unde discessimus, longe alia libelli ratio erat: delineationes plantarum exiguo spatio prorsus deformatæ coercebantur, unico plerumque folio, atque unico flore depicto, nonnullis imperite detractis, nonnullis etiam temere adjectis: nomina ipsa mutatis literis sæpissime occurrebant vitiata, ut cum earundem plantarum imaginibus, vel in Horto Malabarico, vel in ipsis Matthæi commentariis institui comparatio non posset. Quocirca hujus libri explicationem ne tentavimus quidem; optimum vero, idemque tutissimum esse consilium putavimus (quando imagines omnes jam incisæ, multæ etiam editæ de tabulis eximi non poterant) descriptionibus iisdem, quæ in libello extabant, qualescunque essent, ad verbum transcriptis, facultatem omnem, & arbitrium conjiciendi, erudito cuique & ingenioso Lectori permittere.

Neque solum in istis, quæ ut vere dicam minoris momenti erant, Indicarum stirpium figuris, sed & in aliis omnibus hoc præcipue nobis cavendum esse duximus, ne incerta pro certis, pro exploratis dubia traderemus. Quamobrem & omnem Auctoris suppellectilem inspeximus, quæ ex multis voluminibus constabat, & Botanicorum illius temporis scriptas ad eum literas perlegimus. Descriptiones quoque, & imagines cum plantis ipsis virentibus contulimus, sive inter chartas, quando aliter fieri non potuit, exsiccatis: quanquam hoc magnopere dolendum fuit, nulla ejusmodi sicca plantarum exemplaria a Zanonio relicta esse. Sed fuit magno usui collectio satis copiosa, quam Parens meus Joseph Montius plantarum demonstrationi in Horto Publico Bononiensi his postremis viginti annis Præfectus magno studio conquisivit. Non multum ille a Zanonii ætate remotus fuit, & cum illius discipulis Joanne Carolo Amadeo, & Nicolao Cæsio vixit conjunctissime. Multas

tas præterea ſtirpes in ſuis itineribus collegit, multas in hortis Italiæ vidit, multas denique a ſuis familiaribus peritiſſimis hominibus accepit. Fuit in eorum numero, ut reliquos omittam, Joannes Baptiſta Triumphettus Civis noſter, Zanonii & ipſe olim diſcipulus, Hortique Romani per multos annos Præfectus: fuit Guillielmus Sherardus, qui Botanicorum Princeps, omnium fere qui tum erant conſenſu, nominatus eſt; fuit vero præ ceteris omnibus Petrus Antonius Michelius Florentinus, cujus in perveſtigandis ſtirpibus incredibilem ſagacitatem non ſolum editus ab eo liber teſtatur, ſed poſthuma vel inprimis Opera declarabunt, in quibus perficiendis, abſolvendiſque jamdiu vir doctiſſimus Joannes Targionius, ſucceſſor illius, ac diſcipulus elaborat.

Plantas virentes in Horto Publico non paucas obſervavimus, qui ut peregrinarum ſtirpium numero, & varietate copioſus eſſet ex multis annis operam dedimus diligenter. Fuerunt autem multi clari, ac docti viri, præter eos, quos nominavimus, qui ſeminibus, ac vivi radicibus mittendis egregia liberalitate nos adjuverunt: Hermannus Boerhaavius, Caſpar Commelinus, Jacobus Sherardus, Michael Angelus Tillius; ex iis autem, qui nunc vivunt Julius Pontedera, Angelus Atilius Tillius, Joannes Jacobus Dillenius, Hadrianus Royenius, Auguſtinus Fridericus VValterus, ac noviſſimus omnium Franciſcus Seguierius Nemauſenſis, qui Veronæ habitat, cujus eruditionis, ac doctrinæ Bibliotheca Botanica ab eo nuper edita inſigni eſt argumento.

Et quoniam natalibus in locis plantas videre ſæpius expedit, montoſam pariter, ac planam agri Bononienſis partem, quarum utramque frequentaverat Zanonius, adire nobis conſtitutum erat; verum non eatenus hoc perficere nobis licuit quoad cupiebamus, variæque nos occupationes a longioribus, difficilioribuſque itineribus remoratæ ſunt. Caſtellioni tamen proximos montes, omnemque finitimam regionem ampliſſimæ Pepulorum domui ſubjectam ante ſexennium inviſimus; quum ſumma nobis liberalitate Nobiliſſimi Viri ex Ampliſſima ea Familia, illiuſque Principatus conſortes adeſſent: varias autem magna cum voluptate recognovimus plantas a Zanonio multo antea ibidem obſervatas, qui etiam, ut in illius vita ſcripſimus, peculiari quodam libello ediderat inventarum per ea loca ſtirpium enumerationem. Paluſtrem porro tractum duodecim abhinc annis nobiſcum una perluſtravit Bruno Tozzius Florentinus, Monachus, & Abbas Vallumbroſanus, in hac diſciplina verſatiſſimus, quo eodem comite triennio poſt Venetias, ac Patavium profecti, non ſolum amœniſſimos earum urbium hortos, ſed vicina etiam litora, maritimaſque oras peragravimus; cum eſſet ille quidem octogenario proximus, ſed integra valetudine, ſemper-

que

que vivido ingenio florentioris ætatis vires minime deſideraret.

Hæc utique omnia mihi præfanda eſſe duxi, ut quibus præſidiis inſtructus editionem hujus libri abſolverim conſtare poſſet. Quoniam vero initio totius Operis Auctoris vita poſita eſt; ac nonnulla etiam de Matthæo a S. Joſeph dicenda ſunt, in his quoque meam fidem deſiderari non patiar, fonteſque ipſos, unde rerum paulo vetuſtiorum notitias hauſerim breviter indicabo. Quæ ad Zanonii Majores, Patriam, nativitatis annum, ac pueritiam ſpectant, ea nobis ſubminiſtravit partim ex Montecchienſi Tabulario, partim ex Baptizatorum Albo Eccleſiæ S. Domnini ejuſdem loci, Balthaſſar Carroncius Montecchienſis Tribunus militum, cujus avus Joannes Andreas Carroncius Ludovici filius, Zanonii conſobrinus, & una cum eo educatus fuit, ſummamque illius, etſi abſentis, uſque ad extremum tempus retinuit benevolentiam: cetera ex publicis noſtræ urbis tabulis, atque ex literis cum ad Zanonium ipſum, tum ad Peregrinum illius filium a familiaribus cognatiſque per multos annos datis, tanquam ex fideliſſimis certiſſimiſque monumentis excepimus. Quæ Matthæi a S. Joſeph originem, vitam, res geſtas continent ex Actis Carmelitarum Excalceatorum, quæ Neapoli, ac Romæ ſervantur: multiſque epiſtolis, quas anno 1671 Cœleſtinus a S. Liduina ad Zanonium ſcripſit eruta ſunt. Zanonii denique imaginem ſumma fide, ac diligentia expreſſit Dominicus Fracta Pictor egregius, e ficto quodam ſimulacro in Muſæo Auctoris, anno ipſo quo mortem obiit, collocato. Confirmatum eſt autem multorum Senum, quibus ille adoleſcentibus notiſſimus fuerat, & quorum nonnulli adhuc ſunt in vivis, teſtimonio, veram ac prope ſpirantem Zanonii faciem eo ſimulacro repræſentari.

DE VITA ET SCRIPTIS
MATTHÆI A S. JOSEPH

BREVIS COMMENTARIUS.

IN Campania felici, quæ nunc Terra Laboris dicitur, Neapolitani regni florentiſſima regione, ad occidentalem Clanii ripam, ac in extremis prope Capuenſis ditionis finibus Marcianiſium eſt, minime ignobilis pagus, incoliſque frequens, paucis ab Averſa ad ortum milliaribus, neque multo pluribus a Capua ipſa ad occaſum diſtans. Matthæus a S. Joſeph in
1617 hoc loco natus eſt (*a*), anno præteriti ſæculi circiter decimo ſeptimo (*b*); fuitque proprio nomine, antequam religioſum Carmelitarum ingrederetur Ordinem, Petrus Foglia appellatus, Scipionis Fogliæ, & Victoriæ Corteſiæ filius. Adoleſcentulus, patre amiſſo, Neapolim profectus medicinæ operam dedit, in eaque facultate Doctor renunciatus fuiſſe dicitur (*c*). Sed brevi poſtea, quum longe aliud vitæ genus ſequi inſtituiſſet, minoribus Eccleſiæ ordinibus initiatus, Carmelitarum Excalcea-
1638 torum cœtui ſe addixit; apud quos, anno ætatis primo, & viceſimo, in Cœnobio S. Thereſiæ ejuſdem urbis religioſas veſtes induit, ac nomine de more commutato, Matthæus a S. Joſeph appellatus eſt (*d*).

1644 Anno poſtea ſæculi quarto, & quadrageſimo, facta virorum aliquot illius Ordinis ad Orientales terras miſsione, una & ipſe profectus eſt, Sacerdotii gradum jam adeptus, propagandæque inter barbaras gentes Catholicæ religionis incredibili jamdudum flagrans deſiderio. Ac primo quidem in Syriam maritimo itinere advectus, Carmelum Palæſtinæ montem vetuſtiſsimam Ordinis ſedem adivit, unde brevi digreſſus ad Libanum perrexit, quo etiam in monte religioſiſsimum Cœnobium ab aliquot annis incolere cœperant Excalceati Carmelitæ. Ibi cum ſuis collegis quinquennium habitavit, quum Vicarii nomine

(*a*) *Patriam hujus Viri alii Regium Lepidi fuiſſe, alii Neapolim ipſam falſo prodiderunt.* (*b*) *Conſtat in Orientales terras profectum anno* 1644. *ætatis* 27. (*c*) *Vincent. a S. Cathar. Sen. in libro, qui inſcribitur* Viagg. all' Ind. Orient. *pag.* 181. (*d*) *Devinxit ſe votis ſolemnibus die* 25 *Septembris* 1639 *vocatus eſt autem Matthæus a S. Joſeph, non Joannes Matthæus, ut a quibuſdam ſcriptum eſt.*

mine præeſſet omnibus, is qui domicilii in Libano condendi ſuis auctor fuerat, Cœleſtinus a S. Liduina Petrus Golius antea dictus, Hagæ Comitum in Batavia natus, Jacobi Golii eruditiſsimi ac celeberrimi Viri frater. Golius qui Orientales linguas in Academia Lugdunenſi Batava profitebatur, & qui etiam in herbarum cognitione non mediocriter verſatus erat, literas ad fratrem identidem dabat, petens ab eo, ut elegantiores Libani, finitimarumque regionum ſtirpes, vel earum certe imagines ad ſe mitteret; inprimis vero, ut Arabicarum vocum, quibus iis in locis nominari ſolent, ſignificationem erueret. Cœleſtinus hoc ſibi vehementer occupato difficilius fore cernens, Matthæum a S. Joſeph collegam ſuum in partem laboris vocavit, hunc eſſe præ ceteris idoneum exiſtimans, qui neque ignarus omnino eſſet, ac rudis delineandi, Medicinæ vero, ac Botanicæ ſtudiis in Europa jam olim deditus fuiſſet: neque recuſavit ille, quominus Cœleſtino, ejuſque fratri morem gereret; deſtinavitque propterea huic ſtudio ſubciſivas horas, quas a muneribus ſacris vacuas habebat. Interjecto tempore e Libano uterque diſceſſit; ac Cœleſtinus quidem in Europam reverti juſſus, Matthæus in Perſidem, & ulteriorem Indiam proficiſci: qui ſtatim ac literas Roma accepit, longum iter ac difficile in- 1649
greſſus, per Syriam, & Meſopotamiam, Arabiæque fines Balſoram (*a*) Chaldææ civitatem pervenit: inde, ut ex literis quibuſdam collegimus, in vicinam quoque Perſidem excurrit; verum in ea regione non admodum diu moratus Balſoram reverſus eſt, ac per Ormuſienſem ſinum in Indiam minus proſpera valetudine uſus navigavit. In Guzaratenſi provincia aliquandiu verſatus, domicilium ſibi elegit ignobilem quendam Luſitanicæ ditionis locum prope urbem Daman, quæ eſt ultra Suratem, ibique tandiu fuit, quoad ipſi a Summo Pontifice, ſuique Ordinis Moderatoribus imperatum eſt ab eo loco diſcedere, inque Malabarum terras, & ultimas illius regionis oras tranſire.

Chriſtiani S. Thomæ ulteriorem Indiam, ac præcipue Malabariam habitabant, indigenæ vetuſtiſſimi, quos a S. Thoma Apoſtolo primis temporibus inſtitutos, Neſtorianorum deinde per univerſum Orientem diſſeminati errores, ab orthodoxa fide, ac legitimo erga Romanum Pontificem obſequio alienaverant. Divulſi ab Eccleſia, inque ſuis opinionibus pertinaciter obfirmati, fere ad initium perſtiterant ſæculi præteriti; quo tem-

e pore,

(*a*) *Balſora rectius fortaſſe Baſſora incolis Baſràm.*

pore, Luſitanis per Indiam late dominantibus, Vir ſummæ pietatis ac doctrinæ Alexius Menezius Goenſis Archiepiſcopus, in Malabariam profectus, extirpatis praviſſimis erroribus, Catholicæ doctrinæ veritatem jamdudum apud eos oppreſſam, ac propemodum extinctam feliciter ſuſcitavit. Sed anno poſt quinquageſimo, Alexio, & qui Malabaricæ Eccleſiæ ab eo deſtinati præfuerant mortuis, ad perverſitatem illius ſectæ rurſus inclinaverunt. Archidiaconus quidam illius gentis, ambitioſus homo ac temerarius, veritus ut in eo qui tum erat rerum ſtatu dignitatem malis artibus partam ſatis tueri poſſet, everſionem haud ita pridem conſtitutæ Religionis nefariis conſiliis moliri cœperat; quem pauci initio ſecuti, multitudinem ipſam ad illius partes facile trahebant: ex quo non aliud expectandum videbatur, quam ut brevi ſe tota natio priſtinis erroribus, damnatiſque olim ac rejectis Neſtorianorum ritibus implicaret. Quæ mala avertere cupiens Alexander VII. P. M. de ſalute illius populi vehementer ſollicitus, excitatus etiam frequentibus ex Malabaria literis, eorum qui conſtantiores in fide permanebant, ad reliquorum animos confirmandos, & eos qui defecerant Eccleſiæ reſtituendos, Carmelitas Excalceatos, quorum erat multis argumentis explora-
1656 ta pietas, in Indiam juſſit proficiſci (*a*). Primi ex omnibus miſſi ſunt Joſeph a S. Maria, & Vincentius a S. Catharina Senenſi, imperatumque iis ut Matthæum a S. Joſeph in India commorantem ſibi adjungerent; qui ubi Collegas ſuos Suratem adveniſſe, ſeque iis deſtinatum ſocium audivit, nulla mora properavit ab ea urbe venientibus occurrere. Exceptus incredibili gaudio in Malabariam longiſſimæ peregrinationis finem eoſdem proſecutus eſt; ibique ſtatim cum ipſis Religionis Catholicæ integritati reſtituendæ, quæ cauſſa tam laborioſi itineris fuerat, operam dare cœpit. Multæ illis quidem fuerunt ſuperandæ difficultates, multa etiam ſubeunda pericula, quum & inſidiis ab Archidiacono haud ſemel petiti eſſent, nec ſine maxima contentione perditis illius conatibus reſiſtere poſſent: ſed ad extremum cum iis, quos nominavi, tum aliis, qui anno poſt ex Europa vene-
1657 rant (*b*), pietatis, & conſtantiæ fructum colligere datum fuit. Rebus compoſitis, ceteri quidem in Italiam reverſi ſunt, Matthæus religioni illius populi moderandæ in Regno Cochinenſi reli-

(*a*) *De his omnibus copioſe agit Vincentius a S. Catharina Senenſi.*

(*b*) *Hyacinthus a S. Vincentio Miſſionis illius Præfectus, & Marcellus a S. Ivone.*

relictus, nominatuſque Archiepiſcopi Goenſis Coadiutor. Conceſſum etiam ipſi eſt a Summo Pontifice, ut quamvis Sacerdos eſſet, medicinam inter eas gentes exercere poſſet (*a*), faciliorem ſibi aditum hac ratione ad barbaros illos ſanctiſſimis Religionis noſtræ præceptis inſtituendos comparaturus.

Et quoniam in iis locis herbarum uſu omnis fere conſtat medicina, cognitionem earum ſtudioſe conſectari debuit. Itaque occaſione itinerum, quæ haud infrequenter faciebat, ſtirpes omnes ſibi occurrentes obſervabat, ac de virtutibus earum peritiores incolas percontatus, in commentariolum quæ didicerat referebat omnia, unius plerumque folii, ac floris delineatione adjecta. Satisfacturus deinde literatis, quos in Europa amicitia ſibi conjunctos habebat, quando vel propter exundationes, quæ in India pluvioſis menſibus maximæ habentur, vel propter defatigationem, continere ſe domi cogebatur, imagines, quas iter faciens deſcripſerat ampliori forma, juxta faciem totius plantæ ſcriptorio calamo delineabat: erat enim ſingulari prorſus memoria, ut ex unius folii, ac floris figura, qualis integra eſſet plantæ ſpecies in mentem revocare poſſet. Sexcentas prope ex his imaginibus aliquot libris diſtributas in Bataviam mittere ad Jacobum Golium inſtituerat, eaſque propterea viris quibuſdam ſui Ordinis in Europam redeuntibus dedit. Sed mortuo interim Golio, ad 1667
Cœleſtinum ejus fratrem Romæ commorantem libri allati ſunt, qui ſtatim Hiſtoriam Indicarum ſtirpium conficere aggreſſus eſt, Viridarii Orientalis nomine editurus. Alium deinde libellum miſit idem Matthæus ad Michaelem a S. Eliſeo, qui pharmaceuticam inter ſui Ordinis viros Mediolani faciebat, non propria quidem manu delineatum, ſed ab alio quodam tranſcriptum; etſi parum feliciter, neque prorſus ex ipſius Auctoris ſententia. Libellum hunc Jacobo Zanonio familiari ſuo, quem rariorum ſtirpium Hiſtoriæ conſcribendæ intentum ſciebat, Michael dono miſit (*b*). Poſtremo etiam Valerius a S. Joſeph biennio poſt 1669
reverſus ex India, volumina quædam ſimillima iis, quæ Jacobo Golio deſtinata fuerant, ſecum attulit; eaque & ipſe, quum pertranſiret Bononia Romam petens, roganti Zanonio tradidit (*c*). De hoc certior factus Cœleſtinus a S. Liduina, ſta- 1671

(*a*) *Vincent. a S. Cathar. Sen. pag.* 181. (*b*) *Catalogus plantarum, hujus libelli extat in Hiſtoria Botanica Zanonii edita* 1675 *pag.* 17. (*c*) *Catalogus plantarum, quæ in his commentariis delineatæ ſunt, extat in eadem Zanonii Hiſt. pag.* 24.

tim ad Zanonium ſcripſit, eumque hortatus eſt ad Viridarii Orientalis, quod ipſe elaborabat, editionem ſuſcipiendam, additis imaginibus, quas nuper ex India Valerius a S. Joſeph attuliſſet; modo ut impenſæ neceſſariæ a Zanonio fierent, ſeſe quæ a Matthæo acceperat, & quæ ipſe notaverat brevi traditurum. Ac initio quidem hoc inter eos convenerat, Auctore ipſo, qui de his rebus a Zanonio per literas monitus fuerat, non repugnante; mox variis, ut fit, exortis difficultatibus, res eo devenit, ut conſilium edendi hujus operis poneret Zanonius, commentarios omnes, chartaſque a Valerio acceptas ad Cœleſtinum mitteret, ab eo tantum peteret, ut imagines aliquot plantarum, quæ jam eſſent inciſæ inter ceteras Hiſtoriæ Botanicæ tabulas, quas propediem editurus erat, ponere liceret. Neque hoc impetrare difficile fuit, ſed interim vix fieri potuit, quin error aliquis
1675 in deſcriptionibus exiſteret; neque enim editionis tempore commentarios Matthæi apud ſe habebat Zanonius, quos elapſo denique triennio, poſt mortem Cœleſtini a S. Liduina, non paucis imaginibus deficientibus, nonnullis etiam adjectis, recuperavit.

Ac Viridarium quidem illud Orientale nunquam poſtea editum eſt, ſed hanc jacturam facile compenſavit Hortus Indicus Malabaricus, ſplendidum ac magnificum opus, plantas illius regionis duodecim voluminibus complectens. Henricus Rheedius Draakenſteinius auctor fuit, generoſus homo ac nobilis, locorum quæ illuſtris Fœderati Belgii Societas Indica in Malabaria poſſidet Gubernator. Quanquam ipſe in ſui muneris adminiſtratione occupatiſſimus, neque ſatis in hac ſcientia verſatus, doctis quibuſdam viris ac literatis, qui manus operi admoverent neceſſario uti debuit; inter quos vel inprimis fuit Matthæus a S. Joſeph. Hunc ille & initio ad ſe Cochinum accerſivit, non enim longe habitabat, deliberaturus cum ipſo de ratione illius rei, quam meditabatur, exequendæ, hunc ſæpiſſime poſtea in conſilium adhibuit, hunc denique in progreſſu laboris ac ſtudii participem eſſe voluit; primo in delineandis plantarum imaginibus, deinde, ubi hoc a quattuor pictoribus celerius & commodius perficiebatur, in virtutibus earum, quarum erat peritiſſimus, deſcribendis, ſuiſque locis annotandis. Quocirca merito & ipſe inter auctores illius Operis ſemper connumeratus eſt, primique voluminis initio epiſtola quædam illius fuit proœmii loco edita (*a*): quin etiam Rheedius ipſe in præ-

(*a*) *Data eſt Cochini die* 21 *Aprilis anni* 1675.

præfatione tertii voluminis hæc de illo veriſſime affirmare potuit. *Huic viro honeſtiſſimæ vitæ, & non fucatæ pietatis gratias quas poſſumus maximas habemus, qui nos adeo candide, fideliter, & improbo labore juvit. Quin imo in eum finem Optimi hujus Viri mentionem facimus, ut oſtendamus memoriam ejus apud nos eſſe & fore ſemper venerandam, ejus in nos amorem & voluntatem grata recordatione recolendam: hunc inquam primum hujus Horti conditorem, & auctorem, nec non in progreſſu ſedulum cultorem ingenue profitemur.*

Ex his verbis ſatis, ut opinor, colligitur quantam ſibi vel humanitatis, vel doctrinæ, vel pietatis laudem conciliaverit Matthæus a S. Joſeph; qui etſi nomine ſuo nihil edidit, multa tamen vel in Horto Malabarico, vel in Zanonianis extant libris, quorum ille præcipuus auctor exiſtimandus eſt: quibus hoc etiam addere poſſumus, quæ de Orientalis Indiæ plantis in ſuis itineribus poſuit Vincentius a S. Catharina Senenſi, eodem ex fonte, ideſt ex Matthæi commentariis eruta eſſe (*a*). Sexagenarius is quidem erat, aut non multo major quando 1678
Hortus Malabaricus prodire cœpit, ex quo tempore propagationi Religionis unice intentus, de priſtinis ſtudiis non amplius fuit ſollicitus: habebat enim, quibus aſſidue occuparetur mille & quadringentos vicos, centum ac viginti Eccleſias ſuæ curæ & vigilantiæ commendatas (*b*). Ætate jam gravis, confectuſque perpetuis laboribus, Malabaricam provinciam ſucceſſori tradidit, ipſe in citeriorem Indiam ſeceſſit. Cognitum eſt hoc ex libris defunctorum, quos Carmelitæ Excalceati Romæ ſervant, in quibus Matthæus a S. Joſeph non in Malabaria, ſed in ditione Magni Mogolis deceſſiſſe traditur. Vixit autem uſque ad annum præteriti ſæculi primum & nonageſimum, qui erat illius 1691
ætatis quartus & ſeptuageſimus, fuitque in Orientalibus terris ſex annos & quadraginta. Locus illius mortis, ut mihi affirmarunt graviſſimi Viri ejuſdem Ordinis, Tatta civitas fuit, quæ eſt in provincia Sindi, non longe ab oſtio Indi fluvii; quippe ibi unicum domicilium eſt, quod Carmelitæ Excalceati in Mogolitano habeant Imperio.

AUCTO-

(*a*) *A pagina* 355 *uſque ad pag.* 396. (*b*) *Ex literis quas ad Zanonium ſcripſit anno* 1673 *die* 25 *Aprilis: datæ ſunt ex loco qui dicitur* Warapouli, *de quo ſæpe fit mentio in Horto Malabarico.*

AUCTORUM NOMINA

primis tantum literis enunciata ſic intelligenda ſunt.

Acoſt. Trattato di Criſtoforo Acoſta della Iſtoria delle Droghe, Venezia 1585 in 4.
Acoſt. edit. Cluſ. Chriſtophori Acoſtæ Aromatum Hiſtoria Caroli Cluſii opera latina facta. Antuerpiæ 1605 in fol.
Aldrov. de Monſtr. Ulyſſis Aldrovandi Monſtrorum Hiſtoria. Bonon. 1642 in fol.
Alp. de Pl. Ægypt. Proſperi Alpini de Plantis Ægypti. Patavii 1640 in 4.
Alp. Exot. Proſperi Alpini de Plantis Exoticis. Venetiis 1627 in 4.
Amm. Char. Pauli Ammanni Character Plantarum generalis. Francofurti 1701 in 12.
Anguill. Semplici di Luigi Anguillara, Venezia 1561 in 8.
Barrel. Obſerv. Jacobi Barrelieri Plantæ per Galliam, Hiſpaniam, & Italiam obſervatæ. Pariſ. 1714 in fol.
Barrel. Ic. Barrelieri Icones Plantarum. ibidem in fol.
Bartholom. Ambroſ. Pan. Bartholomæi Ambroſini Panacea ex Herbis quæ a Sanctis denominantur. Bonon. 1630 in 8.
Belluc. Ind. vel *Cat.* Thomæ Belluccii Index Horti Piſani, Florentiæ 1662 in 12.
Bocc. Muſ. Muſeo di Piante rare di Paulo Boccone. Venezia 1697 in 4.
Bocc. Rar. Pauli Bocconi Icones & Deſcriptiones rariorum Plantarum. Oxonii 1674 in 4.
Boer. Ind. alt. Hermanni Boerhaave Index alter Plantarum, quæ in Horto Lugduno-Batavo aluntur. Lugduni Batav. 1720 in 4.
Bont. Hiſt. Nat. & Med. Ind. Jacobi Bontii Hiſtoriæ Naturalis & Medicæ Indiæ Orient. libri ſex. Amſtelodami 1658 in fol.
Bot. Monſp. V. *Magnol Bot. Monſp.*
Breyn. Cent. Jacobi Breynii Exoticarum Plantarum Centuria prima. Gedani 1678 in 4.
Breyn. Prod. I. Breynii Prodromus primus. Gedani 1680 in 4.
Breyn. Prod. II. Breynii Prodromus ſecundus. Gedani 1689 in 4.
Breyn. Prod. edit. 1739. Breynii Prodromus primus & ſecundus conjunctim editi. Gedani 1739 in 4.
Brunſf. Othonis Brunsfelſii Herbarum vivæ Icones. Argentinæ 1530 in fol.
Cæſalp. Andreæ Cæſalpini de Plantis. Florentiæ 1583 in 4.
Cam. Epit. Matth. Joachimi Camerarii Epitome Matthioli. Francof. 1588 in 4.
Cam. Hor. Camerarii Hortus Medicus & Philoſophicus. Francof. 1588 in 4.
Caſt. Dur. Erbario nuovo di Caſtore Durante. Venezia 1602 in fol.
C. B. Phytop. Caſpari Bauhini Phytopinax. Baſileæ 1596 in 4.
C. B. Pin. Caſpari Bauhini Pinax Theatri Botanici. Baſileæ 1671 in 4.
C. B. Prod. Caſpari Bauhini Prodromus Theatri Botanici. Baſileæ 1671 in 4.
C. B. Theat. Caſpari Bauhini Theatri Botanici Liber I. Baſileæ 1663 in fol.
Chomel Abreg. Abregé de l'Hiſt. des Plantes uſuelles par J. B. Chomel. Pariſ. 1730 in 12. Tom. III.
Cluſ. Exot. Caroli Cluſii Exoticorum Libri X. Antuerpiæ 1605 in fol.
Cluſ. Hiſp. Cluſii rariorum Plantarum per Hiſpaniam obſervatarum Hiſtoria. Antuerpiæ 1576 in 8.
Cluſ. Hiſt. Cluſii rariorum Plantarum Hiſtoria. Antuerpiæ 1601. in fol.
Cluſ. Pann. Cluſii rariorum Plantarum per Pannoniam obſervatarum Hiſtoria. Antuerpiæ 1583 in 8.
Col. Fabii Columnæ minus cognitarum Stirpium Ecphraſis. Pars I. Romæ 1606. Pars II. 1616 in 4.
Commel. Fl. Malab. Caſpari Commelini Flora Malabarica, Lugd. Bat. 1696 in 8.
Commel. Not. H. Malab. Joannis Commelini Notæ in Hortum Malabaricum.
Cord. Hiſt. Valerii Cordi Hiſtoriæ Stirpium Libri IV. Argentinæ 1561 in fol.
Cord. in Dioſc. Cordi in Dioſcoridis Libros Annotationes. Argentinæ 1561 in fol.
Dillen. H. Eltham. Jo. Jacobi Dillenii Hortus Elthamenſis. Londini 1732 in fol.
Dill. Cat. Giſs. Dillenii Catalogus Plantarum circa Giſſam naſcentium. Francofurti 1719 in 12.
Dioſc. ex interpr. Marc. Verg. Dioſcoridis Opera interprete Marcello Vergilio. Florentiæ 1518 in fol.
Dioſc. ex interpr. Ruell. Dioſcoridis Opera Joanne Ruellio interprete. Pariſiis 1516 in fol.
Dodart Mem. Hiſt. Plant. Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Plantes par M. Dodart. Paris 1676 in fol.
Dodon. Pempt. Remberti Dodonæi Stirpium Hiſtoriæ Pemptades ſex. Antuerpiæ 1616 in fol.
Fl. Lugd. Bat. V. *Herm. Fl. Lugd. Bat.*
Fuchſ. Hiſt. Leonardi Fuchſii de Hiſtoria Stirpium. Lugduni 1549 in fol.
Garz. edit. Cluſ. Garziæ ab Orta Aromatum Hiſtoria Caroli Cluſii opera latina facta. Antuerpiæ 1605 in fol.
Georg. a Turr. Cat. Plant. H. Pat. Georgii a Turre Catalogus Plantarum Horti Patavini. Patavii 1660 in 12.
Ger. Emac. Joannis Gerardi Hiſtoria Plantarum emaculata. Londini 1597 in fol.
Geſn. H. Germ. Conradi Geſneri Horti Germaniæ. Argentinæ 1661 in fol.
Grisl. Virid. Luſit. Gabrielis Grisleii Viridarium Luſitanicum. Olyſſipone 1661 in 12.
Heiſt. Deſign. Plant. Laurentii Heiſteri Deſignatio Plantarum Horti Academiæ Juliæ. Helmſtadii 1731 in 8.
Herm. Fl. Lugd. Bat. Fl. Pauli Hermanni Floræ Lugduno-Batavæ Flores. Lugduni Batav. 1690 in 8.
Herm. H. L. Bat. Hermanni Catalogus Horti Lugduno-Batavi. Lugd. Bat. 1687 in 8.

Herm.

Herm. Muſ. Zeyl. Hermanni Muſæum Zeylanicum. Lugd. Bat. 1717 in 8.
Herm. Parad. Bat. Hermanni Paradiſus Batavus. Lugd. Bat. 1698 in 4.
Herm. Prod. Par. Bat. Hermanni Prodromus Paradiſi Batavi. Amſtelodami 1689 in 12.
Hernand. Franciſci Hernandez Nova Plantarum, Animalium, & Mineralium Mexicanorum Hiſtoria. Romæ 1651 in fol.
Hiſt. Plant. Lugd. Hiſtoria Generalis Plantarum. Lugduni 1587 in fol.
Hon. Bell. Epiſt. ad Clus. Honorii Belli Epiſtolæ ad Cluſium: extant cum *Hiſt. Rar. Plant.* ejuſdem Cluſii.
H. Cathol. Franciſci Cupani Hortus Catholicus. Neapoli 1696 in 4.
H. Eyſtett. Hortus Eyſtettenſis. Norimbergæ 1613 in fol. Tom. II.
H. Lugd. Bat. V. *Herm. H. Lugd. Bat.*
H. Malab. Hortus Indicus Malabaricus. Amſtelodami ab anno 1678 uſque ad annum 1693 in fol. Tom. XII.
H. Mauroc. Catalogus Plantarum Horti Mauroceni. Patavii 1713 in 8.
H. Piſ. V. *Till. Cat. H. Piſ.*
H. R. Bleſ. V. *Moriſ. H. R. Bleſ.*
H. R. Monſp. V. *Magnol H. R. Monſp.*
H. R. Paris. Hortus Regius Pariſienſis. Pariſiis 1665 in fol.
Hyac. Ambroſ. Phytol. Hyacinthi Ambroſini Phytologiæ Liber I. Bononiæ 1666 in fol.
J. B. Joannis Bauhini Hiſtoria Plantarum univerſalis. Ebroduni 1650 in fol. Tom. III.
J. B. de Plant. a Div. nom. hab. Joannis Bauhini de Plantis a Divis Sanctiſve nomen habentibus. Baſileæ 1591 in 8.
Lael. Triumph. ap. Fr. Laelii Triumphetti Catalogus Plantarum cum Obſervationibus Jo. Baptiſtæ fratris editus.
Leri. Hiſtoire d' un voyage fait en la terre de Breſil par Jean Leri. Paris 1578 in 8.
Lettr. Namur. Lettres d'un Médecin des Hôpitaux du Roy a un autre Médecin &c. Namur 1710 in 4.
Linn. Gen. Plant. Caroli Linnæi Genera Plantarum &c. Lugduni Batavorum 1737 in 8.
Linn. H. Cliffort. Linnæi Hortus Cliffortianus. Amſtelodami 1737 in fol.
Lob. Adv. Matthiæ Lobelii, & Petri Penæ Adverſaria nova Stirpium. Antuerpiæ 1575 in fol.
Lob. Ic. Lobelii Plantarum Icones. Antuerpiæ 1581 in 4. longioris formæ.
Lob. Obſ. Lobelii Plantarum Hiſtoria: vulgo Obſervationes. Antuerpiæ 1576 in fol.
Magnol Bot. Monſp. Petri Magnol Botanicum Monſpelienſe. Monſpelii 1689 in 8.
Magnol H. R. Monſp. Hortus Regius Monſpelienſis. Monſpelii 1697 in 8.
Magnol Nov. Charact. Novus Character Plantarum. Monſpelii 1720 in 4.
Marcgrav. Georgii Marcgravii Hiſtoriæ Rerum Naturalium Braſiliæ Libri VIII. Lugd. Bat. 1648 in fol.
Mart. Cat. Plant. Bartholomæi de Martinis Catalogus Plantarum inventarum in itinere ad Baldum. Veronæ 1707 in 4.
Matth. edit. Bauh. Petri Andreæ Matthioli Opera a Caſparo Bauhino illuſtrata. Baſileæ 1674 in fol.
Matth. Ital. Diſcorſi di Pietro Andrea Mattioli ſopra Dioſcoride. Venezia 1604 in fol.
Mauric. Hofm. Fl. Altdorff. Mauricii Hofmanni Floræ Altdorffinæ Deliciæ hortenſes. Altdorffi 1677 in 4.
Mentz. Pug. Chriſtiani Mentzelii Pugillus Rariorum Plantarum. Berolini 1672 in fol.
Merr. Pin. Brit. Chriſtophori Merret Pinax rerum naturalium Britannicarum. Londini 1667 in 8.
Mich. Nov. Gen. Petri Antonii Michelii Nova Plantarum Genera. Florentiæ 1729 in fol.
Miſcell. Nat. Cur. Miſcellanea Academiæ Naturæ Curioſorum in 4.
Montalb. H. Botanogr. Ovidii Montalbani Hortus Botanographicus. Bononiæ 1660 in 8.
Mont. Cat. Stirp. Prod. Joſephi Montii Catalogi Stirpium Agri Bononienſis Prodromus. Bononiæ 1719 in 4.
Moriſ. Hiſt. Oxon. Roberti Moriſoni Plantarum Hiſtoriæ univerſalis Oxonienſis Pars II. Oxonii 1680. Pars III. 1699 in fol.
Moriſ. H. R. Bl. Moriſoni Hortus Regius Bleſenſis. Londini 1669 in 8.
Moriſ. Prælud. Moriſoni Præludia Botanica. Londini 1669 in 8.
Moriſ. Umb. Moriſoni Plantarum Umbelliferarum diſtributio. Oxonii 1672 in fol.
Munting. Phytogr. Abrahami Muntingii Phytographia curioſa. Amſtelodami 1696 in fol.
Nat. de Lim. Citr. Petri Nati Phytologica Obſervatio de Malo Limonia Citria Aurantia. Florentiæ 1674 in 4.
Nut. Faſcic. Michaelis Nutii Faſciculus ſive Elenchus Herbarum. Venetiis 1678 in 12.
Odon. in Theophr. Cæſaris Odoni Theophraſti ſparſæ de Plantis ſententiæ in continuam ſeriem diſpoſitæ. Bonon. 1561 in 4.
Parad. Bat. V. *Herm. Parad. Bat.*
Park. Theat. Joannis Parkinſoni Theatrum Botanicum. Londini 1649 in fol.
Piſ. Guillielmi Piſonis Hiſtoria Naturalis Braſiliæ. Amſtelodami 1658 in fol.
Piſ. Mant. Arom. Piſonis Mantiſſa Aromatica. Amſtelodami 1658 in fol.
Pluk. Almag. Leonardi Plukenetii Almageſtum Botanicum. Londini 1696 in fol.
Pluk. Phytogr. Plukenetii Phytographia. Londini 1691 in fol.
Plum. Nov. Gen. Caroli Plumierii Nova Plantarum Americanarum genera. Pariſiis 1703 in 4.
Pom. Hiſt. Drog. Hiſtoire generale des Drogues par le Sieur Pierre Pomet. Paris 1696 in fol.

Pon.

Pon. Bald. Monte Baldo deſcritto da Giovanni Pona. Verona 1617 in 4.
Ponted. Anth. Julii Pontederæ Anthologia. Patavii 1720 in 4.
Ponted. Diſſert. Julii Pontederæ Diſſertationes. Patavii 1720 in 4.
Rai. Hiſt. Joannis Raii Hiſtoria Plantarum. Tom. II. Londini 1686 in fol. Tomus tertius 1704 ibidem in fol.
Rai. Syllog. Raii Stirpium Europearum extra Britanniam naſcentium Sylloge. Londini 1694 in 8.
Riv. de Irreg. Monop. Tetrap. Pentap. Auguſti Quirini Rivini Ordines Plantarum flore irregulari monopetalo, tetrapetalo, pentapetalo. Lipſiæ 1690, 1691, 1699 in fol.
Roy. Fl. Leyd. Prod. Hadriani Van Royen Floræ Leydenſis Prodromus. Lugd. Bat. 1740 in 8.
Ruell. Joannis Ruellii de natura Stirpium. Baſileæ 1537 in fol.
Rupp. Henrici Bernardi Ruppii Flora Jenenſis. Francofurti 1718 in 12.
Scheuchz. Agroſt. Joannis Scheuchzeri Agroſtographia. Tiguri 1719 in 4.
Semmed. Hiſt. Var. Simpl. Joannis Curvi Semmedi Pugillus Rerum Indicarum quo comprehenditur Hiſtoria variorum Simplicium. Vittembergæ 1722 in 4.
Sloan. Cat. Hans-Sloane Catalogus Plantarum quæ in Jamaica ſponte proveniunt. Londini 1696 in 8.
Sloan. Hiſt. Nat. Jam. Sloane Hiſtoria Naturalis Jamaicæ. Anglice: a Voyage to the Islands &c. London 1707 in fol. Tom. II.
Syen Not. H. Mal. Arnoldi Syen Notæ in Hortum Malabaricum.
Tabern. Ic. Jacobi Theodori Tabernæmontani Icones Plantarum. Francof. 1588 in 4. longioris formæ.
Thal. Harc. Joannis Thalii Sylva Harcynia. Francofurti 1588 in 4.
Theophr. de cauſſ. Plant. Theophraſti de cauſſis Plantarum. Pariſiis 1550 in 4.
Theophr. Hiſt. Plant. Theophraſti de Hiſtoria Plantarum. Venetiis 1504 in fol.
Till. Cat. H. Piſ. Michaelis Angeli Tillii Catalogus Plantarum Horti Piſani. Florentiæ 1723 in fol.
Tour. I. R. H. Joſephi Pitton Tournefort Inſtitutiones Rei Herbariæ. Pariſiis 1700. Tom. III. in 4.
Tour. Coroll. Tournefort Corollarium Inſtitutionum Rei Herbariæ. Pariſiis 1705 in 4.
Tour. Voy. Relation d'un Voyage de Levant par M. Tournefort. Paris 1717. Tom. III. in 8.
Triumph. Obſ. vel *de Ort.* Joannis Baptiſtæ Triumphetti Obſervationes de Ortu ac vegetatione Plantarum. Romæ 1685 in 4.
Vaill. Bot. Pariſ. Sebaſtiani Vaillant Botanicon Pariſienſe. Lugd. Bat. 1727 in fol.
Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Vaillant in Commentariis Academiæ Regiæ. Gallice: Memoires de l'Academie Royale des ſciences. Paris in 4.
Veſling. Cat. H. Pat. Joannis Veslingii Catalogus Plantarum Horti Patavini. 1642 in 16.
Vinc. a S. Cath. Sen. Viaggio alle Indie Orientali del P. Vincenzo di S. Caterina da Siena. Venezia 1683 in 4.
Volk. Fl. Norimb. Joannis Georgii Volkameri Flora Norimbergenſis. Norimbergæ 1700 in 4.
Zannich. Iſt. Lid. Ven. Iſtoria delle Piante che naſcono ne' lidi intorno a Venezia di Gio: Girolamo Zannichelli, accreſciuta da Gio. Giacomo figliuolo dello ſteſſo. Venezia 1735 in fol.
Zan. Iſt. Bot. Iſtoria Botanica di Giacomo Zanoni. Bologna 1675 in fol.
Zan. Tab. Zanonius in Tabulis relictis poſt mortem, in Opere hoc nunc primum editis.

ABSYNTHIUM SANTONICUM JUDAICUM.

QUoniam initio ſuperioris Hiſtoriæ Zanonius exorſus eſt de Veterum Abrotano, ac de Seriphio eorundem Abſynthio dicere; nobis ea quoque in primis quæſtio aſſumenda eſt, ac ut breviſſime fieri poteſt explicanda; etſi rem plane obſcuram, difficilemque intelligo, quam vereor ut poſſim aperte, ac dilucide, & quo neceſſe eſt ordine expedire. *Tab.* 1. & 2.

Abſynthii quoddam genus in Syria, ac Judæa naſcitur, cujus ſemen jam inde a vetuſtiſſimis temporibus in Europam afferri conſuevit. Sanctum id ſemen, itemque Alexandrinum, & Lumbricorum ſemen dictum eſt, quod Alexandria Ægypti urbe, cum reliquis peregrinis mercibus convehatur, magnamque habere vim ad vermes humani corporis interficiendos exiſtimetur. Superiores Botanici ad Matthiolum uſque, ac Rauvolfium haud ſatis videntur iſtius herbæ faciem, externumque habitum cognoviſſe; primuſque inter omnes, quod conſtet, Matthiolus ejuſdem lineamenta effingere, ut potuit, conatus eſt, arido uſus ramulo, quem a Jacobo acceperat Cortuſo. Rauvolfius autem poſtquam a peregrinatione Aſiatica reverſus eſt, longe accuratiorem attulit, verioremque iſtius Abſynthii effigiem, e viva ſtirpe, quam in Judæa viderat expreſſam. Quas duas inter ſe imagines nonnihil differre cernens Caſpar Bauhinus, quo tempore Phytopinacem edidit, ſibi non liquere dixit utrum ejuſdem eſſent ſtirpis: idemque poſtea in Pinace Rauvolfianum Abſynthium ab eo, quod

ſemen Sanctum fundit, tanquam diſtinctum ſepoſuit, atque alterum ex his Judaicum, alterum vero Alexandrinum nuncupavit.

Porro non aliam a Rauvolfio ſtirpem delineatam eſſe, quam eam ipſam, ex qua ſemen Sanctum proficiſcitur, haud obſcure ex ipſius verbis colligi poteſt: *Circa Bethleem*, inquit, *provenit copioſum Abſynthii genus, foliis cinereis, quale eſt noſtratis: ramulis tenellis, multis, in quorum vertice ſemen copioſiſſimum eſt gravis odoris, qui nauſeam moveat etiam valde moleſtam, guſtu acre, ſalſum, amarum. Hanc plantam Arabes Scheha vocant. Semen hujus minutiſſimum eſt ſemen Zina lumbricis necandis utiliſſimum: quamobrem Semen contra vermes Mercatores, qui vendunt, & emunt, nuncupant* (*a*). Non igitur mirari debemus, quod Joannes Bauhinus a Fratre diſſentiens, hanc ſtirpem ab ea, quam depinxerat Matthiolus, ſejungendam non putaverit. Quanquam longe plures fuerunt, quos falſa alterius Bauhini opinio in errorem induxit, ut duo eſſe Abſynthii genera, quorum utrumque ſemen vermibus infeſtum gigneret, Alexandrinum nempe, & Judaicum exiſtimarent.

His quoque Zanonius, cum primam Hiſtoriæ ſuæ partem ederet, aſſenſus eſt: quippe Abſynthium illud Judaicum idem eſſe ac Seriphium Dioſcoridis ſtatuens; Alexandrinum poſtea nomine tantum diſcrepans, re ipſa conſentiens pro Abrotano mare ejuſdem Dioſcoridis exhibere cum Aloyſio Anguillara non dubitavit: prodiditque imaginem e Matthiolo depromptam (*b*), cui frondes inferiores ex particulis affinxit, quas forte Alexandrino ſemini permixtas repererat, eaſque ita diſpoſuit, ut Ptarmicæ cujuſdam, vel Millefolii ſpeciem præſeferrent. Quum enim perſuaſum ipſi eſſet Abrotano mari Dioſcoridis hanc ſtirpem congruere, ſimilitudinem quæſivit cum ea Ptarmica, quam fœminam eſſe Abrotanum ejuſdem Auctoris exiſtimaſſet (*c*). Hac igitur foliorum acceſſione, quæ prava jam erat, ac mendoſa imago, facta eſt prorſus commentitia, ut non mirum propterea videri debeat, ſi ab ea longe diſcrepet, quam ſecundum veritatem a Rauvolfio effictam, in ſuis etiam tabulis pro Seriphio Abſynthio idem ipſe Zanonius collocavit (*d*).

Tab. 2. *hujus libri.*

Tab. 1. *hujus libri.*

In altera quam meditabatur Hiſtoriæ ſuæ editione, rebus omnibus accuratius exploratis, a priſtina ſententia diſceſſurus fuerat: nam & particulas foliorum Alexandrino ſemini admix-

tas

(*a*) *Hiſt. Lugd. App.* 36. (*b*) *Iſt. Bot. Tab.* 1. (*c*) *Iſt. Bot. pag.* 6. (*d*) *Iſt. Bot. Tab.* 14.

tas eadem ratione ac vulgaris Abſynthii frondes diſponendas cognoverat; cumque Alexandrinum Abſynthium a Judaico non differre poſtremo didiciſſet, conſentaneum putavit ad Seriphium Dioſcoridis Abſynthium, non autem ad Abrotanum eam ſtirpem referre. Dioſcorides enim Seriphium Abſynthium ad hunc modum deſcripſit. *Fruticoſa herba eſt minori Abrotano ſimilis, ſemine onuſta, leni amaritudine, ſtomacho inimica, graviſſime odorata, cum caliditate aliqua adſtringens. Ea per ſe, vel cum Oryza decocta, mox cum melle ſumpta aſcaridas, & rotundos lumbricos necat, alvum ſimul leniter dejiciens: eadem poteſt obſoniis addita, aut cum lenticula decocta* (*a*). Is locus eſt a Marcello Vergilio, quem inter ceteros interpretes maxime probavit Zanonius, de græco in latinum converſus.

Semen Sanctum Alexandria quidem Venetias adfertur, non autem in locis Alexandriæ finitimis gignitur, quemadmodum nobis quinquennio abhinc vir quidam narrabat iſtarum rerum peritiſſimus, Cayri in Ægypto natus, Pharmacopola ipſe, & Pharmacopolæ filius. Sanctum porro hoc ſemen alii nuncupatum putant a ſingulari præſtantique virtute, alii id nomen a Santonico ductum cenſent, quaſi hoc Abſynthium pro Santonico uſurpari cæperit, quod a Santonibus Galliæ populis, apud quos gignebatur, ſic appellatum eſſe Dioſcorides ſcriptis mandavit. Uſus illius haud ita frequens apud nos eſt, quemadmodum olim fuit: ſaccharo autem obduci, pueriſque comedendum ad vermes necandos exhiberi ſolet. Zanonius in ſe ipſo periclitatus eſt pulverem Alexandrini ſeminis mane, ac veſpere in vino meraciore hauſtum difficultati reſpirationis mederi, eundemque leniter purgare; poſtremo etiam in femorum doloribus ſpectatam illius utilitatem eſſe affirmat.

Supereſt modo, ut varia percenſeam nomina, quibus Abſynthii hæc ſpecies in Botanicorum libris memorata occurrit: quod etſi in hac ſtirpe ad conciliandas inter ſe Auctorum ſententias prolixius facio; in reliquis uſque eo copioſus ero, quoad neceſſarium fore videbitur.

Abſynthium Santonicum, Judaicum C. B. *Pin.* 139. *Raii. Hiſt. I.* 369. *Moriſ. Hiſt. Oxon. Part.* 3. *pag.* 8. *Vaill. Mem. Acad. Pariſ. ann.* 1719 *pag.* 283.

Scheba Arabum, Abſynthii genus Hiſt. Lugd. App. 36.

(*a*) *Lib. III. cap.* 25.

Abſynthium peregrinum, unde ſemen lumbricorum colligitur C. B. *Phytop.* 238.
Aſſenzo ſerifio vero di Dioſcoride Zan. Iſt. Bot. pag. 37.
Abſynthium Halepenſe, tenuifolium, grati odoris, coma delicatiore. Pluk. Almag. Bot. pag. 2. *Phytogr. tab.* 73. *fig.* 2. *Tour. I. R. H.* 458. *Raii Hiſt. III.* 231.
Abſynthium Syriacum minus, brevioribus foliis, coma multiplicata, tenuiſſima. Moriſ. Hiſt. Oxon. Part. 3. *pag.* 8.
Abſynthium tenuifolium, Syriacum, ſive Santonicum ſpurium, coma tenuiſſima. Moriſ. Hiſt. Oxon. Part. 3. *ſect. VI. tab.* 1. *fig.* 9.
Item
Abſynthium Santonicum, Alexandrinum C. B. *Pin.* 139. *Raii Hiſt. I.* 368. *Moriſ. Hiſt. Oxon. Part.* 3. *pag.* 7.
Seme Santo, ovvero Semenzina Matth. Ital. 727.
Abrotano maſchio Anguill. 167.
Semen Sanctum Lobel. Ic. 756. *Bartholom. Ambroſ. Panac.* 61.
Sementina Dod. Pempt. 27.
Semen Sanctum, Scheba Arabum Camer. Epit. Matth. 457.
Sementina Santonicum Tabern. Ic. 6.
Sanctum ſemen I. B. de Pl. a Div. nom. hab. 82.
Abſynthium Seriphium Alexandrinum C. B. Phytop. 237.
Semen Sanctum, ſive Semenzina Matth. Edit. Bauh. 511.
Lumbricorum ſemen I. B. III. part. 1. 180.
Abrotano maſchio vero di Dioſcoride Zan. Iſt. Bot. pag. 1.

Artemisia Santonicum. 2.

ACETOSA TUBEROSA RADICE.

Tab. 3. ACetoſæ a Zanonio non paucæ obſervatæ ſunt, eæque partim in ſuperiori libro deſcriptæ, partim in alterum Hiſtoriæ volumen reſervatæ. Has omnes pertractare ingredimur, initium ab ea facientes, quam a radicum ſimilitudine tuberoſam, a loco autem originis Raguſinam, ſive Epidauricam nominavit. Hanc ille ſtirpem ceteris ignotam eſſe exiſtimans, tanquam novam in veteri Hiſtoria propoſuit, addita illius imagine, ac deſcriptione, quam ſic fere expreſſimus.

E radice hujus herbæ multæ emergunt frondes, magnitudine ac forma Oxalidis vulgaris, ſive Acetoſæ foliis perſimiles; inter quas caulis attollitur duos cubitos altus, prope radicem purpureus, reliqua ex parte viridis, cavus, flexibilis, ac mollis.

Quæ

Quæ ad inferiora genicula exiſtunt folia, brevibus cauliculis nixa ſunt; quæ autem ſuperioribus adhærent, geminis pinnulis bifariam procedentibus ſcapum complexa, pedunculis carent. Summa caulis pars in ramos dividitur minutiſſimis floribus, ac muſcoſis onuſtos, quorum forma propter exilitatem ſatis accurate deſcribi vix poteſt: ſunt autem ex tenuiſſimis foliis compoſiti, & ſtaminibus purpureis pleni. Areſcentibus floribus accreſcunt folliculi, ex tribus membranis tenuibus conſtantes, ſemenque involventes nigrum, triangulare, ac nitidum. E radicis capite copioſæ prodeunt fibræ, quarum nonnullæ ad procreandas novas ſtirpes propagines fundunt, reliquæ autem in terram profundius demerſæ tuberibus longiuſculis terminantur, ut Pæoniæ fœminæ, & Aſphodeli albi radices; quæ ſi aeri expoſitæ diu permaneant, fuſcus earum color nullo negotio in ſanguineum mutatur. Medullam habent albam, ac dulciculam, recentium fere amygdalarum ſapore, ſed propter conjunctam adſtrictoriam vim plane inſuavi.

Quantum ex Auctoris deſcriptione poteſt intelligi, nihil eſt in floribus hujus Acetoſæ, præter externa folia, & purpurea ſtamina, obſervatum. Stamina hæc ea ſunt, quæ a recentioribus Botanicis tubæ appellantur, fructuumque primordiis inhærent: atqui in omni Acetoſa, in qua inſunt iſtiuſmodi flores, alias exiſtere veriſimile eſt ejuſdem naturæ ſtirpes, quæ ſteriles flores cum apicibus gignant; tales autem neque Zanonius vidit, neque in Bononienſibus hortis cultas meminimus: fortaſſe ob eam cauſſam, quod fœcundæ a Zanonio primum invectæ fuerint, ex quibus poſtea ceteræ uſque ad noſtram ætatem per viviradices propagatæ ſint. Alexander Balamius Nobilis Britannus hujus herbæ ſemina ad Zanonium miſerat, quicum erat non modo ſtudiorum communione, ſed domeſtica etiam conſuetudine, hoſpitiique jure conjunctus.

Quanquam integro pene ante Zanonium ſæculo Alphonſus Pantius Mutinenſis, quo dux Ferrarienſium Alphonſus Secundus Medico, & Botanico uſus eſt, Oxalidem quandam tuberoſam ad Joannem Brancionem Mechlinienſem, nobilem, ſpectatumque hominem miſerat, cujus imaginem, ac deſcriptionem Dodonæus, & Lobelius Brancionis familiares in ſua retulerunt volumina. Zanonius ut fidem faceret Acetoſam illam ab Epidaurica differre, id maxime diſcriminis intereſſe animadvertit, quod nullæ in Lobeliana ad radicem eſſent propagines,

neque

neque ſanguineæ maculæ in foliis notatæ: tubera vero bina ſæpe, vel terna ſingulis radicum fibris hærentia. Hæc omnia, tametſi ex imagine a Lobelio propoſita multis rationibus demonſtrare conatus eſt, tamen edito jam libro, rem aliter ſe habere ſuſpicari cæpit; in eamque venit opinionem, Acetoſam Epidauricam eandem eſſe ac tuberoſam: quæ poſtea ſententia a duobus graviſſimis Botanicis, Moriſono, & Rajo confirmata eſt.

Epidauro delatam acceperat Balamius, eademque uſque ad hæc tempora in peregrinarum ſtirpium numero eſt habita. Verum quadriennio abhinc Petrus Antonius Michelius Florentinus, ſummus dum vixit Botanicus, quum ad Montem Baldum perluſtrandum Veronam profectus eſſet, Oxalidem hanc tuberoſam prope Buxolengium invenit, locum agri Veronenſis a Buxorum copia ſic appellatum; quemadmodum ab ipſo certiores facti ſumus, cum ſupremo illo confecto itinere Bononia pertranſiret, non multis diebus antequam moreretur: ex quo tempore Acetoſam Epidauricam, tuberoſam, ſtirpibus Italiæ noſtræ incolis annumerare non dubitavimus.

Acetoſa tuberoſa radice C. B. Pin. 114. *Raii. Hiſt. I.* 178. *Tour. I. R. H.* 503.
Oxalis tuberoſa Lob. Ic. 291.
Oxalis tuberoſa radice I. B. II. 991.
Acetoſa tuberoſa, ſerpeggiante, con macchie ſanguigne, di Raguſi Zan. Iſt. Bot. pag. 12.
Acetoſa Raguſiana, radice tuberoſa Moriſ. Hiſt. Oxon. Part. 2. *pag.* 583. *Sect. V. tab.* 28. *fig.* 6.

ACETOSA FOLIIS CRISPIS SPICA DIVULSA ASPHODELI RADICE.

Tab. 4. ACetoſæ Epidauricæ, quam antea pertractavimus, altera conſideranda ſuccedit, quæ a radicibus itidem Aſphodelo ſimilibus nomen adepta eſt: ea nunc primum e Zanonii profertur commentariis, a nemine, quod ſciam, uſque ad hoc tempus deſcripta, vel delineata.

Minora huic ſunt Acetoſæ, quam Epidauricæ folia, neque ita crebra, in eo quod criſpas habeant oras, cum ab Epidauri-

daurica, tum a reliquis Acetoſis diſcrepantia. Ad baſim eorum geminæ exiſtunt pinnulæ, ſive auriculæ, ut in ea fere Oxalidis ſpecie, quæ lanceolata dicta eſt: ſapor tametſi acidus eſt, quod vi adſtrictoria non careat, haud multum in eo ſuavitatis percipitur. Caulis inter hæc folia ad duorum, triumve pedum altitudinem ſurgit, mollis, rectus, tenuique lanugine obductus: rari in eo articuli ſunt, rara perinde etiam folia, nullis prope faſtigium pedunculis fulta, brevia, criſpa, & acuminata. Quæ in ſummo caule inſident ſpicæ, multo ſunt quam in reliquis Acetoſis breviores, ac divulſæ, plurimique in iis floſculi corymbi ſpecie coagmentati, præter hujus generis ſtirpium conſuetudinem. Flores ipſi ex purpureis ſtaminibus, & ſex viridibus foliis minutiſſimis compoſiti ſunt: quibus evaneſcentibus ſuccreſcunt folliculi ampliores, quam in vulgari Acetoſa, ſemen recondentes triangulare, atrum, ac nitidum. Radices habet longe lateque per terram fuſas, novarum ſtirpium ſobolem propagantes, & ex multis ſive fibris, ſive gracilioribus tuberibus conflatas, ſimilitudine quadam cum Aſphodeli radicibus; unde illius nomen profectum eſt. Cortex earum ex luteo fuſcus medullam incluſam habet rubentem, omnino adſtrictorii ſaporis.

Quo tempore hujus Acetoſæ hiſtoriam ſcribebat Zanonius, mentio illius a Botanicis facta non erat: anno autem poſt mortem Auctoris quinto ac viceſimo reperta eſt a Michelio univerſam Apuliam perluſtrante, ab eoque in Piſanum Hortum translata. Quocirca extat illius nomen in recenſione ſtirpium ejuſdem Horti, quam præclarus Vir in vulgus edidit Michael Angelus Tillius, ex primariis noſtræ ætatis Botanicis, paucis ab hinc menſibus mortuus. Is quum herbarum diſciplinæ in Piſano Gymnaſio publice tradendæ, Phyſiciſque experimentis inſtituendis quinquaginta prope annos præfuiſſet, cumque illud onus propter ingraveſcentem ætatem ſuſtinere amplius non poſſet, vacatione impetrata, Fratris Filium annis proxime elapſis ſucceſſorem habuit Angelum Atilium Tillium Patrui virtutes probitate, doctrina, & humanitate cumulatiſſime exprimentem. Radicis quidem formam initio Michelius non agnoverat, ſed anno abhinc decimo, cum in Apuliam iterum ſe contuliſſet, atque ex illa peregrinatione in Patriam revertens haud multos dies nobiſcum verſatus eſſet, Acetoſæ hanc ſpeciem exſiccatam inter chartas, aliaſque præterea extraneas ſtir-

pes

pes non paucas Parenti meo largitus eſt, dixitque ſe in illius radicibus Aſphodeli ſimilitudinem animadvertiſſe: ex quo eandem eſſe cum Zanoniana certo jam poſſumus confirmare.

Acetoſa foliis criſpis, ſpica divulſa, Aſphodeli radice.
Acetoſa Apula, foliis criſpis, capſulis ſeminum alis foliaceis ampliori-
bus auctis H. Piſ. pag. 3.
Acetoſa di foglie creſpe, con radice di Asfodello Zan. Tab.

ACETOSA MONTANA ANGUSTO FOLIO SAGITTÆ.

Tab. 5. ACetoſæ hujus facies, ſive externus habitus idem prope eſt ac vulgaris Acetoſæ, aut Moſcoviticæ illius a Moriſono ſterilis appellatæ: minora tamen habet folia, anguſtiora, valde acuminata, ſagittarum ſpecie; unde etiam huic herbæ ſagittatæ nomen a Zanonio jure impoſitum eſt. Circa exitum veris ad unius pedis altitudinem ſcapi adoleſcunt, graciles, paucis articulis diſtincti, ac foliis veſtiti anguſtioribus, quam quæ ex radice pullulant, ad ſagittæ figuram accuratiſſime effictis. Spicas fert in ſummis caulibus tenues, floribuſque minutiſſimis plenas; ſinguli autem flores, ut in reliquis Acetoſis ex rubentibus ſex foliis conſtant, quæ maſculis in ſtirpibus ſtamina tenuiſſima, flavoſque apices continent; in fœminis autem primordia fructuum, ac tubas purpureorum ſtaminum ſpeciem præſeferentes. Fructus, ſive folliculi nulla ferme in re ab iis diſſident, quos profert vulgaris Acetoſa; continent autem ſemen triangulare, ac nitidum. Summa radicis pars in multa dividitur capita, eſtque rigidior ac pene lignea; fibræ molliores, & graciles: herba ipſa perennis ad longum tempus durat.

Acetoſa hæc in Alpibus, altiſque montibus provenit. Eſt quidam in Gallia ciſalpina Appenini tractus Celſiſſimæ Eſtenſis Domus imperio ſubjectus, Liguribus Apuanis olim finitimus, ubi & Scultennæ fluvii origo eſt, & Fananum haud ignobilis vicus, juxta quem altiſſimum illius montis eminet faſtigium, quod Cimonem vocant. Ex his locis quadriennio abhinc in Bononienſes hortos Acetoſæ hæc ſpecies invecta eſt: quocirca veriſimillimum videtur haud procul inde repertam à Zanonio, qui

regio-

regionem illam Bononienſium finibus proximam, elegantioribus ſtirpibus abundantem frequenter ſolebat, ſtudioſeque peragrare.

Acetoſa montana, anguſto folio Sagittæ H. Cath. 3. Tour. I. R. H. 503.
Acetoſa alpina, con foglie ſagittate Zan. Tab.

ACETOSA VESICARIA TINGITANA PERENNIS REPENS FOLIIS LONGIS SINUATIS.

ACetoſæ, quas modo explicare ingredimur, ex numero earum ſunt, quarum in floribus fructuum primordia apicibus conſociata apparent, non multum propterea a Lapathis diſſidentes; quemadmodum a præſtantiſſimo noſtrorum temporum Botanico, ac Patavini Horti Præfecto Julio Pontedera demonſtratum eſt (*a*). Primum in his locum Tingitanæ Acetoſæ dedimus, in veteri Hiſtoria a Zanonio ad hunc modum deſcriptæ. *Tab. 6.*

Tingitanæ Oxalidis folia partim a radice funduntur, partim caulibus inhærent, eaque multiplici flexu ſinuoſa, dentata, ſubaſpera, exſucca, virentia, ſanguineis maculis totam ſuperficiem percurrentibus varia, geminiſque pinnulis ad baſim inſtructa. Caules e foliorum ſinu prodeunt, dum adhuc teneri ſunt, humi jacentes, poſtea ad unius pedis altitudinem erecti, ſcriptorio calamo æquales, multis locis incurvi, tenuique cortice tecti. In ſumma ramorum parte inſident ſpicæ ex multis floribus compoſitæ, qui aliquando ſingulatim oriuntur, tres aliquando quattuorve ſimul exiſtunt, tenuiſſimis petiolis ſuſpenſi, ut vel minima tremant aeris agitatione. Floſculi ex plurimis conſtant foliis, tribus videlicet externis, ac rubentibus, ceteris interioribus, ac flavis, quorum intimam partem apices occupant ſtaminibus nixi, fructuumque primordia tubis inſtructa. Flores jam langueſcentes folliculi excipiunt multo ampliores, quam in Acetoſis antea deſcriptis, ſemen triangulare includentes, nitidum, ac flavum. Radix in ſtirpibus novellis gracilis eſt, multaſque emittit fibras, poſtea ſic augeſcit, ut pollicis craſſitudinem aſſequatur: color illius croceus eſt, vel croceo ſimilis: amaro ſapore, fabarumque recentium odore a reliquis Oxalidum radicibus differt.

(*a*) *Epiſt. ad Till. H. Piſ.* 179.

Hæc fere de Tingitana Acetoſa a Zanonio prolata ſunt; a quo etiam perennem eſſe accepimus, neque hibernum apud nos frigus, niſi in tectis abditam, tolerare: floreſcere tamen his ipſis in locis, fructuſque perficere. Copioſa circa Tingim Mauritaniæ urbem provenit, unde Alexander Balamius nobilis Britannus, quem antea nominavimus, quum ea in urbe habitaret, ſemina ad Zanonium miſit.

Ceterum Oxalidis hæc ſpecies nova ab Auctore eſt habita, eique conſenſit Moriſonus, qui ab eodem Balamio acceptam, Tingitanæ nomine & ipſe deſcripſit. Plukenetius, & Magnolius in contraria fuerunt opinione, eandem eſſe ac Lapathum marinum a Bauhinis fratribus deſcriptum exiſtimantes. Porro autem id Lapathi genus in Galliæ Narbonenſis litoribus, ac Monſpelienſi agro repertum dicitur; ut vel hoc nomine inprimis Magnolii auctoritas graviſſima cenſeri debeat, a quo ſtirpes omnes illius regionis accuratiſſime perveſtigatæ ſunt.

Acetoſa veſicaria, Tingitana, perennis, repens, foliis longis, ſinuatis Moris. Hiſt. Oxon. Part. 2. pag. 583. Raii. Hiſt. I. 179. Pluk. Alm. pag. 8.

Lapathum maritimum, fœtidum C. B. Prod. 56. Pin. 116. Tour. I. R. H. 504.

Lapathum marinum, ſinuatum I. B. II. 988. Raii. Hiſt. I. 175.

Acetoſa dentata, di Tanger Zan. Iſt. Bot. 14.

Acetoſa maritima, foliis ſinuatis, & dentatis Bot. Monſp. 4. H. R. Monſp. 4.

ACETOSA SCUTATA REPENS.

Tab. 7. IN frondibus hujus herbæ non parva ineſt varietas; nam quæ ex radice pullulant, tum etiam quæ in articulis inferioribus inſident, rotundæ ſunt, vel rotundis ſimiles, juxta baſim ſinuoſæ, geminiſque pinnulis ad baſim inſtructæ: quæ autem in ſumma ramulorum parte ſunt poſitæ, eæ multo magis acuminatæ, ac ſæpe triangulares eſſe ſolent, mucronis aliquando, aut ſagittæ ſimilitudine. Acidum ſaporem habent hæc folia, eumque non injucundum, colorem plerumque viridem, argenteis maculis aliquando conſperſa. Caules multam ramulorum ſobolem proferunt, atque herba potiſſimum floreſcente erecti, cubitalem alti-

altitudinem exæquant: poſtquam florendi tempus præteriit, hinc, & illinc diffuſi ſpectantur. Flores in ſpicas tenues digeſti ſunt, ex viridibus ſex foliis conflati, qui etſi ex naturæ inſtituto fœcundi omnes eſſe debent, plerumque tamen nulli fructus areſcentibus ſuccreſcunt: ſi qui ad frugem perveniunt ex tribus membranis tenuibus conſtant, triangulari ſemine fœti. Radices compluribus fibris longe, lateque vagantibus nixæ multas emittunt propagines, novaque progenie augent ſtirpem idoneo ſolo commiſſam: earum ſapor amarus eſt, ac vi adſtrictoria non caret.

Elegans hæc Acetoſæ ſpecies in eo tractu Appenini naſcitur, qui Bononienſi ditione concluſus eſt, & in monte potiſſimum quodam Florentinorum, ac Mutinenſium finibus proximo, quem Montem acutum alpium nominant: gignitur autem cum juxta rivulos, ac fontes, tum in rupibus, & ſaxis aquarum lapſu irriguis. In hortos translata etiam per diuturnum tempus vivit, modo nimio æſtu, aut ſiccitate non pereat.

Acetoſam hanc nonnulli ex Botanicis ſuperioribus cognitam habuere; inprimis Caſpar Bauhinus, ſed neque ulla ab eo effigies, neque accuratior deſcriptio tradita eſt. Utramque confecit Zanonius, ac in ſuis reliquit commentariis: poſtremo alter ex Civibus noſtris Joannes Baptiſta Triumphettus, qui Zanonium Præceptorem adoleſcentulus habuerat, quique multos annos herbarum diſciplinæ Romano in Horto explicandæ præfuit, imaginem hujus Oxalidis in eo libro, quem de ortu, ac vegetatione ſtirpium perſcripſit, haud multis annis poſt Zanonii mortem pervulgavit.

Acetoſa ſcutata, *repens C. B. Prod.* 55. *Pin.* 114. *Triumph. de Ort. pag.* 68. *Tour. I. R. H.* 503.
Acetoſa Cambrobritannica, *montana Park. Theat.* 745.
Acetoſa alpina, *ſerpeggiante Zan. Tab.*

ACETOSA ROTUNDIFOLIA HORTENSIS.

ACetoſa Romana hortenſis a ſcutata, de qua proxime locuti ſumus, ubi in hortis præſertim utraque adoleverit, haud facile diſcerni poteſt. Quæ quidem res Zanonio cauſſam attulit in ſuis eam tabulis delineandi, quo ſcilicet utriuſque diſcri- *Tab.* 8.

men exploratius perſpiceretur. Diſtinctionis autem ſumma in hoc poſita videtur, quod Romana Acetoſa paulo habitior ſit, quam ſcutata, cauleſque non adeo graciles proferat; folia item craſſiora, pene rotunda, brevioribus plerumque auriculis prædita, ſubcriſpa, & glauca; quanquam non ſemper is adeſt color, ut quibuſdam anni temporibus viriditate ſua, argenteiſque maculis ſcutatam plane Oxalidem imitetur: in floribus quoque, ac fructibus minimum eſt, ſenſibus vix percipiendum diſcrimen. Hæc omnia in Bononienſibus hortis, in quibus utramque habemus, non ſemel obſervavi; & mihi tamen videor ſuſpicari poſſe diuturnam culturam effeciſſe, ut quæ in montibus ſcutata fuerat Acetoſa, ea denique in hortenſem, Romanam vulgo dictam, converteretur.

Acetoſa rotundifolia, hortenſis C. B. Pin. 114. *Tour. I. R. H.* 503.
Oxalis rotundioribus foliis Geſn. Hort. Germ. fol. 263.
Oxalis ſativa, Franca, rotundifolia, repens Lob. Adv. 120.
Oxalis folio rotundiore, repens I. B. II. 991.
Acetoſa Romana, ortenſe Zan. Tab.

AKASOND INDIÆ ORIENTALIS ARBOR.

Tab. 9. AKaſond, ſive Arkaſond Indicæ arboris nomen eſt, quam in ſuperiorem Hiſtoriæ ſuæ partem retulit Zanonius, ex Matthæi a Sancto Joſeph germanis commentariis, de quibus in proœmio hujus libri diximus, exceptam. Eandem nos etiam, quibus ille eſt uſus verbis, hoc loco deſcribemus.

Sunt arbores mediocris magnitudinis, in rivulis Mangati, (a) *quæ flores producunt albos, ad inſtar Jaſmini Hiſpanici, & fructus magnitudine mediocres, racematim ad inſtar Manghæ, unde nomen adepta eſt Manghæ ſylveſtris. Eſt autem & lactiginoſa, ut pleræque arbores Orientales, ob nimium calorem, & humiditatem: habet folia oblonga, lenia, eſtque mediocris altitudinis: fructus lævis eſt. Tota arbor ratione foliorum, florum, ac fructuum eſt aſpectu pulcherrima: illius ſemina perexigua ſunt.*

In primo Horti Malabarici volumine hæc arbor accuratiſſime de-

(a) *Mangati ſive Mangate regio eſt Malabariæ.*

deſcripta habetur, barbaroque *Odallam* vocabulo nominata: in tabula etiam flores ita expreſſi, ut Jaſminum Hiſpanicum plane imitentur. Arnoldus Syenus, qui deſcriptionibus illius libri notas aſcripſit, ex Mangarum genere arborem eſſe cenſuit. Mangas autem Luſitanicum nomen eſt, quo arbor deſignatur fructuum ſuavitate Orientalis Indiæ populis commendatiſſima. Chriſtophorus Acoſta Indicarum rerum diligentiſſimus Scriptor duas Mangæ numeravit ſpecies, alteram videlicet eſculentam, ſylveſtrem alteram, ac venenatam, quam eandem eſſe ac *Odallam* Horti Malabarici Syenus idem, ac Rajus non levi argumento ſuſpicati ſunt: Caſpar autem Commellinus eas arbores inter ſe non differre, ſine ulla dubitatione affirmavit.

Akaſond, ſive Arkaſond Indiæ Orientalis arbor.
Mangas bravos Acoſt. 242. *edit. Cluſ.* 284.
Mangas fructu venenato C. B. *Pin.* 440.
Arkaſond, ſive Akaſond pianta Indiana Zan. Iſt. Bot. pag. 24.
Odallam Malabaribus, Uro Bramanibus H. Malab. I. pag. 71.
Perſicæ ſimilis anguſtifolia, oſſe cordis humani figura, binos nucleos continente Syen. not. H. Malab. I. pag. 72.
Manga fructu venenato, oſſiculo cordiformi, nucleo gemino Raii Hiſt. II. 1552.
Mangas ſylveſtris, lacteſcens, venenata, Jaſmini flore, & odore Herm. Prod. Par. Bat. 351. *Comm. Fl. Malab.* 170.

Cerbera Manghas. L.

ALSINE ALPINA ANAGALLIDIS FOLIO.

Tab. 10. *fig.* 1

TRes a Zanonio delineatæ habentur montanæ Alſines ſpecies, quas hoc loco breviter expendemus, ab ea exordientes, quæ frondes parvulas gignit, Anagallidi, ſive ut aliis placitum eſt, Serpillo conſimiles. Hanc poſtea commemoravit Turnefortius; dum autem Zanonius viveret ne nomine quidem erat cognita, ut primus illius inventor merito exiſtimari debeat.

Multos e radice cauliculos profert, graciles, incurvos, crebriſque articulis diſtinctos; geminæ in ſingulis inſiſtunt frondes inter ſe oppoſitæ, Anagallidi perſimiles, craſſiores tamen, ac nonnihil breviores, nullis, vel breviſſimis certe pedunculis nixæ.

xæ. Ex caulium nodis etiam ramuli ſæpe truduntur foliis ſimilibus veſtiti, minoribus, ac pene rotundis. Flores in ſummis inſident ramis candiduli, ex quinque petalis conflati, ſtamina, apiceſque occludentes. His poſtea areſcentibus fructus accreſcunt ſeminibus pleni ex atro rubentibus, & incurvis. Radix aliquantum craſſa, ac lævis in paucas fibras dividitur, quarum cortex a medulla facile detrahi poteſt: color ejuſdem luteus eſt, ſapor autem qualis foliorum, ita amarus videlicet, ut non multum guſtanti injucundus appareat.

Elegans hæc Alſines ſpecies locis opacis gaudet, aſperis, ac lapidoſis: gignitur autem in altiſſimis Bononienſium montibus, quos ſcalarum alpes nominant, & in Portæ francæ rupibus, quæ etiam ad Bononienſem ditionem ſpectant. Perennis vitæ herba Junio potiſſimum menſe floreſcit.

Hanc ſuperiore anno e Scalarum alpibus in Bononienſes hortos translatam, nihil ab ea differre intelleximus, quæ Alſine alpina multicaulis Serpilli folio Turnefortii ſemper apud nos appellari conſueverat: nec ſane quidquam cauſſæ nobis eſt, cur non eandem eſſe judicemus.

Alſine alpina, Anagallidis folio.
Alſine alpina, Serpilli folio, multicaulis, & multiflora. Tour I. R. H. 243.
Alſine alpina, con foglie di Anagallide prima. Zan. Tab.

ALSINE ALPINA RADICE REPENTE.

Tab. 10. *fig.* 3. ALtera quædam Alſines ſpecies eſt, tanquam nova a Zanonio propoſita, neque uſquam ſane, quantum nobis conſtat, præterquam in illius commentariis memorata: hæc ab eodem ita deſcribitur.

Caules huic Alſini graciles, ac teretes ſunt, ad quattuor digitorum altitudinem ſe erigentes: folia ad ſingulos articulos gemina exiſtunt inter ſe oppoſita, ubi cauli adhærent anguſta, circa medium latiora, ad extremam partem acuminata, ut in vulgari illa Alſines ſpecie, quam Caſpar Bauhinus mediam nuncupavit; e geniculis etiam ramuli pullulant crebri, ex quibus herba ipſa

ipſa denſior, ac confertior evadit. Flores circa ramulorum faſtigium tenuibus petiolis nixi proveniunt, ex quinque petalis compoſiti, etiamſi quattuor duntaxat in tabula delineati ſint, ejuſdem coloris ſtamina, flavoſque apices includentes. His demum areſcentibus fructus rotundi ſuccreſcunt, minutis ſeminibus pleni. Radix multis nititur fibris albis, ac tenuiſſimis; e ſumma vero illius parte emergunt propagines, ex quibus novellæ ſtirpes adoleſcunt, atque ob eam cauſſam Alſine repens a Zanonio dicta eſt; alpina etiam ab eodem nuncupata, quod iiſdem in montibus cum ſuperiori adinventa fuerit.

Alſine alpina radice repente.
Alſine alpina ſeconda Zan. Tab.

ALSINE ALPINA ERECTA FOLIIS ACUMINATIS.

Silene Saxifraga.

UNa adhuc ſupereſt, eaque ut videtur prorſus nova, Alſines ſpecies conſideranda, quam, ut breviſſime fieri potuit, ex iiſdem Zanonii adverſariis in hunc locum referre non dubitavimus. *Tab.* 10. *fig.* 2.

Folia hujus herbæ circa radicem multa funduntur Alſines vulgaris foliis ſimillima, viridia, ſolida, ac lævia, inprimiſque anguſta, & acuminata. Caules ex ipſa efferuntur teretes, multiſque locis inflexi, qui altitudinem quattuor digitorum vel nihil omnino, vel certe non admodum ſuperant: rara in his genicula exiſtunt, in ſingulis autem gemina innaſcuntur folia, majora, quam ea ſint, quæ prope radicem pullulant; non diſpari tamen figura, aut ſoliditate. Summi caules in ramulos dividuntur, qui multos ferunt candidos floſculos, tenuibus petiolis nixos, ac veluti corymbi ſpecie coagmentatos: eorum ſinguli ex quinque petalis conſtant in extrema parte ſectis, ac bifidis: fructus cadentibus floribus ſuccreſcunt ovati, exiguis, rubriſque ſeminibus pleni. Radices habet longas, graciles, nigricantes, eaſque nonnihil acris, acerbique ſaporis: herba ipſa amaritudine non caret.

Annua ſit an perennis, vere an æſtate floreat a Zanonio proditum non eſt. Hoc tantum accepimus, in rupibus & ſaxis pro-

prope Lacum Sanctum Mutinenſis ditionis hanc ſtirpem provenire.

Alſine alpina, erecta, foliis acuminatis.
Alſine alpina terza. Zan. Tab.

ALYSSON ARGENTEO FOLIO FLOSCULIS LUTEIS.

Tab. 11. IN Zanonianis commentariis Alyſſi cujuſdam deſcriptio, itemque effigies reperta eſt, quam in hunc locum referendam putavimus; quod illius nomen, neque aliud præterea Botanicorum libros pervolventibus occurrat.

Dodrantalem altitudinem, interdum etiam majorem Alyſſi hæc ſpecies aſſequitur, firmis, ligneiſque ſtipitibus nixa, ea ramulorum frequentia, ut arbuſculæ ſimilitudinem præſeferat. Folia in articulis copioſiſſima inſiſtunt, rotunda, Majoranæ, ſive etiam Serpilli majoris conſimilia, minora tamen, aliquantulum ſpiſſa, & aſpera; color eorum in averſa facie cinereus eſt, in ſuperiori viridis, quæ etiam minutis punctis albentibus cum extrema ramulorum parte conſpergitur. Flores in ſummis caulibus denſi naſcuntur, ex quattuor exiguis foliis conſtantes, nonnulloſque ejuſdem coloris apices ſuſtinentes, quibus deinde ſuccedunt ovatæ, & compreſſæ ſiliquæ, ſcutorum effigie, ſepto interpoſito in duas partes diviſæ, quarum unaquæque ſemen incluſum continet rubens, acriſque, ut in Raphano ſaporis, qualis etiam in foliis, remiſsior tamen percipitur.

Hanc ſtirpem Thomas Belluccius Piſtorienſis, qui herbarum doctrinam per id tempus Piſis profitebatur, in Cajetanorum fundis prope eam urbem inventam ad Zanonium miſit. Iiſdem pene temporibus Michael Nutius Venetus Pharmacopæus, illius, qui nunc vivit Julii Nutii humaniſsimi viri Pater, edita recenſione horti ſui ſtirpium, in ea pariter Alyſsi hanc ſpeciem a Joanne Maria Ciaſsio acceptam enunciavit. Perennem ſtirpem eſſe, cum ex imagine Zanoniana, tum ex ramis, quos inter chartas exſiccatos Parens meus ſervat, haud ſane difficulter conjicio.

Thlaſpi

Alyßon argenteo folio, floſculis luteis Boer. Ind. alt. II. 4.
Thlaſpi Majoranæ folio Ciaſſi Nut. Faſcic. 66.
Thlaſpi Creticum, Majoranæ folio, ſupinum, flore luteo H. Mauroc. 171.
Tlaſpi murale, Piſano, con foglie di Serpillo Zan. Tab.

ANETHUM PERNAMBUCENSE LATIFOLIUM.

QUum Anethi Pernambucenſis nulla prorſus effigies a Zanonio relicta eſſet, ſed brevis duntaxat, neque ea perfecte abſoluta deſcriptio; hanc ſtirpem præterire omnino conſtitueram: poſtea cum a Boerahaavio, aliiſque Botanicis, Zanoniani Anethi nomine, commemoratam cernerem, opportunum putavi, quicquid a Zanonio de illa ſcriptum eſſet, literis conſignare.

Anethi igitur Pernambucenſis altitudo bipedalis eſt. Caules ſcriptorio calamo æquales habet, aut etiam craſſiores, virenti cortice tectos: nodi in his frequentes, præſertim circa radicem, quibus lata baſi folia hærent viridia, hortenſis Anethi frondibus ampliora, ad Orientalis Ammeos, aut etiam Ferulæ folia proxime accedentia. Flores in umbellæ ſimilitudinem digeſti minimi, & flavi ſunt, quemadmodum in vulgari Anetho; ſemina etiam, ut in eodem gemina, & oblonga, nonnihil majora, tenuique margine circundata: odor totius herbæ, maximeque ſeminum hortenſis odore jucundior videtur. Annua eſt herba, quæ in hortis Italiæ facile provenit, & ex cadentibus in terram ſeminibus, bis etiam interdum eodem anno renovatur.

Utrum ſeminis, foliorumque magnitudo ad diſtinguendam hanc ſtirpem a vulgari Anetho valeat, nec ne incertum eſt. Hoc tantum aſſeverare poſſumus, Anethum, quod Pernambucenſis nomine his temporibus profertur, ac in hortis colitur, a vulgari non differre. Zanonius ipſe Anethum ſuum uſque eo vulgari ſimile agnovit, ut ne in tabula quidem delineandum putaverit. Acceperat autem, ut ſcripſit, illius ſemen a Michaele Angelo Guattino Regienſi Capucino, in Præfectura Pernambucenſi, Braſilianæ regionis collectum.

Anethum Pernambucenſe, latifolium.
Anethum Pernambucenſe H. Lugd. Bat. 44.
Anethum verum, Pernambucenſe Zanoni Boer. Ind. alt. I. 65.

ANIL AFRICANUM SILIQUIS BREVIBUS ARTICULATIS.

Tab. 12. QUanquam eo nomine leguminoſa hæc herba ad Zanonium delata eſt, ut eandem eſſe, quæ cæruleum pigmentum *Indigo* dictum profert, non temere ſuſpicaretur; exploratum tamen nobis eſt longe ab ea, quam ceteri delineatam tradiderunt, quamque nos ipſi in Bononienſibus hortis, non ſemel natam conſpeximus, diſcrepare. Germanum quippe Anil (ita herbam *Indigo* fundentem nominant) dena, vel duodena gignit folia longiuſcula, eidem coſtæ duplici ſerie adhærentia, uno ad extremitatem poſito utramque terminante; Zanoniana hæc non amplius habet, quam bina, aut quaterna, eaque rotunda, impari extremo latiori aucta. Diſcrimen etiam haud mediocre afferunt ſiliquæ; multo enim longiores verum Anil, plurimiſque ſeminibus refertas profert, cum in Zanoniana ſtirpe breviſſimæ ſint, unum tantum, vel alterum ſemen includentes. Porro de iſtius herbæ forma hæc pauca a Zanonio accepimus. Caule inquit recto, angulato, & caneſcente nititur, virentibus foliis, & Coluteæ Scorpioidis, ſive Emeri ſimilibus veſtito: flores Auguſto menſe in ſpicas digeſti emicant, ea forma, qua in reliquis leguminoſis herbis, albi, vel nonnihil rubentes, ut Mali arboris flores: hos deinde breves illæ ſiliquæ articulis diſtinctæ ſubſequuntur. Unde acceperit Zanonius non commemorat: Africanam ſtirpem eſſe, nomen tabulæ aſcriptum declarat.

Ex his omnibus intelligi poteſt, non eſſe hanc ſtirpem a genere Anil prorſus alienam, cum ea tamen, quæ utilem Pictoribus ſuccum præbet, minime confundendam.

Anil Africanum, ſiliquis brevibus, articulatis.
Colutea ſcorpioide, ovvero Endico Africano Zan. Tab.

ANO-

ANONIS PURPUREA VERNA SEU PRÆCOX PERENNIS FLORE RUBRO.

ANonidis nonnullæ ſpecies a ſuperioribus Botanicis, propter externi habitus ſimilitudinem, Ciceris nomine ſunt appellatæ; ex quibus in Lugdunenſi ſtirpium Hiſtoria duæ commemoratæ habentur, altera ex Lobelii Adverſariis ducta, altera ab ipſo Dalechampio, qui conſcripſiſſe eam Hiſtoriam dicitur, obſervata. Has duas ſtirpes inter ſe non differre Caſpar Bauhinus falſo exiſtimavit; duas enim plane diſtinctas Anonides eſſe Moriſonus perſpicue oſtendit. Zanonius autem, qui alteram ex ipſis, *Ciceris perennis arboreſcentis Indici* nomine, a Dionyſio Joncqueto, claro tunc apud Pariſienſes Botanico accepiſſet; quamvis Ciceri ſecundo ex duobus Lugdunenſis Hiſtoriæ ſimillimam cerneret, ut novam tamen proponere haud veritus eſt; quippe in eadem erat cum Bauhino ſententia, alterum Dalechampii Cicer idem eſſe ac primum, quod a Joncquetiana ſtirpe multum diſtare intelligebat. Deſcripſit itaque Anonidis hanc ſpeciem veteri in Hiſtoria ad hunc modum. *Tab.* 13.

Altitudo hujus ſtirpis maxima ſeſquicubitalis eſt. Unicum e radice profert caulem rectum, teretem, flexibilem, pluribus ramis ex eodem pullulantibus, nulloque ordine diſpoſitis circundatum. Folia, ut in omni Anonidum ſpecie, terna ubique conjuncta exiſtunt, eorumque margines exiguis quibuſdam dentibus duriuſculis, ſerræ inſtar terminantur: viridis color in ſuperiori parte eſt, in averſa nonnihil dilutus ſpectatur. Frondium pedunculi ramulis adhærent, lata quadam membrana, in geminas pinnulas utrinque producta eoſdem ambiente; quod non ſatis videtur in tabula expreſſum. Folia non modo in ramulis, ſed etiam in caule ita conferta ſunt, ut illius herbæ ſimilitudinem gerant, quæ a multis pro Meſuæ Eupatorio, ab aliis pro Dioſcoridis Agerato propoſita eſt. Flores in ſummis ramulis tres, quattuorve ſimul naſcuntur, papilionacei, ut in pleriſque leguminoſis, Anonidis vulgaris floribus perſimiles, non modo quod ad magnitudinem, & formam attinet, ſed etiam colorem; purpurei quippe ſunt, in media intima parte albo permixti. Siliquas profert floribus cadentibus pendulas, non adeo breves, ut in vulgari Anonide, ſed longiuſculas,

quemadmodum in Cicere, ex quo etiam videtur ſylveſtris Ciceris nomen huic ſtirpi impoſitum. Semina in hujuſmodi ſiliquis haudquaquam multa ſunt, eaque nonnihil compreſſa, & incurva, ex altera parte acuminata, atrique coloris. Radice nititur perenni, ac plurima ſobole fœcunda, cujus eadem fere altitudo eſt, quæ totius ſtirpis proceritas. Majo menſe flores edit, ſemina ad maturitatem Auguſto perducit.

Moriſonus de hac ſtirpe diſſerens, non modo oſtendit veram non eſſe Ciceris ſpeciem, ſed ne arboreſcentem quidem, vel Indicam nominari oportuiſſe; quod herba ſit vix unius cubiti, quodque in Allobrogum montibus ſua ſponte proveniat. Zanonius eo uſus nomine, quo a Joncqueto nuncupari acceperat, poſtremo & ipſe nonnulla ex iis, quæ ſcripſerat, a veritate aliena eſſe intellexit.

Anonis purpurea, verna, ſeu præcox, perennis, fruteſcens, flore rubro, amplo Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. pag 170.
Cicer ſylveſtre 2. *Dalechampii Hiſt. Lugd. I.* 464.
Anonis montana, præcox, purpurea, fruteſcens H. R. Bleſ. 230. *Tour. I. R. H.* 408.
Cece Indiano, perenne, arboreo Zan. Iſt. Bot. pag. 66.

ARCHAM INDIÆ ORIENTALIS

ARBOR.

Tab. 14. *fig.* 1. ARcham arboris ita appellatæ, quæ in extrema India, ac prope Sinarum fines naſcitur, Matthæus a Sancto Joſeph, de quo antea mentionem fecimus, cum haud ita procul ab iis regionibus vitam degeret, ſcriptorio calamo imaginem delineavit, eandemque poſtea tranſmiſit in Italiam, addita hac deſcriptione.

Naſcitur talis radix in Tunquin: communis arbor eſt, ſicut & ceteræ: folia tanquam Myrti, ter acuta, in quorum medio naſcitur fructus figura piſcis.

Zanoniana tabula e libello quodam effecta eſt, quem eidem Matthæo attributum in procemio hujus libri demonſtravimus; minuſque ut videtur ad veritatem conformata: deſcriptio in eo libello iſtiuſmodi habebatur.

Hujus arboris radix Matris Dei dicitur. Folia habet tripartita

ta ſolida, ut Myrtus; flos eſt albus, e cujus medio oritur fructus ſquamatus, figuram piſcis habens, qui in pulverem redactus, & cum aqua bibitus eſt optimum remedium pro febribus.

Archam Indiæ Orientalis arbor.
Archam arbore Zan. Iſt. Bot. pag. 23.
Radix Matris Dei Semmed. Hiſt. var. ſimpl. edit. Vittemb. 35.

ARMORACIA AUT RAPHANUS MAJOR.

HAnc ſtirpem neque Raphanis cum Veteribus, neque Cochleariis cum Tournefortio annumerandam putavimus; quoniam & a Raphanis prorſus eam removet fructus differentia, & externi habitus diſſimilitudo facit, ut a Cochleariis diſtinguenda videatur. Præterea utrumque genus herbæ ad uſus diverſos a Medicis expeti ſolet: non ſunt autem temere commutanda vetuſta herbarum nomina a Medicis uſurpata. Armoraciæ itaque vocabulo, quod ab omni confuſione abeſt, commodiſſime utemur. *Tab.* 15.

Porro de notiſſima hac ſtirpe Zanonius dicere ingreſſus eſt, quod perſuaſum haberet, veram hanc, & germanam Dioſcoridis Drabam, ſive Arabidem eſſe. Hoc ut planum faceret omnem controverſiam, quæ de Veterum Draba eſt, multis verbis perſecutus, poſtremo & Armoraciæ imaginem ea ratione expreſſam prodidit, ut cum deſcriptione illius ſtirpis congruere videretur. Et ad nomen inprimis quod attinet, corruptos in eo Dioſcoridis codices arbitratus eſt, quod ea, quæ Braba dicenda erat, Draba ſive Arabis ſit appellata: quippe Arabidis ac Drabæ voces, neque græcas eſſe, neque latinas docet, neque a ceteris Veteribus prorſus uſurpatas: Oribaſium præterea Brabæ nomine in iis numeraſſe hanc ſtirpem, quarum initium nominis ſecunda Græcorum litera eſt. Porro autem, quæ de hac ſtirpe, ut ut ipſam appellari convenit, a Dioſcoride ſcripta ſunt in eam cadere affirmat, quæ Armoracia, ſive Raphanus ruſticanus vulgo nominatur. Dioſcoridis verba hæc ſunt. *Draba cubitum alta eſt; herba gracilibus virgulis, quarum latera utrinque veſtiunt folia, quæ Lepidii viderentur, niſi teneriora eſſent, can-*

candidioraque: in cacumine umbella, ut in Sambuco, & in ea flos candidus: hujus herba incoquitur ptiſanæ frequenti Cappadocum cibo: ſeminibus pro pipere in obſonia utuntur. (*a*)

Zanonius ruſticano Raphano caules ineſſe oſtendit cubitali altitudine, aut non multo majores, frondes Lepidio conſimiles, flores in umbellis candidos, ſemenque ejus ſaporis, ut piperis uſum in condimentis ſupplere poſſit. Folia is quidem Lepidio candidiora non habet, ſed in locum vocis λευκοτερα, quæ *candidiora* ſignificat, alteram λεπτοτερα, ideſt *tenuiora* ex Laurentii Legati Cremonenſis, eruditiſſimi hominis auctoritate, ſubſtituendam putat. Ceterum ejuſmodi frondes, aliæ integræ ſunt, aliæ lacinioſæ, ac in partes etiam tenuiores, quam in Lepidio diviſæ, ut ex imagine apparet, quæ ad veriſſimum ſtirpis exemplum efficta eſt; quum in reliquis Botanicorum libris foliorum varietas haud ſatis accurate expreſſa haberetur: His poſitis non dubitat, quin ceteris nominibus Armoraciæ, & Raphani repudiatis, herba hæc in poſterum pro veriſſima Dioſcoridis Draba, ſive ut ipſe mavult Braba haberi debeat; quod ſi verum ſit, eadem quoque eſſe, ac Dryophonum Plinii, & Naſturtium Perſicum Serapionis dicenda eſt; utrumque enim ab Auctoribus ſuis ita deſcribitur, ut nihil ferme a Dioſcoridis Draba differre videatur.

Armoraciæ pleniorem deſcriptionem a pleriſque traditam non damus, quod ne Zanonius quidem ipſe faciendum cenſuit. Germani haud alio frequentius utuntur ciborum condimento, quam iſtius herbæ radicibus, quippe apud eos non modo ſtudioſe alitur, ſed etiam quibuſdam in pratis, humidiſque locis ſua ſponte provenit. In Italia nuſquam, quod ſciam, niſi in hortis reperitur, in quibus Junio menſe floret, perennis herba diuturnæque vitæ. Facultates illius a Matthiolo ſic enunciatæ ſunt. *Ea omnia poteſt, quæ domeſtica, & agreſtis radix, ſed valentius operatur, quin etiam Sinapi vires obtinet, urinam, & arenas valentius pellit. Illinitur contrita radix ex vino albo, & recenti Butyro calefacta utiliter pubi ad ciendam urinam, ſive ſit dolor ex renum calculis, ſive ex craſſa lentaque pituita veſicæ cervicem obſtruente: in quo caſu datur quoque non parvo auxilio potandum vinum, in quo inciſa radix fuerit macerata.* (*b*)

Armo-

(*a*) *Paulo aliter Dioſcoridem interpretantur Marcellus Vergilius, & Joannes Ruellius. V. Dioſc. Lib. 2. cap.* 149.

(*b*) *Comment. in Dioſc. Lib. 2. cap.* 106.

Armoracia, aut Raphanus major Brunsf. in 4. 228
Thlaspi majus Cord. in Dioſc. fol. 46.
Raphanus ruſticanus, montanus Camer. Epit. Matth. 225.
Raphanus ruſticanus, ſive vulgaris Matth. Edit. Bauh. 350.
Raphanus ruſticanus C. B. Pin. 96.
Raphanus ſylveſtris, ſive Armoracia multis I. B. II. 851.
Braba legitima di Dioſcoride, Driofno di Plinio, e Naſturzio Orientale di Serapione Zan. Iſt. Bot. 54.
Cochlearia folio cubitali. Tour. I. R. H. 215.

ARNA VARECA INDIÆ ORIENTALIS.

ARnæ, ſive Anæ Varecæ imaginem is, quem antea nominavimus, Matthæus a Sancto Joſeph ex India Orientali miſit in Europam; illudque aſcripſit, mirificum eſſe quoddam herbæ genus, cujus radices non humi defixæ ſint, ſed arborum ramis, trunciſque adhærentes, alimentum ex ipſis, ut Viſcum apud nos, hauriant. Si quis autem pleniorem hujus ſtirpis hiſtoriam deſideret, is eam reperiet in duodecima Horti Malabarici parte, in qua *Thaliæ Maravaræ* nomine deſcripta habetur, cum aliis non paucis huic ſimillimis, atque ex alieno itidem ſucco viventibus, quibus etiam *Maravaræ* nomen, cum hac noſtra commune eſt, quod Malabarum lingua arborum peſtem denotat: arbores enim, in quibus copioſæ hujuſmodi ſtirpes inſident, brevi temporis ſpatio intereunt. Eas omnes Joannes Commelinus (*a*) a florum fructuumque conformatione ad Limodori, aut Orchidis genus ſpectare veriſſime affirmavit. Deſcriptio autem Matthæi hæc eſt. *Tab.* 16.

In Provincia Malabarica reperitur genus ſtirpium, quod in eadem lingua vocatur Arna Vareca, ideſt Elephantis ficus, ſeu fructus, habens radices albas, oblongas, quæ facile frangi poſſunt, ſapore amaro, habetque folia oblonga, & pinguia, craſſitudine ſemidigitali, odore ſubagreſti, & terreo: fructus producit inter folia, ſicut etiam, & radices, ſed ſurſum tendentes, præter illas, quibus arbori inhæret; intus lanuginoſi ſunt fructus, & odorem habent ſicut ficus immaturæ Italicæ. Virtus foliorum eſt ad ambuſta curanda, addito thuris albi ramento, & ovi albumine. Radix vero deſervit pro dolore ventris, & torminibus inteſtinorum ſedandis, vermibuſque necan-

(*a*) *H. Malab. XII. pag.* 4. *& cæt.*

necandis in pueris, fructus ſimiliter pro capitis dolore utiliter adhibentur, cum ramento Myrrhæ.

Arna Vareca Indiæ Orientalis.
Arna, ovvero Ana Vareca Zan. Iſt. Bot. 29. App. 209.
Thalia Maravara H. Malab. XII. pag. 9.

ARTEMISIA FOLIIS EX LUTEO VARIEGATIS.

Tab. 17. QUæ a Zanonio in tabulis depingitur Artemiſia, nulla in re a vulgari differt, niſi quod permiſtus in foliis viridis color flavo ſpectetur. Hæc autem coloris varietas unde primum fuerit profecta difficile eſt inveſtigare; nam & Buxum ſimiliter frondeſcere in hortis videmus, & Arundinem, & Salviam, & multas præterea ſtirpes, de quibus nondum liquet utrum ſua ſponte, an artificio ad coloris, & faciei mutationem deductæ ſint. Certe is color, quem viridi mixtum eſſe diximus, ab eo non admodum differt, quem habere ſolent herbarum frondes tabeſcentes, brevique interituræ; ut ex nimia venularum contractione hunc etiam ortum eſſe veriſimillimum ſit. Conjectura hæc noſtra ex eo, vel maxime confirmari videtur, quod ſtirpes hac varietate colorum indutæ ad conſuetam plerumque altitudinem non adoleſcant, neque flores admodum copioſos fundant; niſi forte diuturnitate temporis, quod aliquando evenire ſolet, priſtinum recuperent habitum, & colorem.

Artemiſia foliis ex luteo variegatis H. R. Pariſ. 24. Tour. I. R. H. 460.
Artemiſia variegatis foliis H. R. Bleſ. 21.

ARTI SIVE ALDUM SOLORIÆ INSULÆ.

ARti, & Aldum ignotiſſimæ arboris ſunt nomina, quæ in Soloria Moluccarum inſula reperiri dicitur. Imaginem illius Matthæi a Sancto Joſeph opera ac ſtudio expreſſam, in prima Hiſtoriæ ſuæ parte edidit Zanonius; nullam vero deſcriptionem appoſuit, quod in Religioſi illius Viri commentariis haud fere quidquam de ipſa proditum ſupereſſet. Ceterum id ſibi viſum eſſe dixit plane veriſimile, lacteſcentem humorem ex inciſo hujus ſtirpis cortice profluere, atque ex eo fieri idoneam ad medicinæ uſus reſinam: quam conjecturam ex eo ductam ſuſpicor, quod in Matthæi tabula culter trunco infixus manantes ex eo guttas eduxiſſe videatur. Folia hujus ſtirpis Zanonio viſa ſunt ab ea ſtirpe non multum diſſidere, quæ a Proſpero Alpino *Beidelloſſar* (*a*), a Caſparo Bauhino Ægyptiacum Apocynum (*b*) nominata eſt. *Tab.* 18.

Arti, ſive Aldum Soloriæ inſulæ.
Arti, ovvero Ada, e forſe Aldum dell' iſola di Solor nella China Zan. Iſt. Bot. 29.

ARUM BIFOLIUM ARABICUM MACULATUM ARDABAR MATTHÆI A S. JOSEPH.

ARi cujuſdam Orientalis deſcriptionem, ac imaginem in ſuperiorem Hiſtoriæ ſuæ partem retulit Zanonius, ex parvulo illo exceptam libello, de quo in proœmio diximus, quemque ſcripſiſſe Matthæus a S. Joſeph dicebatur. Nos eam pariter iiſdem verbis expoſitam tradimus. *Tab.* 23. *fig.* 3.

Ardabar eſt herba, quæ facit radicem ſimilem Aro noſtro, cum aliquibus parvis radicibus, ut in figura obſervatur: ex hac naſcitur virga aculeis circundata, quæ extollitur ad ſex palmos; in vertice gignit pyramidem ex baccis viridibus compoſitam, ad ſimilitudinem Cupreſſi, quæ dum ſunt maturæ rubeſcunt, cum palla in medio: folia

 ſunt

(*a*) *De Plant. Ægypt.* 86. (*b*) *Pin.* 303.

ſunt duo, & a radice unde habent originem æqualiter extolluntur, unum in aliud inſitum, ex quorum medio exit virga, vel caulis habens folia ad formam ſemicirculi, coloris qui in viridi rubeſcit, nigris maculis aſperſa, & ſunt pulcherrima viſu: fructus & radices ſunt calidiſſimæ, quibus Indi utuntur contra morbos frigidos. Eſt Viridarii.

Quale hoc Viridarium fuerit, & quomodo ex ipſo multæ Orientales ſtirpes depromptæ fuerint, idem ipſe Matthæus, vel quisquis illius libelli ſcriptor fuit, his verbis declaravit.

Vidi & obſervavi multas plantas in Viridario cujuſdam magni Viri, nomine Saladinus Artafa, in urbe Balſora (a), qui delectabatur ſimplicibus curioſis, & extraordinariis; callebat etiam Medicinam, & armis excellebat. Valde perhumane mihi oſtendit hoc Viridarium, videns quod ego quoque delectarer ſimplicibus. Ab eo ex illis petii, ſed reſpondit quodcunque aliud petiiſſem ſe mihi libenter conceſſurum, ſed id neque mihi, neque cuicunque alii conceſſurum. Petii veniam illas delineandi, & mittendi in Europam, quam mihi libenter conceſſit, dicens ſe mihi illa negare, quæ a ſuo Patre hæres habuerat, & ex variis longinquis terræ partibus acceperat. Et ut poſſem delineare quaſcunque partes plantarum, cum radices non poſſent videri, mihi oſtendit librum, in quo ſimplicia illius Viridarii erant delineata, & ex illo figuras integras extraxi.

Ego ſtirpes pleraſque e Saladini libris translatas non plane ad veritatem expreſſas cenſeo. Hæc ipſa Ari ſpecies, propter foliorum inſolitam figuram, doctiſſimo Viro Joanni Rajo ſuſpecta fuit quodammodo. Paulus autem Hermannus ſuperioris ævi Botanicus illuſtris, veriſſimam hanc eſſe Orientalium regionum ſtirpem confirmavit. Refert enim ſe anno præteriti ſeculi ſeptimo ac ſeptuageſimo Cochini aliquandiu commoratum, Matthæum a Sancto Joſeph ea in urbe conveniſſe, interque complures elegantiſſimas ac rariſſimas ſtirpes, admirandas etiam frondes iſtius Ari ab eodem ſibi demonſtratas eſſe.

Arum bifolium, Arabicum, maculatum, Ardabar Matthæi a S. Joſeph Parad. Bat. pag. 76. Tour. I. R. H. 160.
Ardabar pianta Orientale, ſpezie di Aro, così chiamata in lingua Arabica Zan. Iſt. Bot. 23.
Arum Orientale, Ardabar dictum Raj. Hiſt. II. 1210.

ARUM

(a) *Balſora Chaldææ civitas ad Euphratis oſtium poſita.*

ARUM ORIENTALE TRIPLICI FLORE.

DEprompta hæc etiam eſt, ut opinor, e Saladini Artafæ libris Orientalis Ari ſpecies, atque in hunc modum deſcripta. *Tab.* 173. *fig.* 2.

Hæc planta Zafar eſt valde curioſa: facit radicem craſſam, cum tribus diviſionibus, quæ oſtendunt veluti tres radices, cinctas radicibus; in extremitate caulis erigitur ad duodecim palmos, planus, cum aliquibus parvis maculis: facit folium valde magnum, ex cujus vertice prodeunt alia tria parva folia, & ab illis exit corniculum, vel vagina ſimilis Serpentariæ communis, coloris rubri obſcuri, reſiduum plantæ eſt viride, excepta radice, quæ eſt alba. Tota planta eſt contra venenoſorum præcipue anguium morſus.

Arum Orientale, triplici flore.
Aro Orientale Zan. Tab.

ARUNDO SEMIFARCTA RHENI BONONIENSIS PLINII.

ARundo ſagittaria non eadem a Plinio, quæ a Theophraſto, ac Dioſcoride commemorata eſt. Quippe Græci Scriptores haud aliam videntur, quam ſolidam illam plenamque Arundinem deſignaſſe, quæ Orientales terras incolit, quæque nunc etiam ad ſagittas conficiendas a Scythis, Turciſque adhibetur. Theophraſti verba hæc ſunt. *Sagittaria, quam Creticam quidam appellant, ſui generis eſt, nodis paucis geniculata, carnoſior omnibus, maxime flexum recipiens, atque omnino obſequens quo libeat flecti calefacta* (*a*). Ab eo non multum recedens Dioſcorides hæc ſcripſit. *In Arundinum genere quædam Naſtos, ideſt farctior vocatur, ex qua ſagittæ factitari ſolent* (*b*). Nihil autem exploratius eſſe poteſt, quam Orientalem iſtam Græcorum Arundinem longe ab ea diſtare, quam Plinius memoriæ prodidit in Bononienſi Rheno ad ſagittas conficiundas aptiſſimam gi- *Tab.* 19. *fig.* 2.

(*a*) *Lib.* 4. *cap.* 12. (*b*) *Lib.* 1. *cap.* 97.

gni, medulla quidem plurima refertam, non autem ſolidam, ac plenam. *In hoc quoque* (inquit) *ut in ceteris rebus vicit Italia, quoniam nullus ſagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, ponduſque volucre, contra flatus quoque pervicax libra.* (*a*)

Quanquam e ſuperioribus Botanicis non defuerunt, qui cum eandem eſſe Plinii, ac Dioſcoridis ſagittariam Arundinem crederent; cumque Syriacam aut Orientalem a Dioſcoride non obſcure deſcriptam intelligerent, hanc ipſam in Bononienſi Rheno provenire ſcriptis mandarent. Ac ceteri quidem, vel propria conjectura, vel falſa aliorum narratione in eum errorem inducti ſunt. Amatus Luſitanus inventus eſt, qui ſe in Bononienſi Rheno ejuſmodi ſtirpem propriis vidiſſe oculis judaica fide affirmaret. *Primum itaque genus a Dioſcoride deſcriptum Naſtos dicitur, Harundo ſcilicet enodis, ſolida, concreta, & lævis, ex qua Syriaci, & multi alii ſagittas parant. Naſcitur enim, ut teſtatur Plinius, & nos ipſi propriis vidimus oculis, in Rheno flumine Bononienſi.* (*b*)

Quæ autem vera eſſet Pliniana Arundo, omnium, ut opinor, primus cognovit Zanonius, homo cum in ſtirpibus perveſtigandis acer & diligens, tum etiam antiquitatis, ſi quid ex ea ad Botanicos pertinere videbatur, interpretandæ perſtudioſus. Quippe in Bononienſi Rheno novam Arundinem invenit, non eam ſane lignea materie farctam, quemadmodum illa eſt Orientalis, ſed vulgari tamen ſolidiorem, ac dimidia fere ex parte medulla repletam: ea ſic ab Auctore in prima Hiſtoriæ ſuæ parte deſcribitur.

Radix hujus ſtirpis longe, lateque diſpergitur, ut in vulgari Arundine, ſobolemque copioſam fundit. Calami ex ipſa emergunt graciles, teretes, lenti, viminumque inſtar flexibiles, medullam includentes, ſive ligneam materiem plurimam cortici adhærentem, exiguo ſpatio intus relicto; quod etiam circa radicem, & in ima parte anguſtius, fragiliores ibi, durioreſque ad flexionem ſuſtinendam præſtat. Crebra in his calamis geniculа exiſtunt, ex quibus folia oriuntur anguſtiora, quam in ceteris Arundinibus, tenuiſſimis ſulcis exarata, & aſpera, duos ferme dodrantes longa. Paniculam fert ex multis compoſitam ſpicis gracilibus, plumatis, viridi colore, cæruleo, ac purpureo variam. Radicum ſtipites minimo digito æquales inanitatem minus

(*a*) *Lib. XVI. cap. 36.* (*b*) *In Dioſc. pag. 101.*

minus amplam, nodoſque frequentiores habent; ab his fibræ gignuntur tenues, Helleboro albo pares, dulciculo ſapore. Germina primo vere truduntur pyramidis forma; poſtea calami adoleſcunt ad humanam proceritatem, vel humana etiam majorem. Auguſto floreſcit, ſemen habet Septembri, Octobrique maturum.

In montanis torrentibus, qui in Rhenum influunt, atque adeo in Rheni ipſius ripis naſcitur, dum adhuc montibus circumſeptus labitur; poſtea quam ex ipſis in planitiem urbi proximam emerſit, nullam amplius Arundinem profert, excepta vulgari, nihil ab ea, quæ in ceteris amnibus gignitur, diſſidente. In hortos translata vicinarum ſtirpium locum occupat, earumque alimentum præripit, iccirco a cultoribus ſæpiſſime evellenda.

Arundinis ſpecies eſt, quam ſummus ille Vir Guillielmus Sherardus Britannus, Botanicorum, dum vixit, Princeps habitus, quum in Tiberi Romano fluvio inveniſſet, Tiberinam appellavit. De hac in tertio Hiſtoriæ ſuæ volumine mentionem intulit Rajus; eandemque videri, quæ in Bononienſi Rheno multo antea reperta eſſet a Zanonio, is qui utramque in proprio ſolo naſcentem viderat Michelius, Parenti meo per literas ſignificavit. Roma quoque hanc ſtirpem ſuperioribus annis ad nos miſit Vir omni doctrinæ genere ornatiſsimus Antonius Leprottus Corrigienſis, Clementis XII, nunc etiam Benedicti XIV Maximorum Pontificum primarius Medicus; eamque a noſtra Bononienſi nihil prorſus diſsidere intelleximus. Veriſimile eſt autem Plinianis temporibus, vel nondum circa Tiberim obſervatam, vel ex regionis conditione minus idoneam ad ſagittas conficiendas viſam eſſe; iccirco eam laudem Bononienſibus præcipue calamis aſcriptam.

Arundo ſemifarcta, Rheni Bononienſis Plinii Mont. Cat. Stirp. Prod. 32.
Canna fiſſa del fiume Reno di Bologna, di Plinio Zan. Iſt. Bot. 62.
Arundo Tiberina, vulgaris D. Sherard Raj. Hiſt. III. 615.

ARUNDO FARCTA VALLIUM RAVENNÆ.

Tab. 19. *fig.* 3. ARundini Bononienſi, quam antea pertractavimus, alteram adjecit Zanonius, in maritimis prope Ravennam locis inventam; eamque a calamis medulla farctis plenam nuncupavit: quod vero a nemine obſervatam putaverit a veritate alienum eſſe Joſeph Montius Parens meus jamdudum oſtendit, quandoquidem in Prodromo, ac Theatro Botanico deſcripta erat a Caſparo Bauhino, non Arundinis quidem, ſed Arundinacei Graminis nomine: fortaſſe ob eam cauſſam, quod neque radicum forma, neque calamorum duritie cum reliquis Arundinibus plane conveniret. Verum ſi Arundines a Graminibus, quemadmodum Tournefortio placuit, ſola proceritas dirimit; nihil profecto eſt cauſſæ, cur hanc ſtirpem altiſſimas quaſque Arundines noſtrarum regionum exæquantem, plumatis etiam paniculis cum iiſdem congruentem, de Arundinum numero eximendam putemus.

Calamos hæc Arundo tenues habet, ut Bononienſis antea deſcripta, raris geniculis interſectos, levi & candida medulla plenos, eaque mollitudine, ut nullos fere ad uſus apti eſſe queant. Folia ad articulos exiſtunt duas pene ulnas longa, ubi caulibus adhærent argentea lanugine veſtita, reliqua ex parte aſpera, viridia, ac rubentibus punctis conſperſa. Paniculæ in extremis inſident calamis, ampliores quam in Bononienſi ſagittaria Arundine, albo & purpureo colore variæ, luteis apicibus dum florent onuſtæ; poſtea vero, ſeminibus ad maturitatem ductis, reliquarum inſtar Arundinum plumatæ. Radix tuberis pene inſtar creſcit, multiſque tenuibus fibris nititur; in eo a reliquis hujus generis ſtirpibus diſcrepans, quod nullas reptando propagines emittat.

Hæc non modo in Ravennatium convallibus, ſed in ceteris Hadriatici Maris litoribus provenit, lociſque omnibus, quæ ſalſis fluctibus alluuntur. Nos in maritimis ſpatiis inter Liquentiæ Plaviſque oſtia interiectis, octo ab hinc annis proceriſſimam conſpeximus.

Satis, ut opinor, de Ravennatium Arundine, ſatis etiam de Bononienſi ſagittaria dictum eſt: ſupereſt modo ut effigiem illius

ilus explicemus, quæ *Arundinis Peruanæ ſentientis* nomine in eadem tabula cum ſuperioribus delineata eſt, de qua ego ſeparatim agendum non exiſtimo, quod neminem futurum putem, qui ex ipſa deſcriptione falſam eſſe, & commentitiam non ſuſpicetur. Zanonius vim ſentiendi, ac reliqua portenta huic Arundini aſcripta non omnino improbabilia eſſe cenſuit, quod etiam in Mimoſis ineſſe aliquam ſenſus imaginem videret. Nicolaus Ponchavius Belga, homo venalitius, florum, elegantiorumque ſtirpium cultura, ac mercatu quæſtum faciens, deſcriptionem hujus Arundinis, quam Olyſsipone miſſam ajebat, ad Zanonium attulit, quo per id tempus familiariſsime utebatur. Narratio autem ipſa latine a nobis reddita eſt ad hunc modum. *Tab.* 19. *fig.* 1.

Humanam proceritatem aſſequitur hæc Arundo, minimi digiti craſsitudinem non ſuperat, plena, multiſque nodis interſciſſa, colorem habet vulgari Arundine atriorem. Cum primum e terra erumpit ſex, vel ſeptem promit folia, floreſcentis Arundinis, ideſt Cannacori conſimilia, eo tantum diſcrimine, quod margines habeant dentatos: gemina etiam in ſummo caule profert minora multo, ac breviora, alarum ſpecie, in quibus caput inſidet ſquamoſum, Cinaræ ſimilitudine, cujus extrema pars in longum mucronem deſinit, album, peracutum, ac mortiferum. In hac ſtirpe ea vis ineſt Homini adverſa, ut ſi quis ad eam proxime accedat, contra eundem flexa vulnere inflicto vitam adimat; ex quo infinitam pene incolarum multitudinem periiſſe conſtat. In monte quodam excelſo Peruæ naſcitur, quo a pacifico Mari Oceanus Atlanticus dirimitur: montem illum Campreſſum nominant, atque ad illius radicem Panama urbs poſita eſt, octo gradus ab æquinoctiali linea remota.

Zanonius Ponchavianæ narrationi credidit; quibus enim ipſe temporibus vixit, nonnimis accurate falſa a veris; præſertim in his rebus diſcerni conſueverant. Illud etiam ab aliis proditum commemorat, Peruanam Arundinem, non accedentes homines, ſed contrectantes vulnerare, quod ne ipſum quidem veriſimile nobis videtur.

Arundinis Ravennatis nomina, pro conſuetudine noſtra, hoc loco enumerabimus.

Arun-

Arundo farcta Vallium Ravennæ Zanoni Mont. Cat. Stirp. Prod. 32.
Gramen Arundinaceum, plumoſum, album C. B. Prod. 14. *Theat.* 95. *Scheuchz. Agroſt.* 136.
Gramen Arundinaceum, ramoſum, plumoſum, album C. B. Pin. 7. *Zannich. Iſt. Lid. Ven. pag.* 126. *tab.* 52.
Canna piena delle Valli di Ravenna Zan. Iſt. Bot. 64.
Gramen paniculatum, Arundinaceum, ramoſum, panicula denſa, ſericea Tour. I. R. H. 523.

ASSITRA SIVE ARBOR DIVI THOMÆ.

Tab. 20. ASsitra leguminoſæ arboris genus eſt, quod in primo volumine Horti Malabarici barbaro æque nomine deſcribitur. Imaginem illius in commentariis Matthæi a Sancto Joſeph reperit Zanonius, nulla prorſus adiecta declaratione, eamque in veterem conjecit Hiſtoriam. Nobis autem partim ex Horto Malabarico, partim ex noſtra obſervatione pauca quædam adjungere libuit. Quippe hujus arboris ramum inter chartas exſiccatum Parens meus ſervat, cum aliis peregrinis ſtirpibus ad ipſum e Batavia pluribus abhinc annis miſſum.

Aſsitra nulli aptius ex arboribus, quæ apud nos proveniunt, quam Siliquaſtro comparari poteſt: eadem prope eſt frondium magnitudo, eadem ſoliditas, eademque forma, hoc uno diſcrimine, quod in extremo margine bipartitæ ſint, ut caprini pedis æmulentur veſtigia. Flores habet magnos, ex quinque petalis compoſitos, odoratos, purpureos, vel roſeos, notiſque ſanguineis varios. Siliquæ his floribus ſuccreſcunt longæ, ac compreſſæ, pauca intus continentes ſemina, fabis conſimilia, ac pene rotunda.

Arbor quoque Sancti Thomæ a Chriſtianis Indiæ populis nuncupatur, quod ipſius flores Sanctiſsimi Apoſtoli ſanguine quondam reſperſos memorant; eo tempore ſcilicet, quo barbaris Indorum gentibus ab antiqua ſuperſtitione ad veriſsimum Divini Numinis cultum traductis, mortem ipſam oppetere pro Chriſtiana religione haſtis confixus non dubitavit. Chriſtophorus Acoſta Indicarum rerum Scriptor mentionem & ipſe arboris facit a S. Thoma nuncupatæ, quam Veterum eſſe

Mace-

Macerem demonſtrare nititur, eam vero ab Aſſitra plurimum differre animadvertit Zanonius, quod etiam Syenus confirmavit in notis, quas primo Horti Malabarici volumini aſcripſit.

Aſſitram a nobis in leguminoſis ſtirpibus numeratam eſſe, quæ flores ex quattuor petalis compoſitos gignat, forte aliqui mirabuntur; quibus hoc perſuaſum erit, quodvis legumen papilionaceum florem gignere, floremque papilionaceum ex quattuor petalis conſtare. Quanquam ſi de hoc petalorum numero maxime liqueret, tamen induci non poſſem, ut vel Aſſitram hanc, vel ipſi cognatas ſtirpes Poincianam, Caſſiam, Sennam, Mimoſam, & Acaciam a ceteris leguminoſis diſtrahendas arbitrarer. Atqui papilionacei flores, quales pleræque leguminoſæ ſtirpes habent, non minus ex quinque petalis conflati ſunt, quam Sennæ, vel Caſſiæ, vel Poincianæ flores; quoniam in ipſis ea, quæ carina dicitur, ex duobus petalis conſtat extrema parte conglutinatis, origine plerumque ſejunctis, quemadmodum a Petro Magnolio luculenter demonſtratum eſt (*a*). Quin etiam Acaciæ, & Mimoſæ flores monopetalis falſo annumeratos, ac in ipſis quinque diſtincta ineſſe petala, de Mimoſis agentes planiſſime oſtendemus.

Aſſitra, ſive Arbor Divi Thomæ.
Siliqua ſylveſtris, rotundifolia, Indica C. B. Pin. 402
Aſſitra, ovvero Arbore di S. Tommaſo, in lingua Arabica detto Kethesnar Zan. Iſt Bot pag. 40.
Chovanna Mandaru H. Malab. I. pag. 57.
Arbor ſiliquoſa, Malabarica, foliis bifidis, flore purpuraſcente, ſtriato. Syen. not. H. Malab. I. pag. 58.
Arbor Sancti Thomæ, ſive Aſſitra Jacobi Zanonii Breyn. Prod. 2. 19. *Comm. Fl. Malab.* 30.

(*a*) *Nov. Char. Plant. pag.* 280.

ASTER VERBASCI FOLIO.

Tab. 21. PErelegans hæc eſt, ac longe reliquarum diſſimilis Aſteris ſpecies, quam Botanici prope omnes a Verbaſci foliorum ſimilitudine conſenſerunt appellare. Deſcripſit eam Zanonius pro nova, nondum ſciens a Bocconio anno ante memoratam: idemque extrema pagina ſignificavit hanc eandem extare ſtirpem in Bocconii libello, cujus ipſe notitiam habuerat, Hiſtoriæ ſuæ editione ad finem perducta. Nos Zanoniana deſcriptione ad illius tabulam, quæ accuratiſſima eſt, explicandam utemur.

Eſt igitur huic Aſteri haud ita gracilis, ac ſubaſpera radix, cinerei coloris, multiſque fibris tenuibus, & contortis nixa. Folia hinc prodeunt complura, Verbaſci frondibus, quod ad figuram attinet prorſus ſimilia, ſed longe minora, nonnihil ad margines dentata, mollia, rugoſa, ac denſa obducta lanugine, quæ in averſa parte candidior, in ſuperiori ad viridem colorem vergit. Stipites ad unius cubiti ſurgunt altitudinem, in ramos diviſi, teretes, firmi, candido tomento veſtiti, multiſque modis inflexi. Frondes eorum nodis inhærent, iis quæ ad radicem gignuntur minores, acuminatæ, brevibuſque pedunculis fultæ. Flores, ut reliquæ hujus generis ſtirpes, compoſitos profert, ac radiatos, umbonem ex floſculis, coronam autem ex iis, qui ſemifloſculi vocantur, conflatam habentes, aurei coloris. Perianthia, quibus ejuſmodi flores continentur, ampla ſunt, ex multis exiguis foliis candidis pariter, & lanugine contectis, alternis longioribus, brevioribuſque compoſita: in his demum herba defloreſcente minuta ſemina quadrata, & hirſuta ad maturitatem veniunt.

Epidauro hanc ſtirpem delatam habuit Zanonius, diuque tenuit, cum in fictilibus vaſis eam alere, & condere per hiemem conſueſceret; non enim apud nos hibernum frigus tolerare poteſt. Patavii nuſquàm alibi a me conſpectam in Horto publico demonſtravit Julius Pontedera, Botanicus noſtræ ætatis longe præſtantiſſimus, ejuſque Horti Præfectus.

Diximus hanc ſtirpem reliquorum Aſterum diſſimilem videri; excipiendum tamen vulgare Helenium eſt; ſi illud quoque inter Aſteres de Tournefortii ſententia recenſere placeat, nam & foliorum habitudine, & perianthii conformatione ad illud

illud proxime accedit; ut nobis permirum videatur Sebaſtianum Vaillantium, hominem peritiſſimum, qui peculiare genus Helenii conſtituit, omneſque ad ipſum revocavit Aſteris ſpecies, quæ luteo flore eſſent, hanc prope ſolam ex omnibus vulgari Helenio ſimillimam alio contuliſſe. Nec vero ratio ulla excogitari poteſt quamobrem Conyzis annumeraverit, quæ flores habent radiorum aut ſemifloſculorum plerumque expertes, huic enim ſtirpi Zanonius pariter, ac Bocconius radiatos flores apertiſſime tribuunt.

Aſter Verbaſci folio H. R. Pariſ. 27. *Tour. I. R. H.* 483.
Aſter tomentoſus, luteus, Verbaſci folio Bocc. Rar. 60.
Aſtero di Raguſa, con foglie di Verbaſco Zan. Iſt. Bot. pag. 33. *App.* 210
Conyza Verbaſci folio, acuto Vaill. Mem. Acad. Pariſ. ann. 1719. *pag.* 298.

ASTER NOVÆ BELGIÆ, LATIFOLIUS, UMBELLATUS, FLORIBUS DILUTE VIOLACEIS.

VIrginianus Aſter, de quo nunc dicere ingredimur, quattuor cubitos altitudine exæquat. Caules rotundos habet, humano fere digito æquales, alba medulla plenos, flexibiles, molles, viridi cortice, aut flaveſcente veſtitos. Nodi in his crebri ſunt, in quibus folia ab inferioribus non diſſidentia naſcuntur, ideſt magnitudine, ac forma Perſicariæ conſimilia, craſſiora tamen, nullis pedunculis nixa, ea parte, qua ſtipiti inhærent, latiora, de cetero dentata, præſertim quæ circa radicem pullulant. Flores pene innumeri æſtivo tempore, atque autumnali hanc ſtirpem exornant, ſquamoſo calyce fulti, ea magnitudine, qua ſeparatim in tabula expreſſi ſunt. Medius eorum umbo purpureo, ac luteo colore eſt varius, radii vero cærulei, quemadmodum in Aſtere maritimo, quem vulgo Tripolium nominant. Habuit etiam Zanonius Virginiani Aſteris ſtirpes florum radios non purpureos proferentes, ſed candidos; ejuſque diſparitatis mentio a nemine, quod ſciam, illata eſt: cadentibus *Tab.* 22.

floribus ſemina in calycibus remanent pappis inſtructa, quæ autumno ad maturitatem perveniunt. Radices habet copioſa ſobole fœcundas, ut ſemel in hortis ſatus vix unquam niſi evulſus intereat.

Guido Montalbanus, religioſo S. Franciſci ordini aſcriptus Lutetia Pariſiorum hanc ſtirpem in Bononienſes hortos primus invexit. Zanonius a fratre illius Ovidio accepit erudito homine, ac Botanico ex noſtris civibus, ut illis temporibus, non contemnendo. Ceterum hac noſtra ætate vulgaris adeo factus eſt, ut non modo a Botanicis, ſed ab iis etiam, qui coronariis ſtirpibus hortulos conſerunt, ob elegantiam floris ac venuſtatem frequentiſſime excolatur.

Aſter novæ Belgiæ, latifolius, umbellatus, floribus dilute violaceis H. L. Bat. 66. Tour. I. R. H. 482. Vaill. Mem. Acad. Pariſ. ann. 1720. pag. 312.
Aſtero di Virginia Zan. Tab.

ASTER CANADENSIS ANNUUS FLORE PAPPOSO.

Tab. 23. fig. 1. CAnadenſem hanc ſtirpem, ſeu Virginianam, quoniam ex utraque regione illatam ferunt, ad genus Aſteris pertinere cuivis perſpectum eſſe poteſt, modo arvenſem Aſterem cæruleum, quem pro Virgiliano Amello habuit Columna, vel Canadenſem annuum ramoſum accurate contempletur: quippe cum altero in floribus, cum altero autem in foliis externoque habitu non mediocrem ſimilitudinem habet. Dionyſius Joncquetus, qui Horti Regii Pariſienſis recenſionem edidit, primus hanc ſtirpem *Aſteris Canadenſis annui* nomine commemoravit, qua etiam nuncupandi ratione Vaillantius uſus eſt. Zanonius autem in veteri Hiſtoria, ac Tournefortius, propter flores in ſpicas quodammodo congeſtos, Virgam auream appellare maluerunt.

Ceterum in hoc Aſtere multa ad radicem exiſtunt folia aſpera, hirſuta, ac dentata, ſeu variis potius flexibus ſinuoſa, multo quidem anguſtiora, quam in altero illo Canadenſi, ſed non plane, quod ad formam, attinet, atque, habitudinem diverſa. Caulis ad duarum tollitur ulnarum altitudinem, teres, hirſutus, ſolidus, ac rectus, digito fere minimo tenujor, vix

un-

unquam craſſior, multis foliis anguſtis, ac dentatis veſtitus. Summa illius pars ramulos profert, in quibus folia anguſtiſſima ſunt non dentata, ut in Linaria. Hinc flores exeunt omnium ſive Aſterum, ſeu Virgarum etiam aurearum minimi, ſpicarum forma, ex tenuiſſimis radiis albis, vel pallidis flavum umbonem circumplexis conſtantes. His cadentibus, ſemina in calycibus permanent, augenturque pappis inſtructa. Paucorum menſium herba eſt, vere jam progreſſo naſcitur, Julio, & Auguſto floret, autumni initio, ſeminibus maturis, extinguitur.

Ex Canada, & Virginia Borealis Americæ regionibus in Europam ſemel invectus, adeo ſe ipſum ſeminibus longe, lateque volitantibus propagavit, ut nullus jam, ſive in Italia, ſive in Gallia, ſive in Germania locus ſit, in quo ſua ſponte non proveniat. Bocconius, qua ipſe vixit ætate, multos fuiſſe tradit, qui hanc ſtirpem ex America adductam negarent, eamque velut indigenam Europæ aſſererent; repugnante, ut ipſe inquit, ſeniorum Pariſienſium fide, quibus prima ætate fuerat incognita. Zanonius etiam fœcunditatem hujus herbæ admiratus eſt, qui habuit illam fere pro non deſcripta: quum, abſoluta demum Hiſtoriæ ſuæ editione, Bocconii libellum, qui anno ante in Gallia prodierat, videre potuiſſet.

Obſervavit etiam Zanonius hanc ſtirpem omni ex parte minorem, de qua ſeparatim verba fecit, nulla tamen imagine propoſita. Nobis eadem neutiquam diſtincta videtur ſpecies, ac ne Zanonio quidem ipſi plane viſa eſt, qui utramque ſtirpem eodem ſemine, quod a Pariſienſi Botanico Dionyſio Joncqueto acceperat, prognatam meminiſſet.

Aſter Canadenſis, annuus, flore pappoſo H. R. Par. 27. *Vaill. Mem. Acad Pariſ. ann.* 1720. *pag.* 312.
Conyza acris, annua, alba H. R. Bleſ. 256.
Conyza Canadenſis annua, acris, alba, Linariæ folio Bocc. Rar. 85.
Virga aurea Virginiana, irſuta, annua, di fiore pallido Zan. Iſt. Bot. 204.
Virga aurea Virginiana, minore Zan. Iſt. Bot. 206.
Virga aurea Virginiana, annua Tour. I. R. H. 484.
Conyzella Dillen. Cat. Pl. Giſs. 160.
Erigeron floribus paniculatis Linn. H. Cliffort. 407. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 166.

ASTE-

ASTERISCUS AQUATICUS ANNUUS PATULUS.

Tab. 24. ASteriſci hæc ſpecies cubitalem altitudinem interdum aſſequitur. Caulem habet rectum, hirſutum, flexibilem, exigua medulla farctum: folia articulis inhærent in eodem caule nullo fere ordine diſpoſita, integra, & hirſuta, vulgarem illum Aſteriſcum exprimentia, qui ab Anguillara, & Cluſio pro Attico Dioſcoridis Aſtere eſt habitus; minora tamen, quemadmodum & tota ſtirps, nulliſque pedunculis nixa. Florem in ſummo caule profert radiatum, aureum, ſemifloſculis brevibus, ac dentatis umbonem ambientibus, ex quo jucundus quidam thuris, aut roſæ odor efflatur: huic flori præter interiorem calycem ſquamoſum, externus alius a natura datus eſt, ex gemino foliorum ordine compoſitus, quæ quidem viciſſim ita collocata ſunt, ut alternis longiuſculis breviora plerumque interpoſita ſpectentur. Circa florem rami exoriuntur, qui ſupra ipſum elati alios non diſſimili ratione proferunt flores, novique ex his ramuli, novos itidem floſculos gignentes, pullulant: ea lege, ut qui medio inſidens cauli primus omnium exortus eſt flos infra ceteros depreſſus jaceat, reliquorum autem, ut quiſque ſerius apparuit, altius extollatur, quemadmodum in Filagine, quæ ob eam cauſſam *Filius ante Patrem* nominata eſt. Poſtquam flores exaruerunt, ſemina in calycibus arcte manent infixa, eaque longiuſcula ſunt, & quadrata, paucis in ſumma parte rigidis, brevibuſque pilis inſtructa, quibus papporum nomen haud recte convenit.

Seminibus ex Creta inſula miſſis nata hæc primum apud Zanonium eſt: Jacobus Breynius eandem habuit ex Luſitania; poſtremo & in Gallia Narbonenſi prope Monſpelium invenit Magnolius Junio florentem. Apud nos ſingulis annis ſerenda eſt, paucis enim ab ortu menſibus, maturis ſeminibus, perit.

Zanonii opinio eſt hujuſmodi ſtirpes non a ſemifloſculis, qui radiatis floribus communes ſunt, ſed ab externis foliis ſtellæ ſimilitudine circa flores diſpoſitis Aſteres, vel Aſteriſcos nominatas eſſe; ut multo acutius, & rectius Dioſcoridis mentem interpretati ſint, qui vulgarem illum rigidiorem Aſteriſcum, quam qui Amellum cæruleum, aliaſve ſtirpes pro Attico Aſtere habuerunt. Ceterum Dioſcoridis Aſteri Creticam hanc ſtirpem

pem magis congruere, quam Aſteriſcum vulgarem exiſtimat, quod nulla a Dioſcoride aculeorum mentio illata ſit: verum quoniam ne de odoratis quidem floribus meminit, vix quidquam eſt, quod in alterutram partem affirmari poſsit.

Aſteriſcus aquaticus, annuus, patulus Tour. I. R. H. 498. *Vaill. Mem. Acad. Pariſ. ann.* 1720 *pag.* 332.
Aſter Conyzoides Monſpelienſium H R. Bleſ. 234.
Aſtero Attico annuo, odorato, di Candia Zan. Iſt. Bot. pag. 30.
Chryſanthemum Conyzoides, Luſitanicum Breyn. Cent 1. *pag.* 157.
Aſter annuus, Attico luteo ſimilis, foliis ad florem mollibus Bot. Monſp 32.

ASTRAGALUS TRIANGULARIS.

Tab. 25.

AStragali hæc ſpecies ad eam ſæpe altitudinem, quæ in tabula exprimitur, majorem etiam aliquando adoleſcit. Unicum habet caulem teretem, ac rectum, inferiori parte cavum, piliſque albis veſtitum. Non admodum in eo frequentes articuli ſunt, hiſque inhærent frondes conjugatæ, vulgaris illius Aſtragali conſimiles, qui minor Securidaca a Botanicis quibuſdam dictus eſt: color ſupinis viridis, averſis autem propter villos ibidem exiſtentes caneſcens. E frondium ſinu cauliculi emergunt ſpicas ferentes, ex minutis floribus papilionaceis compoſitas, de quorum forma non attinet hoc loco dicere; ſunt enim eadem ratione conſtructi, ac in reliquis Aſtragalis, albo colore, vel eo certe, qui ad album proxime accedat, flavi etiam, ac viridis interdum participes. Flores conſequuntur ſiliquæ omnino, quam in ceteris Aſtragalis ampliores, triangulares, leviter a ſummo inflexæ, & incurvæ, ſicæ vel cultri ſpeciem præſeferentes: eæ ſunt autem, quemadmodum in ceteris hujus generis ſtirpibus, duplices, tenui ſepto ſecundum longitudinem ducto ſemina dirimente, quorum utrinque poſita ſunt quaterna, aut quina grandiuſcula, pene quadrata, flavique coloris. Tenui radice nititur hæc herba, quemadmodum ex annuis multæ: hæc autem breviſſimæ ætatis eſt, quum bimeſtri ſpatio oriatur, ac floreat, ſtatimque exareſcat.

Aſtragali triangularis flores plures aliquando in ſpicis congre-

gregati ſunt, quod in Zanonii, ac Muntingii tabula demonſtratur: nonnunquam duo, vel tres conjunctim naſcuntur, idque in Riviniana imagine exprimitur. Vitioſa quidem eſt a Gerardo, ac Parkinſonio tradita effigies, ſiliquas enim habet ad originem frondium proxime adhærentes, ut in illo Aſtragalo, quem *Viciam Seſamaceam Apulam* Fabius Columna appellavit (*a*), ex quo vir clariſſimus Paulus Hermannus in errorem inductus eſt, ut eundem eſſe utrumque Aſtragalum crederet. Cupanus ambas inter ſe differre ſtirpes planum fecit, quas ille in Sicilia naſcentes, vigenteſque obſervaverat: quin etiam noſmetipſi eandem rem confirmare poſſumus, quippe qui Aſtragalum triangularem non ſemel in hortis noſtris florentem, ab eo, qui *Vicia Seſamacea* dicitur, multum diſtare cognovimus.

Aſtragalus triangularis Munt. Phytog. tab. 110.
Aſtragalus marinus, Luſitanicus Boelii Ger. Emac. App. 1627.
Aſtragalus marinus, Bæticus Park. 1084.
Aſtragalus ſiliqua triangulari Grisl Virid. Luſit.
Securidaca ſiliquis foliaceis Bocc. Rar. 7.
Aſtragalus Bæticus Riv. de Irreg. tetrap.
Aſtragalus glaber, atrovirens, procumbens, ſiliquis plurimis erectis, ſublongis, craſſioribus, trigonis, ſulcatis, in mucronem aduncum deſinentibus, longis petiolis adhærentibus H. Cathol. 25.
Securidaca di Salamanca Zan. Tab.

AUNDA LUSITANIS DICTA INDIÆ ORIENTALIS ARBOR.

Tab. 26. *fig.* 1. AUndæ arboris effigies in libello Matthæi a S. Joſeph, quem ſæpe nominavimus, adjunctam habuit hanc deſcriptionem.

Aunda Luſitanice, Indice Marbelanes, habet folia oblonga, multum partita in parvis: fructum producit rotundum, oſſiculum ſimiliter rotundum, ut Ceraſa: conditur cum ſaccharo, & ſic valde fortificat, corroborat, & ſolvit.

Zanonius in prima Hiſtoriæ ſuæ parte Cannam, ideſt Arundinem arboream Orientalem nominaverat, quod in eo quem

(*a*) *Part.* 1. *pag.* 203.

quem diximus libello minutis literis ſcripto, multiſque locis interlito pro Aunda fortaſſe Arundinem legerat; Arundinis autem nomen commutare in Cannam, Italice ſcribens, neceſſario debuit. Mihi quidem eas chartas, non ſemel, aut iterum, at ſæpe, attenteque pervolventi Aundæ nomen ſemper occurrit; atque iccirco nihil ſum admiratus, ſi quæ de arborea quadam Arundine Chriſtophorus Acoſta ſcriptis mandavit, ad hanc ſtirpem referri haudquaquam poſſint. Quæ autem in tertio volumine Horti Malabarici, *Neli pouli* nomine, arbor inſcribitur ad Zanonianam Aundam magnopere accedit: obſtant folia, quæ videntur latiora eſſe, fructuſque in racemos congeſti, ac multis ſeminibus fœti. Ego in hujuſmodi re nihil temere affirmare audeo: præſertim cum Aundæ omnis notitia ex imagine peti debeat, non modo impolita, & ſcriptorio calamo expreſſa; ſed quæ etiam videatur, ut pleræque illius libelli, memoriter delineata.

Aunda Luſitanis dicta, Indiæ Orientalis arbor.
Canna arborea, Orientale Zan. Iſt. Bot. pag. 65.
an Neli-pouli H. Malab. III. pag. 57. tab. 47. 48.
Averrhoa Linn. Gen. Plant. pag. 127.

AURANTIUM MALO CITRATÆ MIXTUM.

DE monſtroſa hac ſtirpe, jam noſtris temporibus pervulgata non ita multa dicemus, quam ne Zanonius quidem ipſe in ſuis tabulis delineandam arbitratus eſt; quod a Petro Nato Florentino, Piſani Horti Præfecto, peculiarem de ipſa libellum brevi conſcriptum iri certior factus eſſet. Et quoniam hujuſmodi arbuſcula ex duabus inter ſe diſtinctis, variiſque ſtirpibus compoſita videtur, utraque a nobis ad confuſionem tollendam deſignanda eſt. Altera ex his quidem a vulgari Aurantio non differt, quod minimo ubique labore in hortis colitur; altera nobiliſſimum illud Citri genus eſt, quod Citratum Florentinum dicitur, nos diſtinctionis gratia Malum Citratam hoc loco appellavimus, odoris, ac ſaporis jucunditate inprimis commendatum. Limonem etiam Citratum plerique nuncuparunt; at præ-

terquam quod Citri potius, quam Limonis vera ſpecies eſt, quod externus habitus, odorque ipſe declarat: arbuſcula e Limonis genere in hortis non deeſt, quæ proprio nomine Citratus Limon appellari ſoleat.

Vulgaris igitur Aurantii, Citratique naturæ ita ſunt in hac ſtirpe confuſæ, ac permixtæ, ut nulla pars illius ſit, quæ non aliqua ratione utriuſque ſpeciem præſeferat. Folia quidem Aurantio alia conſimilia ſunt, alia minora, & criſpa, alia denique ea forma, ut a Citrati foliis diſtingui nequeant. Ramuli ſpinoſi aliquando ſunt, ut in Citrato; nullis aliquando ut in Aurantio aculeis muniti. In utriſque duplicis etiam generis flores: alii minores, & candidi, ejuſdemque odoris ac in vulgari Aurantio; alii grandiuſculi, purpura leviter aſperſi, non æque vehementer ii quidem, ſed jucundius tamen odorati, quemadmodum in Malo Citrata. De cetero iſtiuſmodi varietas plane admirabilis exiſtit in fructibus; ſunt enim nonnulli ex his, quos, neque magnitudo, neque figura, neque color a Citratis Malis diſtinguat, ſapore tantum corticis, ut inquit Zanonius, ſtirpis ambiguitatem ſignificante: ſed & alios ex his videmus omni ex parte Aurantiis; alios autem ex dimidia tantum, ex reliqua Citratis aſſimilari; nonnunquam alternis portionibus utriuſque ſpeciem diſtinctam, ſejunctamque exprimere; ea plerumque, nec perpetuo tamen ſervata lege, ut Citrati ſuccus proprio illius pomi cortici ſubiiciatur.

Zanonius hanc ſtirpem a Philippo Donnino accepit hortorum Magni Hetruriæ Ducis Præfecto, quæ paucos ante annos in Panciaticorum hortis prope Florentiam ad turrim alliorum poſitis ſua ſponte extitiſſe ferebatur, quemadmodum cultorem eorundem hortorum juratum dixiſſe conſtabat. Petrus Natus inſolitæ hujus rei cauſſam inſitioni tribuit: cum enim Citrati ſurculi, quod tum primum ex maritima Liguriæ ora in Hetruriam invectum erat, frequentiſſime inſeri in vulgaris Aurantii plantas conſueviſſent; is caſus extitiſſe potuit, ut fibræ utriuſque arboris in unam quodammodo ſtirpem concreſcerent. Ac mihi quidem narrabat doctiſſimus vir, & humaniſsimus, in his rebus valde exercitatus Marcus Antonius Pandinus Aedis S. Mariæ Majoris Canonicus, imbecilliorem longe Citrati, quam Aurantii in hac ſtirpe naturam eſſe, ut nimia ſæpe luxuria ſe ſe fundentes Aurantii ramos ferro amputari & coerceri oporteat, ſecus omnem Citrati ſpeciem paulatim deleri, & extingui: idem-

que

que nobis confirmavit Dominicus Cajetanus Sturolius Patricius Bononienſis, & Comes, florum, elegantiorumque ſtirpium culturæ unice addictus, cujus in amœniſſimis ſuburbanis hortis admirandæ hujus ſtirpis naturam non ſemel perſcrutati ſumus.

Aurantium Malo Citratæ mixtum.
Limon Citratus Aurantium Nat. de Lim. Citr. Aur.
Aranzo detto la Bizzarria Zan. Iſt. Bot. pag. 19.
Malus Arantia hermaphrodita, fructu medio Citrio, medioque Arantio odoratiſſimo H. L. Bat. 407.

BACCHION ARBOR FOLIIS MULTIFARIAM INCISIS.

BAcchion Sinenſis arbor in libris Matthæi a S. Joſeph ad hunc modum deſcripta eſt. *Tab.* 27.

Bacchion arbor magna habet folia, ſicut Branda, fructus dulces aliquantulum, vel ad acidum vergentes, pulpa rubicundula: Pulvis factus de corticibus iſtius arboris ſanat febrim quartanam, etiam tertianam in vino infuſus, & ebibitus per horas quinque, incipiente rigore.

Bacchion arbor, foliis multifariam inciſis.
Bacchion arbore Orientale Zan. Tab.

BAKELI ARBOR INDIÆ ORIENTALIS.

BAkeli Indicæ arboris deſcriptionem, is quem ſæpe nominavimus, Matthæus a S. Joſeph haud ſane multis verbis abſolvit. *Tab.* 28.

In coſta Coromandel, prope civitatem Negapatan eſt arbor ſatis magna, curioſiſſima, producens quaſdam roſas, quæ dum marceſcunt, deciduntque folia, ſuboritur fructus figuram avis habens.

Bakeli arbor Indiæ Orientalis.
Bakeli arbore Orientale Zan. Tab.

BARBA JOVIS CRETICA FLORE LUTEO PARVO.

Tab. 29. QUo ego nomine hanc ſtirpem deſcriberem, Barbæ Jovis ne cum Tournefortio, an Geniſtæ cum Zanonio, anceps diu incertuſque hæſitavi. Nec vero obſcurum erat eandem omnino ſtirpem, quam in veteri Hiſtoria Creticam Geniſtam perpetuis frondibus Zanonius nuncupaſſet, eandem inquam a Tournefortio Barbam Jovis Creticam Linariæ folio appellatam eſſe: habebat enim Parens meus, inde ab adoleſcentia ſua, Zanonianæ Geniſtæ ramulum, Auctoris ipſius temporibus, quod ſatis conſtabat, decerptum; habebat etiam exemplar Barbæ Jovis Tournefortianæ olim acceptum a Michelio, qui Lutetia Pariſiorum ad ſe miſſum narrabat; differentia vero inter eas ſtirpes nulla prorſus reperta eſt. Quoniam igitur in delectu nominis controverſia omnis erat poſita, Tournefortianam opinionem ſequi maluimus: quanquam enim frondes hujus ſtirpis haud plane conjugatæ ſunt, quales Barbæ Jovis eſſe debent, ſed geminis tantum ad imam partem, exilibuſque pinnulis inſtructæ; externus tamen habitus, ac ſiliquarum brevitas facit, ut potius ad hoc genus, quam ad Geniſtas revocanda videatur.

Cretica hæc Barba Jovis ad trium cubitorum altitudinem adoleſcit. Stipites ipſius non ita graciles ſunt, aſpero cortice, ac ferrugineo obducti, lignea intus materie flava, aut rubente pleni. Ex hoc rami prodeunt complures in alios minores divaricati, quibus creberrimæ adhæreſcunt frondes, ac pene innumeræ, modo ſejunctæ, modo congregatæ, ut earum poſitionem dilucide exponere perdifficile ſit. Frondes ipſæ anguſtæ ſunt, & acuminatæ, flexis in conchæ ſimilitudinem marginibus, haud ita tenues, argenteo quodam nitore caneſcentes, pinnuliſque, ut diximus, geminis, ac perexiguis qua parte innaſcuntur caulibus præditæ. Extremos ramulos frondibus ſpoliatos habet, perinde ac folia albeſcentes, tenuique obductos lanugine, e quibus minuti flores Majo menſe, Junioque exoriuntur, tres quattuorve ſimul conjuncti, eadem forma ac in reliquis leguminoſis ſtirpibus, odoremque illi, qui eſt in Geniſtæ floribus ſimilem fundentes: hos poſtea ſiliquæ breves conſequuntur, unico intus ſemine

mine rotundo, plano, ac nitido fœtæ. Perennis vitæ eſt, frondeſque per hyemem retinet.

Diſputat Zanonius utrum Spartii ſpinoſi alterutra ſpecies a Proſpero Alpino deſcripta cum hac ſua Geniſta conjungi debeat, concluditque id fieri non oportere, tum quod hæc ſpinis careat, tum quod alterum ex ipſis, Spartium videlicet primum ſpinoſum, Geniſtæ Creticæ ſimilius, biennii tempore a ſe in hortis cultum, viridia folia, atque hyeme decidentia proferre cognoverit: id quod tamen caſu eveniſſe, & culturæ vitio Auctor ipſe, edito jam libro, animadvertit. Quippe Joannes Maria Ciaſſius, ad quem ramulum hujus Geniſtæ miſerat, certiorem eum fecit per literas, eandem omnino ſtirpem Patavino in Horto, Alpiniani Spartii nomine, ex omni memoria cultam: eſſe etiam in vivis, qui a Joanne Veslingio celebratiſſimo Doctore ſic appellatam meminiſſent. Zanonius & imaginem illius Spartii, & deſcriptionem ab Alpino propoſitam cum ſua ſtirpe iterum contulit accuratius, neque amplius dubitavit quin res ita ſe haberet, quemadmodum Ciaſſius ad eum ſcripſerat: præſertim quum ejuſmodi ſpinas, & aculeos, qui nihil aliud eſſent niſi extremi ramuli excuſſis foliis rigidiores facti, etiam in aliis ſtirpibus molliri cultura, ac miteſcere non ſemel animadvertiſſet; frondeſque aliquando adverſus naturæ inſtitutum in quibuſdam arbuſculis decidere, quas per hyemem condere ſub tectis maturius oportuiſſet. Tournefortii auctoritatem ad confirmationem iſtius rei adjungere poſſumus, qui de Barba Jovis Linariæ folio, quam eandem cum Zanoniana Geniſta eſſe oſtendimus, & ipſe dubitavit an cum Spartio primo ſpinoſo Alpini conveniret; nec tamen auſus eſt eandem dicere, quod non nimis accurata Alpini effigies differentiam quandam in ſitu foliorum habere videatur.

Barba Jovis Cretica, Linariæ folio, flore luteo, parvo, Tour. Coroll. I. R. H. 44.
Spartium ſpinoſum Alp. Exot. 27.
Gineſtra arborea, di Candia, con foglie ſempre verdi Zan. Iſt. Bot. pag. 99.

BETONICA FOLIIS HIRSUTIS FLORIBUS PURPUREIS AMPLISSIMIS.

Tab. 30. MOntanæ hujus Betonicæ folia, ſive magnitudo ſpectetur, ſive figura, ad vulgarem Betonicam proxime accedunt; multo hæc tamen craſſiora ſunt, longioribus villis, denſiſque veſtita. Nonnulla ex his, eaque longiora, e radice prorumpunt; alia caulium articulis innaſcuntur, ceteris anguſtiora, ac breviora. Caules firmi, & quadrati non eam proceritatem aſſequuntur, quam vulgaris Betonica, ſed vix unquam unius cubiti altitudinem ſuperant: ſpicam in ſumma parte ſuſtinent, ex multis floribus coagmentatam purpureis, multo quam in vulgari Betonica amplioribus, ac denſius confertis, ea ſpecie, quæ in tabula accuratiſſime expreſſa eſt, ex quibus odor quidam non injucundus, tanquam e Sambuci floribus emanat. Semina in calycibus quaterna hærent infixa, ut in ceteris hujus generis ſtirpibus, eaque nigra, ac pene triangularia. Radice nititur haud ita gracili, perenni, multiſque fibris inſtructa, ex qua nova plantarum ſoboles hinc, atque illinc propagari ſolet.

In ea parte Appenini oritur, quæ Bononienſium, ac Florentinorum ditioni finitima eſt. Junio menſe floret, Julioque in montibus, ex quibus eam ſæpe deferri vidimus in publicum Bononienſem Hortum, non modo purpureis inſignem floribus, ſed aliquando etiam candidis: quamvis nemoribus, ac ſylveſtribus locis aſſueta, urbanum cultum in hortis diu ſuſtinere haudquaquam poſſit.

Betonica foliis hirſutis, floribus purpureis, ampliſſimis Mentz. Pug.
Betonica alpina, incana, purpurea Barel. Ic. 340.
Betonica alpina, Bologneſe Zan. Tab.

BETULA PUMILA BROCCEMBERGENSIS.

UTrum hæc Betulæ ſpecies a vulgari differat, non ſemel a nobis dubitatum eſt. Vulgarem Betulam in his terris tum fere ignotam, decennio ab hinc e Rhæticis alpibus transferri in publicum Bononienſem Hortum curavimus: alteram, ut ex commentariis Zanonianis poſtea didicimus, in excelſis noſtrorum montium jugis prope Capuniani vicum provenientem, iiſdem ex locis evulſam ſuperiori anno accepimus; nec ſane quidquam diſcriminis inter utramque, excepta magnitudine, intercedere viſum eſt: humilitas autem Zanonianæ Betulæ locorum conditioni facile aſcribi poteſt. Sed quoniam flores, aut julos videre minime nobis datum fuit, Auctoris deſcriptionem hoc loco ponentes, rem ipſam accuratius dijudicandam Botanicis relinquemus. *Tab.* 31.

Betulæ hujus radix contorta eſt, ac nodoſa, rubenti cortice tecta. Sex ulnarum altitudinem arbuſcula ipſa non ſuperat, uberiori tamen, ac læta ramorum ſobole ſeſe in latitudinem fundit. Rami natura lenti ſunt, quemadmodum in Salice, & qui in omnem partem flecti haud ægre poſſint. Folia ſæpe gemina articulis inhærent, neque ea ſemper inter ſe oppoſita, ſed aliquando in alteram partem vergentia, quod ad figuram attinet, Betulæ haud prorſus diſſimilia, ſed aliquanto rotundiora, minuſque dentata: quæ, ut ſatis explorata unicuique differentia eſſet, vulgaris etiam Betulæ frondes ſeparatim in tabula adjectæ ſunt. Octobri menſe fructuum primordia ſe produnt, quæ, anno demum inſequente, ad frugem perveniunt. Fructus ipſi non eam aſſequuntur magnitudinem, quæ in vulgari Betula eſſe ſolet, tametſi forma vix diſſident; ſunt enim ex tenuibus ſquamis conflati, in quibus minuta quædam ſemina, compreſſa, aliſque inſtructa deliteſcunt.

Betulam pumilam in Broccembergi nemoribus Joannes Thalius adinvenit, quæ an eadem eſſet cum Bononienſi Zanonius ipſe ſubdubitare viſus eſt: Caſpar autem Bauhinus, ceterique Botanici Broccembergenſem illam a vulgari vix diſtinguendam exiſtimarunt.

Betu-

Betula pumila, Broccembergenſis Thal. Harcyn. 20. *C. B. Pin.* 427.
Betula alpina, Bologneſe Zan. Tab.
an Betula J. B. l. part. 2. 148. *Tour. I. R. H.* 588.

BIAGHA INDIÆ ORIENTALIS ARBOR.

Tab. 99. *fig.* 1. *Biagha arbor producit fructus oblongos, colore flavo, vel rubicundulo: ejus caro, ut caro Manghæ, aliqualiter plus villoſa, ſeu coriacea, ſapore dulci, vel acido, qualitatis calidæ, ita ut immoderata comeſtio ſanguinis fluxum excitet.* Matthæi a S. Joſeph deſcriptio eſt, quam uſurpavimus.

Biagha Indiæ Orientalis arbor.
Biagha pianta Orientale Zan. Tab.

BIDENS PERNAMBUCENSIS FOLIO DISSECTO CAULE FRAGILI.

Tab. 32. Bidentis multæ, variæque ſunt ſpecies, non figura tantum foliorum, ſed florum etiam conformatione, ac prope externo habitu diſſidentes. Cum autem ex his non paucas haberemus partim naſcentes apud nos, partim in hortis cultas, ad eam imaginem, quæ in Zanonianis commentariis reperta eſt, nullam referre potuimus, niſi eam forte, quæ a Moriſono Chryſanthemum Canadenſe Bidens Americanum nuncupata eſt, ſive alteram illam, quæ a Joanne Jacobo Dillenio in Elthamenſi Horto, Bidentis latifoliæ hirſutioris nomine, deſcribitur: plurimæ tamen, eæque non leves differentiæ intercedunt, quod unicuique deſcriptionem utriuſque conſideranti perſpectum erit.

Pernambucenſis Bidens duos in ſumma proceritate exæquat cubitos. Caule nititur viridi, recto, quadrato, cujus in ſingulis lateribus profundior ſulcus impreſſus eſt. Jam inde ab articulis prope radicem ramos protrudit, in ſingulis nodis ſemper inter ſe oppoſitos, eadem fere qua medius truncus longitudine. Folia non diſſimili ratione articulis inhærent multifariam ſecta, ac ter-

ac ſerræ inſtar dentata, in quibus Auctor ipſe Siſari formam ineſſe dixit: at ea, quæ coſta vocatur in Siſari frondibus ſimplex eſt, in Pernambucenſi autem Bidente ramoſa. Superiora folia non eandem amplitudinem habent, ſed in partes ſunt longe tenujores diviſa. In extremis ramulis inſident flores lutei, floſculoſi, Bidentis vulgaris, quæ Cannabino eſt folio, perſimiles, nullis ſemifloſculis, radiorum inſtar, ſepti: quamvis extrema calycis ora in multas partes ſecta eorum formam imitetur. Reliquum eſſet de ſeminibus dicere, ex quibus vel maxima peti ſolet quarundam Bidentium differentia; verum in Zanonii commentariis nihil omnino ſcriptum invenimus. Sub extremum deſcriptionis de radice agitur, quæ ex plurimis fibris conſtare dicitur; ac ne illud quidem ſilentio præteritur, in caulibus hujus herbæ ſummam eſſe fragilitatem.

Nomen huic Bidenti a Zanonio impoſitum e Pernambucenſi regione, quæ in auſtrali America eſt, ad nos delatam eſſe oſtendit: ex quo etiam apparet, cum duabus illis antea memoratis borealis Americæ propriis non confundendam.

Bidens Pernambucenſis, folio multifariam diviſo, caule fragili. Criſantemo acquatico di Pernambuco. Zan. Tab.

BIGNONIA AMERICANA CAPREOLIS DONATA SILIQUA BREVIORI.

Bignonia capreolata.

TEtraphylla Bignonia eam habet cum vulgari Clematide ſimilitudinem, ut in omnem partem ſe ſe fundens arbores, & obvia quæque conveſtiat. Zanonius altiorem cubito non vidit, ſed ex capreolis quos intuebatur, multo eam poſſe altius efferri facile conjecit: nos in ipſa hac urbe non mediocris altitudinis parietem ſuperaſſe vidimus. Sarmentorum ea tenuitas eſt, ut vix æquare poſſint ſcriptorium calamum; ſunt autem novelli ex iſtis pene quadrati, poſtea rotundi, ac rubenti cortice tecti. In ſingulis articulis duo pedunculi exoriuntur e regione oppoſiti, quorum item ſingulis geminæ frondes inſiſtunt, ut ob eam cauſſam tetraphylla hæc Bignonia nominata ſit, quod nempe unico nodo quattuor folia adhæreſcant. Similitudinem habent ejuſmodi frondes cum Periploca vulgari, *Tab.* 33.

at in eo diſcrepant, quod non utrinque acuminata ſint, ſed qua parte inhærent pedunculo modice ſinuoſa, ac veluti auriculata. Capreoli ad foliorum originem prodeunt, quemadmodum in Vite, quibus ceteras ſtirpes, arboreſque complectitur, elegans herba, topiariiſque conficiendis aptiſſima. Flores edit copioſos, grandiuſculos, concavos, multoſque ſimul congregatos, quemadmodum altera illa Bignonia, quæ Fraxini folio eſt, breviores tamen, neque ita miniatos, ſed illius coloris qui medius fere inter croceum, ac rubentem dici queat, interiore etiam ex parte penitus flavos. Zanonius, quod nunquam ejuſmodi flores vidiſſet, eorum imaginem tradere neceſſe habuit a Petro Nato acceptam, qui herbarum diſciplinam Piſano in Horto profitebatur. De fructibus neque ab Auctore quicquam traditum eſt, neque a nobis compertum; illud vero exploratum habemus, Bignonias omnes ſiliquas gignere compreſſis, alatiſque ſeminibus plenas.

Zanonio de hac ſtirpe agere viſum eſt, quamvis in Horto Regio Bleſenſi commemorata; quod nulla illius deſcriptio, nulla etiam effigies haberetur. Utramque attulit Bocconius in eo libro, quem de Rarioribus Plantis inſcripſit, cujus editio Zanonianam Hiſtoriam vix paucis menſibus anteceſſit.

Bignonia Americana, capreolis donata, ſiliqua breviori Tour. I.R.H. 164.
Clematis tetraphylla, Americana Bocc. Rar. 31.
Clematide tetrafilla, Americana Zan. Iſt. Bot. pag. 74.
Bignonia caprcolata · Sp. pl. 870.

BLATTARIA RAGUSIANA INCANA MULTIFIDA.

Tab. 34. *fig.* 1. BLattaria Epidaurica cubiti altitudinem plerumque non ſuperat. Caule nititur lævi, tereti, ac recto, nonnihil rubente, eodemque foliis plurimis, ac multiformibus veſtito. Nam quæ radici proxima ſunt, licet perexigua, non multum tamen, quod ad formam attinet, a vulgaris Blattariæ frondibus diſtant: quæ autem paulo ſuperiorem locum occupant, multifariam ſecta ſunt, ac dentata, ut in ea Scrophulariæ ſpecie, quæ Ruta canina a ſuperioribus Botanicis nominabatur: alia deinde juxta ramulorum divaricationem exiſtunt, non dentata

ea

ea quidem, ſed in partes tenuiſſimas diviſa: poſtremo, quæ in ſumma ramorum parte ſub ipſis naſcuntur floribus, anguſta ſunt, ac nihil prorſus lacinioſa. Flores ipſi in ſpicas propemodum congeſti flavi coloris ſunt, eandem habentes partium conformationem, ac in Blattaria vulgari. Hos ſemel apertos, cadenteſque fructus excipiunt rotundi, maturitate bifariam hiantes, ſeminibus minutis, ac longiuſculis pleni. Radix ut in pleriſque annuis ſtirpibus tenuis eſt, pauciſque fibris conſtans.

Blattariæ in eo diſtingui ſolent a Verbaſcis, quod frondes non habeant lanugine contectas. Hæc autem, de qua modo verba fecimus, neque habet prorſus læves, neque prorſus lanuginoſas; ut ad utrumque genus haud incommode referri poſſit. Dubitatum eſt igitur a nonnullis, an Verbaſcum illud, quod Sophiæ folio nominat in Corollario Tournefortius, conveniat cum hac ſtirpe, quæ frondes a Sophia, non multum ſane diſſidentes, habet. Ego de hac re nihil certi pronunciare auſim, quoad herbam ipſam a Tournefortio in Orientalibus terris repertam videre datum fuerit.

Semina hujus herbæ a Joanne Maria Ferro Veneto Pharmacopæo accepit Zanonius, cujus extant notæ quædam Hiſtoriæ naturali Ferrantis Imperati aſcriptæ. Sed & noſtra ætate in Bononienſibus hortis Blattariæ hæc ſpecies colitur, quæ ſi autumno orta per hyemem vivat, inſequenti vere ad duorum triumve pedum altitudinem florens adoleſcit.

Blattaria Raguſiana, incana, multifida Moris. Hiſt. Oxon. part. 2. pag. 490.
Blattaria incana, multifida Bocc. Rar. 61.
Blattaria di Dalmazia, annua Zan. Tab.
an Verbaſcum Orientale, Sophiæ folio Tour. Coroll. I. R. H. 8.

BONDUC VULGARE MAJUS POLYPHYLLUM.

Tab. 35. ARbuſcula hæc Orientalis Indiæ pariter, Occidentaliſque incola, humanam apud Malabares proceritatem aſſequitur; complures ramos fundens, denſis, adunciſque aculeis infeſtos. Frondes in his conjugatæ inſunt, ut in Acacia, & Caſſia, cognatiſque ſtirpibus, vulgaris Coluteæ magnitudine. Flores gignuntur copioſi, in ſpicas congeſti, ex quinque petalis conſtantes, quorum perobſcura conformatio eſt; ut Carolus Plumerius, qui ex Tournefortii ſententia Bonduc genus inſtituit, ne illud ſtatuerit quidem, utrum polypetali illius flores eſſent an monopetali. Nos autem, quantum ex affinitate eorundem cum reliquis leguminoſis conjicere poſſumus, ex quinque petalis conſtare arbitramur. Fructuum loco ſiliquæ exiſtunt peramplæ, compreſſæ, rectis aculeis, brevibuſque munitæ, intus autem ſemina duo, vel tria grandiuſcula, cinerei coloris, venuliſque huc, illuc excurrentibus varia, atque ita dura, ut vix dentibus comminui queant.

Carolus Cluſius in Exoticorum libris effigiem prodidit, ac deſcriptionem fructuum hujus ſtirpis: haud multis ante annis Joannes Pona novellæ arbuſculæ imaginem attulerat; poſtea vero in Horto Malabarico ita expreſſa eſt, ut nihil ad perfectam illius cognitionem deſiderari poſſe videatur. Zanoniana imago e commentariis Matthæi a S. Joſeph deprompta eo nomine minus perfecta eſt, quod folia vulgarem Myrtum prorſus exprimant, aculeiſque ramuli careant. Zanonius, qui nullum ſubeſſe vitium in ejuſmodi tabula exiſtimaret, duas eſſe Bonduc ſpecies, Orientalem alteram foliis præditam Myrti, alteram Occidentalem, ſuſpicatus eſt. Sed ex Horto Malabarico intelligi poteſt, ne in Orientali quidem accuratam illam cum foliis Myrti ſimilitudinem ineſſe.

Hiſtoriam hujus ſtirpis partim ex Horto Malabarico, partim ex propria obſervatione confecimus; quippe qui ramos illius vidimus multis ab hinc annis in Piſano Horto publico lectos: quin etiam fructus obſervavimus in ampliſſima, ac prope immenſa rerum naturalium collectione Bononienſis Inſtituti Scientiarum aſſervatos.

Bon-

Bonduc vulgare, majus, polyphyllum Plum. Nov. Gen. pag. 25.
Bonduch Indiano Pon. Bald. 32.
Lobus ἐχινώδης Cluſ. Exot. 71.
Arbor exotica, ſpinoſa, foliis Lentiſci C. B. Pin. 399.
Bonduch pianta Indiana Zan. Iſt. Bot. pag. 44.
Caretti H. Malab. II. pag. 35.
Acacia glorioſa, Lentiſci folio, ſpinoſa, flore ſpicato, luteo, ſiliqua magna, muricata Pluk. Phytog. tab. 2. *fig.* 2.
Guilandina caule, fructuque aculeatis Linn. H. Cliffort. Roy. Fl. Leyd. Prod. 465.

BUEBENDA INDORUM.

IN commentariis Matthæi a S. Joſeph hanc ſtirpem ita deſcriptam invenimus. *Tab.* 36. *fig.* 1.

Buebendæ folia triangularia ſunt; flores intus flavi coloris, in baſi rubicundiſſimi, quaſi quinas cicatrices continentes, unde flos cicatricum dicitur. Radix trita pro renum dolore adhibetur; flos vero ſanguinis profluvium ſiſtit.

Eandem hanc ſtirpem exiſtimat Zanonius, quam Vincentius a S. Catharina Senenſi, Floris S. Thomæ nomine, in ſuis itineribus commemoravit: illius verba latine reddita hæc ſunt.

„ Flores tum primum apparuerunt, quos nemo antea „ conſpexerat, nunc autem per univerſam Indiam propagati, „ ubique ferme in ea regione vulgares facti ſunt: quos iccirco „ Flores S. Thomæ appellant, non modo venuſtate, ſed etiam „ religione, ac myſterii ſanctitate commendatos. Herba ipſa „ cubiti altitudinem non ſuperat, foliis triangularibus, aſperis, „ ac pulpa refertis veſtita. Flos in quinque dividitur folia, „ prope originem purpurea, circa medium candida, ad extre„ mam partem flava, quorum ſingula notam impreſſam habent „ cicatricis ſimilitudine, ut ex iſta colorum varietate pulcher„ rima iridis ſpecies eniteat. E medio flore quinque emergunt, „ virgulæ haſtas exprimentes, nigræ, ac longiuſculæ, capitulis „ in mucronis ſimilitudinem formatis inſtructæ: ex his una eſt „ ſemper longitudine ceteris præſtans. Quæ omnia ad San„ cti Apoſtoli cædem referri videntur „ (*a*). Itemque alibi.

„ Flos

(*a*) *Viagg. Ind. pag.* 143.

„ Flos S. Thomæ, quem Granadillam nominant alii, „ ſive cicatricum florem, perelegans eſt, plenuſque myſterii, ut „ cum eo, qui Flos Paſſionis apud nos dicitur, optimo jure „ comparari queat. Exigua eſt herba, quæ hunc florem gi- „ gnit, neque cubitalem altitudinem ſuperat, foliis triangulari- „ bus, aſperis, & nonnihil craſſis veſtita. Radix in pulverem „ redacta, & epota eximiam facultatem habere creditur ad re- „ num dolores ſanandos: flores autem, qui pariter ac roſæ „ noſtrates odoris jucunditate excellunt, eam, quæ cum urina „ fit, ſanguinis profuſionem reprimunt (*a*).

Ex depravato Matthæi libello ducta eſt Zanoniana imago: in germanis autem ejuſdem commentariis ita expreſſam vidimus Buebendam, ut Alceæ, vel Ketmiæ ſpeciem eſſe liquido appareret.

Buebenda Indorum.
Buebenda Zan. Iſt. Bot. pag. 60.

BUGLOSSUM CRETICUM CAULICULIS PROCUMBENTIBUS FLORE VARIEGATO ODORATO ECHII FOLIIS VERRUCOSIS.

Tab. 37. BOrragines Creticas a Zanonio in veteri Hiſtoria deſcriptas perſequi ingredimur, eaſque cum recentioribus Botanicis, propter floris ſimilitudinem, ad Bugloſſi genus transferendas exiſtimamus. Ab ea vero exordimur, quam *Borraginem Creticam*, *annuam*, *odoratis floribus* Auctor appellavit, in Horto quidem Regio Pariſienſi enunciatam, ſed a nemine, quod nobis conſtet, ante ipſum deſcriptam, vel in tabulis expreſſam.

Hæc igitur Bugloſſi ſpecies vix eam ſuperat altitudinem, qua eſt in tabula delineata; multoſque ex ipſa radice profert caules, aſperos, teretes, ac ſucci plenos, nonnunquam erectos, tum etiam aliquando procumbentes. Folia partim e radice funduntur, partim ramulis inhærent Borragini ſimilia, at multo anguſtiora, digiti longitudine, modice acuminata, nullis petiolis nixa, maculis, aut verrucis albeſcentibus, ut in Echio, aut Cerin-

(*a*) *Pag.* 396.

Cerinthe conſperſa. Flores extremis ramulis inſident foliis permixti, ac veluti in ſpicas digeſti, calycem habentes aſperum, in quinque partes diviſum. A vulgari Bugloſſo in eo flores diſſident, quod minores ſint, & concavi, quodque habeant oram non plane æqualiter ſectam; hæc autem diſparitas non tanti eſt, ut a reliquis Bugloſſis hanc ſtirpem ſegregandam putem. Pulchra in his floribus ineſt varietas; nam quo primum tempore erumpunt, eundem colorem habent ac Perſicæ flores, ſingulis tamen earum partibus rubicunda macula notatis: ea poſtea commutatio fit, ut qui roſeus erat in cæruleum, rubicundus autem in purpureum convertatur: quæ coloris varietas non mediocrem his floribus elegantiam conciliat; adjuncta præcipue odoris gratia, qui perjucundus eſt, velut is, qui e maturis perſicis emanat. Cadentibus floribus quattuor in calyce ſemina exiſtunt, quæ ubi ad maturitatem pervenerint, aſpera fiunt, ac inæqualia, humanumque caput galea munitum exprimunt.

Annua eſt herba, quæ cadentibus ſeminibus, ſi arenoſum præcipue lapidoſumque fuerit ſolum, ſingulis annis renovatur. Aprili menſe floret, neque multo poſt exareſcit. Sæpe etiam in rimis lapidum, quibus hortorum areæ conſtruuntur exoritur; nam & in Creta inſula, unde primum delata eſt, in ſaxis, ac parietinis naſci fertur: humus autem ſubacta, ac pinguis, qualis fere hortorum eſt, hanc ſtirpem per diuturnum tempus alere, quemadmodum experientia nos docuit, vix poteſt.

Ceterum cum Borragini vulgari multas, ac præclaras facultates, præcipue vero hilaritatem conciliandi, adſcripſerint Botanici; non eſſe dubitandum Zanonius exiſtimat, quin eadem ſit hujus herbæ vis, aut multo præſtantior: affinitatem enim ſummam habet cum Borragine, ac jucunditate odoris inter ceteras ejuſdem generis ſtirpes excellere videtur.

Bugloſſum Creticum, minimum, odoratum, flore vario, eleganti H. R. Par. 33. Tour. I. R. H. 134.
Borragine murale, variegata, con fiore odorato, di Candia, Zan. Iſt. Bot. pag. 46.

BUGLOSSUM PROCUMBENS ANNUUM PULLO MINIMO FLORE.

Tab. 38. ALtera hæc Bugloſſi ſpecies eodem in loco naſcitur, ac ſuperius deſcripta, in Creta inſula ſcilicet, ex qua, Zanonii ætate, in Italiæ hortos invecta, ad noſtra uſque tempora propagari non deſtitit. Ubi ad ſummam proceritatem adolevit, menſuram aſſequitur cubito haud multo inferiorem: caulem habet rotundum, variis locis inflexum, mollem, ſucci plenum, nec fere amplius, quam in duos, treſve ramulos diviſum. Folia ad articulos oriuntur anguſta, hirſuta, & aſpera, paucis aliquando, ut in Echio, exiguis maculis conſperſa. Quæ ſummæ inſident ramulorum parti breviora ſunt, atque ex eorum ſinu petioli exoriuntur, floſculos ſuſtinentes perexiguos, magnaque ex parte calyce occultatos: perianthia quippe integra ſunt, & grandiuſcula, circa oram in quinque partes diviſa, ex quo ad Pulmonarias hanc ſtirpem referendam eſſe cenſuit Tournefortius. Flores ipſi extra calycis marginem ſe ſe vix efferentes, quod ad formam attinet, reliquis Bugloſsis conſimiles apparent, purpureoque colore adeo obſcuro infecti ſunt, ut pullos, atroſve, aut etiam prorſus nigros quis facile eos dixerit: his areſcentibus ampliores fiunt calyces, ac tumentes, quattuorque ſemina concludunt aſpera, & inæqualia, variis ſinubus, anfractibuſque impreſsis cælata, qua calyci adhærent umbilicata, concava, ferreæque galeæ ſimilitudinem præſeferentia.

Annua eſt herba, verno tempore ſerenda in hortis, paucis quippe menſibus perficitur. Pulmonariis annumeravit eam Tournefortius, propter neſcio quam perianthii ſimilitudinem: nos autem externi habitus convenientiam ſecuti, hanc ſtirpem inter Bugloſſa maluimus recenſere.

Bugloſſum procumbens, annuum, pullo minimo flore. H. R. Bles. 242.
Borragine ſilveſtre, annua, di Candia. Zan. Iſt. Bot. pag. 48.
Pulmonaria Cretica, annua, calyce veſicario. Tour. I. R. H. 137.

BUGLOSSUM SYLVESTRE MAJUS NIGRUM.

ETſi Borraginis Creticæ nomine hanc ſtirpem in ſuperiori Hiſtoriæ ſuæ parte deſcripſerat Zanonius, eamque differre a Bugloſſo tertio ſylveſtri Matthioli, ſive nigro Caſpari Bauhini exiſtimaverat; multis tamen de cauſſis in contrariam poſtea ſententiam adductus eſt: inprimis, quod agri Bononienſis propriam eſſe ſtirpem certo comperit; deinde, quod vix ullum conſtans diſcrimen inter hanc herbam, & Matthioli Bugloſſum intereſſe animadvertit. Initio eas ſtirpes maxime inter ſe differre arbitratus fuerat, quod ſylveſtre illud Bugloſſum nigros proferre diceretur flores, eoſque in umbellæ potius, quam ſpicæ ſimilitudinem congeſtos. Ceterum is color, qui niger in floribus dicitur, idem plerumque eſt, qui violaceus ab aliis nominatur; nam ut inquit Virgilius *Tab.* 39.

Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra.

Diſtributio etiam florum in quavis Bugloſſi, aut Borraginis, aut Cynogloſſi, aut Symphyti, aut Cerinthes, aut affinium herbarum ſpecie temporibus variari ſolet; ut non aliud ex ea colligi poſſit, niſi hanc ſtirpem minus adultam a Matthiolo, quam a Zanonio delineatam eſſe. Moriſonus cum anguſtifolio minori Bugloſſo Caſpari Bauhini Zanonianam Borraginem conjungit; neque is profecto, quantum ego exiſtimo, a noſtra, quæ poſtremo etiam Auctoris fuit, ſententia diſſidet; non enim videtur Bugloſſum ſylveſtre nigrum Matthioli a minori ejuſdem anguſtifolio ulla in re diſcrepare. Sit igitur eadem, ut diximus, Borrago iſta cum duobus illis nomine tantum diſcrepantibus Bugloſsis; ne illæ quidem inter ſe diſtingui debebunt varietates a colore florum ductæ, de quibus egit ſeparatim Zanonius, dum aliam floribus puniceis, aliam violaceis, aliam cæruleis deſignavit. Nam, etſi de illa ſpecie, quæ cæruleis eſt floribus, memoriæ proditum eſt, foliis nonnihil criſpis, itemque aſperioribus inſtructam eſſe; tamen hujuſmodi differentia, vel ipſius Auctoris judicio, leviſsima cenſeri debet, qui paulo ante nullum eſſe diſcrimen, quo internoſci poſſent hæ ſtirpes, niſi e floribus peteretur, apertiſsime confirmaverat. Atque his, quæ de hac Bugloſsi ſpecie dubia eſſe poterant, ſatis pro inſtituti noſtri ratio-

tione explicatis, deſcriptionem ejuſdem e Zanonio afferre operæ pretium erit.

Altitudinem habet cubiti, & ſemiſsis: folia dodrantem longa, duoſque digitos lata e radice funduntur, quæ partim ſe ſe erigunt, partim jacent humi depreſſa; ſunt autem nonnihil craſſa, ac vulgaris inſtar Bugloſsi hirſuta, & aſpera, palleſcentis viriditatis. Caulis e foliorum ſinu effertur rotundus, & aſper, quem non multa folia ejuſdem figuræ circumveſtiunt, earum, quæ circa radicem pullulare diximus, non diſsimilia; breviora tamen, & anguſtiora, nullis pedunculis fulta. Extremis ramis inſident flores initio quidem ſimul congregati in capituli ſimilitudinem, deinde vero in ſpicas longas incurvas, & a ſummo inflexas digeſti, quod Borragini affinibuſque ſtirpibus ſolemne eſt. Flores ipſi a vulgari Bugloſſo forma non diſcrepantes, magnitudine inferiores, Aprili menſe emicant: color eorum in pleriſque violaceus, nonnunquam item vel cæruleus, vel ſanguineus, exiguis circa umbilicum candidis ſtaminibus varius. Calycem habent aſperum, in quinque partes non uſque ad extremum tamen diviſum, in quo poſt florum occaſum, quattuor ſemina maturitatem aſſequuntur, aſpera, ac rugoſa, ad eorum figuram proxime accedentia, quæ in prima a nobis memorata Bugloſsi ſpecie deſcripſimus. Radix profunda eſt, multis fibris nixa, perenniſque vitæ.

Bugloſsi hanc ſpeciem candidis diverſam floribus, paucis me abhinc annis Patavii copioſam vidiſſe memini, in horto nobiliſsimi, ac ſapientiſsimi Viri, de literarum ſtudiis, dum viveret, inprimis autem de herbarum diſciplina optime meriti, Joannis Franciſci Mauroceni Veneti Patricii, Equitis, ac Senatoris.

Bugloſſum ſyl-veſtre, majus, nigrum C. B. Pin. 256. *Tour. I. R. H.* 134.
Bugloſſum anguſtifolium, minus C. B. Pin. 256. *Tour. I. R. H.* 134.
Bugloſſa col fior negro Matth. Ital. 1247.
Bugloſſum alterum ſyl-veſtre, flore nigro Cam. Epit. Matth. 916.
Bugloſſum vulgare minus J. B III. 578.
Borragine ſil-veſtre, perenne, di Candia, di fiore roſſo cremeſino Zan. Iſt. Bot. pag. 49.
Borragine ſil-veſtre, di Candia, di fior morello ejuſd. pag. 51.
Borragine ſil-veſtre, di Candia, di fior azzurro ejuſd. pag. 51.

BULILLA INDIÆ ORIENTALIS.

BUlilla ex earum numero ſtirpium eſt, quas Matthæus a S. Joſeph, ſive quis alius e Saladini Artafæ inconditis picturis in eum libellum, de quo ſæpe diximus, tranſtulit. Deſcriptio quidem hæc eſt imagini adjuncta. *Tab.* 81. *fig.* 3.

Bulilla eſt bulbus ſquamoſus, ſimilis Lilio; e cujus medio oritur caulis, qui erigitur ad ſex palmos, aculeis circundatus, in vertice emittens pyramidem Aro noſtro ſimilem, rotundis fructibus compoſitam, qui colore, & forma videntur coralla; inter quos exeunt aliqua angusta, & undoſa folia, Lonchiti aſperæ ſimilia, colore roſaceo, ſeptenumque numerum non excedentia. Fructus duriſſimi ſunt: virtutem habent ſiſtendi ſanguinem, ſolo carnis tactu, ubi ſunt venæ, applicanturque in pulvere ad fluxum ſanguinis ſedandum, & conferunt illis, qui non poſſunt retinere cibum pro ſtomachi imbecillitate.

Bulilla Indiæ Orientalis.
Bulilla pianta d' Oriente Zan. Iſt. Bot. pag. 61.

BUPLEURUM MONTANUM PERENNE ANGUSTIFOLIUM.

BUpleuri hæc ſpecies neque a veteribus, quod ſciam, neque a recentioribus Botanicis deſcripta eſt; atque adeo ut novam e Zanonii commentariis producimus: quandoquidem is primus in Bononienſis agri montibus provenientem adinvenit. *Tab.* 40.

E ſumma radicis parte, quæ multiplex eſt, ac in aliquot ſtipites diviſa, folia ſimul, & caules pullulant. Folia longiuſcula ſunt, ut in ſylveſtribus Caryophyllis, ac in ea Bupleuri ſpecie, quæ a gramineis frondibus nominata eſt; ſed minus anguſta, minuſque acuminata. Caules ad cubitalem altitudinem ſurgunt contorti, flexibiles, ac ramoſi, foliis ad ſingula genicula inſtructi, multo quam eæ, quæ ex radice prodeunt, anguſtioribus. Umbellas florum ſummis caulibus ea ratione innatas habet, ut quæ medio inſidet ſurculo magnitudine ceteras ſuperet: ſunt autem floſculi, de quibus diximus, lutei, ex quin-

que minimis foliis conflati, hiſque cadentibus gemina, ut in reliquis umbelliferis, inter ſe cohærentia ſuccreſcunt ſemina, aromatico odore Anethum æmulantia. Singulis umbellis exigua quædam folia ſubjiciuntur, in ſtellæ ſimilitudinem conformata, ut in ceteris Bupleuris, at longe minora: quo maxime indicio a memorata Bupleuri ſpecie diſcerni poteſt.

Radix perennis eſt, grandiuſcula, multiſque fibris nixa. Junio menſe, Julioque in ſcalarum montibus floret; in hortis autem culturam non ſuſtinet.

Bupleurum montanum, perenne, anguſtifolium.
Bupleuro alpino, perenne, anguſtifoglio Zan. Tab.

BUTUA RADIX MOSAMBICENSIS.

Tab. 41. PAuca omnino ſunt, quæ de Butua, ſive Brutua in veteri Hiſtoria Zanonius perſcripſerit, eaque ex libello Matthæi a S. Joſeph magna ex parte deprompta. In eo ſcriptum erat Butuam Moſambicenſis regionis arborem eſſe, id peculiare habentem, quod ſecta ipſius radix imaginem Solis præſeferret: quæ quidem res plane veriſimilis Auctori viſa eſt, quod in vulgari etiam Viſco eandem prope ſimilitudinem perſpiceret, cujus propterea ſtipites Lignum Solis apud nos appellari conſueſſent.

Refert etiam Zanonius ſeſe a Joanne Antonio Cavazzio Montecuculenſi Capucino, non minus ingenii laude, quam vitæ ſanctimonia ſpectato, ligni quoddam genus accepiſſe, quod ille ex auſtrali America attulerat, Ambutuæ nomine, haud ita diſſimili radiorum ſpecie, niſi quod humana facies abeſſet, qualis in Butuæ radicibus ineſſe dicebatur, ex quo conſentaneum eſſe rationi credidit, Butuam, Ambutuamque ejuſdem ſtirpis eſſe nomina. Ambutuam quidem & ad reſolvenda apoſtemata, & ad pruritum, qui eſt a ſanguine, ab Occidentalis Indiæ populis uſurpari idem ipſe Cavazzius narrabat.

Stephanus Gothofredius Pariſienſis Academicus eandem eſſe Butuam, ac *Pareiram bravam* ſuſpicatus eſt (*a*), radicem his temporibus ad calculum, renumque dolores commendatiſsimam, quæ & ipſa ad eundem modum ſecta radios a peripheria ad cen-

(*a*) *Hiſt. Acad. Pariſ. ann.* 1710. *pag.* 56.

centrum concurrentes habet, & ab Africæ populis, teſte Paulo Hermanno, Botna ſeu, Botia, ex nomine cujuſdam regionis appellatur (*a*). Lochnerus autem *Pareiræ bravæ* hiſtoriam peculiari ſcripto complexus hanc ipſam cum Zanonii Butua confundendam negat, neque arboris cujuſquam, ut Butua, ſed humilioris herbæ, Caapebæ ſcilicet Piſonis, radicem eſſe, quæ vulgo *Pareira brava* nominatur.

Nos, ut finem huic controverſiæ, ſi fieri poteſt, afferamus, pauca quædam animadvertenda proponimus: inprimis hoc, quod Matthæus a S. Joſeph, a quo Butuæ notitiam accepit Zanonius, ad eas terrarum oras, in quibus Butua gignitur nunquam ſe contulit. Quippe ex Italia in Syriam initio profectus, Arabes deinde, Chaldæos, & Perſas adiit, poſtremo apud Malabares, & in Cochinenſi regno diu verſatus, in Magni Mogolis imperio vitam finivit; a Moſambico autem, & a reliquis Africæ regionibus longe abfuit. Tantum igitur de hac ſtirpe cognoſcere potuit, quantum ipſi a Luſitanis in Orientalem Indiam commeantibus, Butuæque radicem ad medicinæ uſus illuc deferentibus narrabatur; propterea mirum non debet videri, ſi ab indoctis hominibus, & imperitis in eum errorem inductus eſt, ut non herbæ alicujus, ſed arboris radicem eſſe Butuam exiſtimaret. Sed & illud quoque notandum eſt, in germanis Matthæi commentariis, quorum nonnulli edita jam Hiſtoria Zanonio traditi ſunt, imaginem Butuæ nulla humanæ faciei veſtigia in radicibus exprimentem haberi; ut omne hoc ab eo profectum eſſe commentum videatur, qui alias quoque Matthæi tabulas ad ſuum arbitrium depravavit. Cum igitur ea, quæ *Pareiræ bravæ* adverſari videntur in Zanoniana Butuæ deſcriptione, haud ſatis firma ſint, cumque radicis utriuſque ſit eadem patria, ideſt Africa ulterior, cum forma, ac magnitudine inter ſe conveniant, poſtremo cum utroque nomine eandem radicem a popularibus ſuis nuncupari Joannes Curvus Semmedus Luſitanus Medicus omni aſſeveratione affirmet, nihil eſt, quod aſſentiri vereamur Gothofredio, & Chomelio Pariſienſibus Academicis: præſertim quum eorum ſententia ex ipſa Matthæi narratione, quam ex commentariis ejuſdem fideliſsime tranſtulimus, non mediocriter confirmari poſsit.

Eſt arbor, in Mozebik, in interioribus regionibus fluminis Coama, voca-

(*a*) *Butua regnum Africæ, cum ejuſdem nominis civitate, in Æthyopia inferiori, ſub imperio Monomotapæ.*

vocata Butua, pretioſiſſima radix, & magnæ æſtimationis, colore ſubnigro corticem habens, intus vero ſubalba pulpa, vinculis ſeu partibus compacta, & compoſita; perinde ac ſi faſciculos ex fibrillis aſtringeremus, & ponderoſa eſt.

Ejus virtus mirabilis eſt ad apoſtemata interna reſolvenda, ſi tantillum quomodolibet ebibatur. Putant radicem illam, ſicut & illam de Maniccha Raguri vocatam auri pondere comparari; nam radicis partem dimidii palmi quantitatem non excedentem, craſſitudine a tergo delineata vidimus, cujus pretium triginta Italiæ aureos ſuperabat in illiſmet partibus, a naturalibus ipſis, ob itineris longitudinem, & virtutis excellentiam.

Ambutua ſupereſt, quam eandem eſſe ac Butuam ſeu *Pareiram bravam* facile exiſtimo. Ambutuæ quidem fruſta, quæ a ſe in Muſæo aſſervari ajebat Zanonius, neſcio quo caſu amiſſa in eodem Muſæo reperta non ſunt. Sed & nominis convenientia, & propoſita effigies a Zanonio, & locus unde primum delata eſt, poſtremo etiam facultatis affinitas facit, ut nihil prorſus a Butua diſtinguenda videatur; cujus externa facies ejuſmodi eſt, quæ non minus ligni aliquod genus, quam radicis poſſit repræſentare.

Butua radix Moſambicenſis.
Butua, ovvero Brutua pianta Indiana Zan. Iſt. Bot. pag. 59. & Append.
Ambutua legno Zan. Iſt. Bot. pag. 59. tab. 22.
Pareira-brava, ou Vigne bâtarde Chomel. Abreg. de l' Hiſt. des Plant. I pag. 261.
Radix de Butua Semmedi Hiſt. var. Simpl. edit. Vittemb. 41.

BUXUS FOLIIS EX LUTEO VARIEGATIS.

VIget adhuc in hortis noſtris elegans hæc Buxi varietas a Joſepho Caſalio nobili Viro, atque erudito, Mantuano Senatore ad Zanonium multis ab hinc annis miſſa. De hac in ſuperiori Hiſtoria breviter commemoravit, nulla imagine adjecta, quod a vulgari Buxo colore tantum foliorum differre intelligeret: flavus enim color in frondibus hujus arbuſculæ, ut in Artemiſia antea deſcripta, viriditati admixtus eſt. Humiliorem plerumque, & contractiorem hanc vidimus Buxum, etiamſi folia,

lia, & flores, itidemque fructus majuſculos ferre Zanonio viſa fuerit: at perexigua, nec ſatis conſtans hæc differentia eſt, quemadmodum noſmetipſi confirmare poſſumus. Jamdudum obſervatum eſt in hac ſtirpe, coloris varietatem, pro ætatis, annique temporum ratione, modo adeſſe, modo non adeſſe, totamque viridem fieri, nihil prorſus a vulgari Buxo diverſam.

Buxus foliis ex viridi & luteo variegatis H. R. Pariſ. 34.
Boſſo con foglie orlate di giallo Zan. Iſt. Bot. pag. 52.

CALCITRAPA CANESCENS ALATO CAULE CAPITE MAJORE TURBINATO.

CAlcitrapæ nomine eas appellamus ſtirpes, quas Botanici ſuperiores Jaceis annumeraverant, Tournefortius autem, propter capitulorum aculeos, in Carduorum numero ponendas cenſuit. Quædam ex his eſt in veteri Hiſtoria, *Creticæ Jaceæ ſpinoſæ* nomine, a Zanonio deſcripta, quam duabus tabulis exprimendam curavit; altera ut frondes e radice prorumpentes, altera ut ramos floribus, & capitulis onuſtos demonſtraret. *Tab* 42. & 43.

Radix hujus herbæ perampla eſt, humano brachio æqualis, & copioſa ſobole fœcunda. Folia uberrime funduntur Cichorio vulgari, aut Soncho, ut aliis viſa ſunt, quod ad formam attinet ſimilia, at multo ampliora, albeſcente, aſpera lanugine veſtita. Caules ingenti ſylva ſeſe ad duorum, triumve pedum altitudinem erigunt, angulati, ac ramoſi, foliis minoribus, nec adeo lacinioſis circa divaricationes inſtructi, ex quibus juxta baſim utrinque productis ſtipites ipſi alati fiunt. Capitula fert in ſummis ramis copioſa, ex multis ſquamis conflata, aculeiſque pene innumeris munita: hinc flores emicant floſculoſi, purpurei, coronati, ampliores quam in Jacea nigra vulgari, colore autem, ac forma perſimiles. Semina Octobri menſe in ijſdem perficit longiuſcula, & nitida, albi coloris, atris lineis perfuſa, atque ut in Centaurio majori exiguis, durioribuſque pilis ad verticem inſtructa. Foliorum ſapor amarus eſt, radicis initio dulcis, deinde acerbus & mordax; odor plane inſuavis, quemadmodum in Aro vulgari.

Perennis herba eſt, ex Creta inſula primum invecta: in Bo-

Bononienſibus hortis nullo negotio conſervatur, neque propter frigoris vehementiam interire ſolet.

Jaceam nigram vulgarem ad conglutinationem vulnerum, oriſque ulcerum ſanationem longe aptiſſimam, Hyoſiridis nomine, a Plinio commemoratam eſſe, Anguillaræ opinio fuit Zanonio quoque noſtro vehementer probata. Is vero non diſparem facultatem in Jacea ſpinoſa Cretica a ſe deprehenſam perhibet, ulceribus tibiarum, foliorum illius uſu, feliciſsime ſublatis; ut minime dubitandum putet, quin vel hæc ipſa ad Plinianas Hyoſirides debeat revocari.

Calcitrapa caneſcens, Sonchi folio, alato caule, capite majore, turbinato.
Calcitrapoides caneſcens, Sonchi folio, alato caule, capite majore, turbinato Vaill Mem. Acad. Pariſ. ann. 1718 *pag.* 169.
Jacea ſpinoſa Cretica, anzi ſpezie di Hioſiride Pliniana Zan. Iſt. Bot. pag. 105.
Centaurea calycibus palmato-ſpinoſis, foliis decurrentibus inermibus, radicalibus pinnatifidis, impari maximo Linn. H. Cliffort. 433. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 141.

CARDA INDIÆ ORIENTALIS ARBOR.

Tab. 183. *fig.* 3. CArdæ arboris Indicæ deſcriptionem his verbis expreſſam Matthæi a S. Joſeph libellus ſuppeditavit.

Eſt arbor ſpinoſa, ſicut Limones, cujus folia fricata dant odorem, ut folia Citri. Fructus, & flores deſtillantur ad fluxum ſedandum, ſpirantque odorem ambo ſuaviſſimum: fructus eſt paulo major Limone, flores ſimiles Citri, cortex fructus eſt dura, inſtar granatorum: pulpa incluſa ſecundo cortice duriſſimo, & craſſo eſt viſcoſa, ac ſapore inſipida: ſemen incluſum eſt ſicut Limonis, ſed non tam durum, nec amarum. Hoc fructu utuntur Gentiles antequam matureſcat, ad appetitum excitandum.

Carda Indiæ Orientalis arbor.
Carda arbore Indiano Zan. Iſt. Bot. pag. 66.

CAR-

CARDAMINE MONTANA ASARI FOLIO.

RAdices huic herbæ plurimæ ſunt per terram fuſæ, neque admodum infra ſuperficiem ejuſdem depreſſæ, ſcriptorio calamo æquales, nodoſæ, ac ſæpe inter ſe, ut in Polygonato, Lilioque Convallium nexæ, & conjugatæ. Folia, quæ hinc atque illinc e radicibus pullulant, magnitudine, ac forma vulgare Aſarum prorſus exprimunt; in eo tantum diſcrepant, quod paulo craſſiora ſint, ac mollia, lætioriſque viriditatis. Caules unius pedis altitudinem non exæquant, frondibus etiam rotundis, ac minoribus veſtiti, flores in ſumma parte gerentes copioſos, ex quattuor petalis candidulis conflatos, ea fere magnitudine, quæ eſt in floribus Cardamines trifoliæ a Lobelio, ceteriſque Botanicis vetuſtioribus deſcriptæ. His poſtea decidentibus remanent ſiliquæ tenues, ac nonnihil compreſſæ, ex duabus valvis conſtantes, ſepto per longitudinem ducto eaſdem dirimente. Semina utrinque inter ſeptum, valvaſque interpoſita, diſruptis maturitate ſiliquis, magna vi proſiliunt, ut in omni Cardamines ſpecie, ac Balſamina lutea, quæ a nonnullis Impatiens herba, & Perſicaria ſiliquoſa appellata eſt. De cetero ejuſmodi ſemina exigua ſunt, ac pene rotunda, ad alteram partem craſſiora, flaveſcentia, criſpa, ac veluti ſquamis cooperta, acriſque, ut in Raphano, ſaporis. *Tab.* 44.

Juxta ſcaturigines aquarum in jugis Apennini naſcitur, frigidis locis, ac perenni humore madefactis. Copioſa præcipue circa fontem gignitur, prope Cimonem in Mutinenſi ditione, quem iccirco Baccharidis fontem appellant paſtores, & accolæ illius montis; eodem quippe Baccharidis nomine, quo vulgare Aſarum, hanc etiam Cardaminem, propter ſimilitudinem foliorum, nuncupare ſolent. Centeſimus nunc annus eſt, ex quo adoleſcens Zanonius, nondum ſuſcepta Horti publici cuſtodia, venuſtam hanc, parumque cognitam iis temporibus plantam, ea quæ diximus loca perluſtrans, adinvenit; etſi ab Ulyſſe Aldrovando multo ante repertam eſſe conſtabat. In hortos quoque transferri vel noſtra ætate ſolet, ſed locis umbroſis, & a meridiano ſole averſis committenda eſt, ſecus brevi exare-

ſcit. Majo menſe flores edit, ſemina Junio, ac Julio matureſcunt.

Cardamine montana, Aſari folio Tour. I. R. H 225.
Cardamine rotundifolia, ſive Sisymbrium, vel Naſturtium rotundifolium Montalb. H Botanogr. 22.
Naſturtium rotundifolium Aldrovandi ejuſd. ibid. 54.
Naſturtium montanum, Aſari foliis Bocc. Rar. 5.
Siſembro alpino, rotondifoglio Zan. Iſt. Bot. pag. 188. *Append. pag.* 210.

CARDAMINE FLORE MAJORE ELATIOR.

Tab. 45. CArdamini rotundifoliæ, de qua ſermonem habuimus, altera accedit conſideranda, quæ montana pariter, ac paluſtris nuncupari poteſt; cujus in Zanonianis ſcriptis imaginem, ac deſcriptionem reperimus. Ea quidem nobis pro nova eſſe nequit, quod a Bauhinis fratribus, & a multis præterea deſcriptam conſtet: at Zanonii tabula perelegans eſt, continetque iſtius herbæ imaginem multo, quam in ceteris libris accuratius expreſſam.

Eadem fere eſt hujus Cardamines, quæ proxime deſcriptæ altitudo, unius pedis haud ferme adæquans menſuram. Radices habet nodoſas, huc, atque illuc reptantes, novam ubique prolem fundentes, copioſiſque fibris albis, ac tenuibus inſtructas. Folia, quæ ex radice pullulant, quæque ad ramulorum divaricationem exiſtunt, vix ulla in re diſcrepant inter ſe. Eorum formam verbis aſſequi perdifficile eſt, ex imagine autem unuſquiſque intelliget, non mediocrem huic eſſe cum aquatico Naſturtio, ſeu vulgari Siſymbrio frondium ſimilitudinem: hoc intereſt maxime, quod in noſtra Cardamine tenujores ſint, ac læte virentes. Flores circa extremos ramulos congeſtos profert, non multo minores, quam in ea Cardamines ſpecie, quæ Aſari folio eſt, ex quattuor pariter candidis foliis compoſitos, ſtamina includentes purpureis apicibus inſtructa. His deinde ſuccreſcunt ſiliquæ tenues, ſeminibus per maturitatem proſilientibus plenæ. Caſpar Bauhinus ſaporem hujus herbæ amarum eſſe dixit;

dixit; nos ipſi cum Zanonio acrem potius, & ad vulgare Naſturtium accedentem percepimus.

Hæc etiam frigido ſolo, humidoque gaudet, ac propterea in montibus frequens reperitur, cum variis in locis Bononienſis ditionis, tum vero præcipue circa Granalionis, quas vocant, ſylvas. Translata in hortos Majo, ac Junio floret; brevi tempore poſt, ſemina ad maturitatem perducit.

Cardamine flore majore, elatior Tour. I. R. H. 224.
Naſturtium aquaticum majus, & amarum C. B. Pin. 104.
Siſymbrium Cardamine, ſive Naſturtium aquaticum flore majore, elatius J. B. II. 885.
Cardamina alpina, paluſtre, ſerpeggiante Zan. Tab.

CARDILLA ARBOR INDIÆ ORIENTALIS.

NOn plura de hac ſtirpe afferre poſſumus, quam quæ in libello Matthæi a S. Joſeph memoriæ ſunt prodita. *Tab.* 26. *fig.* 3.

Cardilla arbor folia habet lenia, plana, cordis figura. Radicis decoctio febrim tollit: folia trita, & alio folio circumvoluta, ſubque cinere calido ſepulta, pro animalibus omnibus ſunt proficua. Cortex uſta, & in cinerem redacta, eſt optimum remedium pro ulceribus in virga virili.

Cardilla Indiæ Orientalis arbor.
Cardilla arbore Indiano Zan. Tab.

CARDUUS LEUCOII FOLIO.

GRacilis huic ſtirpi radix eſt, pauciſque conſtans fibris. *Tab.* 46. Ex ipſa gignuntur folia haud fere multa, humani digiti longitudine, Leucoii lutei, ſive ut aliis placuit, Xeranthemi ſimilia, raris circa marginem, ac tenuibus aculeis munita, ſuperiori parte viridia, inferiori autem candida, ac veluti lanugine obſita. Caulis hinc oritur cinereus, ac teres, palmari altitudi-

ne, cujus ad inferiores articulos frondes exiſtunt, earum quæ prodeunt e radice nihil prorſus diſſimiles; quattuor aculeis flavis prope originem ſeptæ, ex quibus duo longiores, duo item breviores apparent: quæ ſummam partem occupant folia in eo a ceteris diſcrepant, quod anguſtiora ſint, minutiſque aculeis in margine penitus careant. In ſinu foliorum, capitula innaſcuntur longiuſcula, brevibus aculeis circunſepta, quibus apertis flores emicant floſculoſi, purpurei, ut in vulgaribus Carduis, at longe minores. Florum occaſum ſemina excipiunt pro ſtirpis ratione grandiuſcula, ac pene globoſa, nonnihil compreſſa, capitulorum interna lanugine obvoluta, plumatiſque pappis inſtructa.

Annua eſt herba, breviſque vitæ; paucis enim ab ortu menſibus, maturis ſeminibus, exareſcit. Unde primum invecta ſit a pleriſque ignorari video. Zanonius a Nicolao Marchantio Academiæ Pariſienſis claro per id tempus Botanico acceptam, in hortis Bononienſibus ad noſtram uſque memoriam propagavit.

Carduus Leucoii foliis H. R. Bleſ. 245.
Carduus ſtellatus, foliis integris, flore purpureo H. R. Pariſ. 38. *Tour. I. R. H.* 440.
Carduus humilis, aculeatus, Ptarmicæ Auſtriacæ foliis Triumph. de Ort. 96.
Polyacantha Xeranthemi folio Vaill. Mem. Acad. Pariſ. ann. 1718. *pag* 156.
Cardo con foglia di Leucoio, peregrino Zan. Tab.

CARYOPHYLLUS INDICUS VENENATUS.

Tab. 167. *fig.* 2. NOn ſatis exploratum habeo quid ſit de peregrinis illis fructibus dicendum, quos ab Alexandro Balamio Londinenſi acceperat Zanonius, multo ante, quam de libri ſui editione cogitaret: Caryophyllos autem iccirco nuncupavit, quod non multum a Caryophylli aromatici fructibus externo habitu diſſiderent, quamvis mortifera vi eſſent præditi. Erant autem ejuſmodi fructus quadrati, ad extremum graciliores, ac pene bifariam diviſi, coloris ex luteo in atrum vergentis. Nihil præterea in ipſis obſervavit Zanonius, ac ne a Balamio quidem per-

percontatus eſt, ut in ſumma obſcuritate iſtorum fructuum tractationem reliquerit.

Caryophyllus Indicus, venenatus.
Garofano Indiano, velenoſo Zan. Iſt. Bot. pag. 98.

CASSIA FOETIDA FOLIIS SENNÆ ITALICÆ.

LEguminis Pernambucenſis nomine, hanc ſtirpem in ſuis tabulis poſuit Zanonius, earum ex numero, quæ non modo hiberni frigoris vim apud nos tolerare nequeunt, ſed ne clauſis quidem locis ulla ratione coerceri ſuſtinent. Eodem anno prognatam vidit Auctor, eodemque, nullis editis ſeminibus, extinctam; ut neque integram potuerit, neque perfectam illius deſcriptionem in commentariis relinquere. *Tab.* 47.

Evecta eſt autem eodem ipſo anno ad pedalem, aut majorem etiam proceritatem, ramoſis caulibus, aſperis, nonnunquam etiam & recumbentibus nixa. Articuli in his crebri aderant, in quorum ſingulis inſidebant frondes conjugatæ, ſenis videlicet eidem petiolo hærentibus foliis haud prorſus æqualibus, obtuſis, & glaucis. Ad exortum cauliculorum geminæ apponebantur pinnulæ tenues, & anguſtæ, corniculorum inſtar leniter curvæ. Flores ex quinque petalis luteis conflati, ut in reliquis Caſſiis, circa extremos ramos congeſti apparebant: ſed non multo poſt hieme impendente totius ſtirpis interitus conſequebatur; quamobrem nulla ſiliquarum in deſcriptione mentio facta eſt. Effigiem in tabula ſculptam credo ab iis ductam eſſe, quas ex Pernambucenſi regione devectas jamdudum acceperat Zanonius; neque enim ſolent unquam in his terris, quemadmodum antea diximus, matureſcere.

Simillima huic habetur in Horto Elthamenſi, quam egregius noſtræ ætatis Botanicus, omnique commendatione digniſſimus Joannes Jacobus Dillenius *Caſſiam fœtidam, foliis Italicæ Sennæ* nominavit. Flores ea quidem gerit ſummis in ramis copioſe admodum congregatos, ſed non iccirco diverſam eſſe ab hac noſtra Pernambucenſi credimus, quæ ſane videtur eo tempore depicta, quo tum primum floreſcens conſpiciebatur: in

hac

hac itaque opinione tantiſper manebimus, quoad novum aliquod proferatur diſcrimen; ſi forte in ſiliquis illius Caſſiæ, quarum in Dilleniana tabula expreſſa tantum primordia ſunt, vel diſſimilis habitus, vel diſpar magnitudo poſſit demonſtrari.

Radix hujus plantæ ex multis tenuibus conſtans fibris, quam capillo muliebri ſimilem dixit Auctor, tum etiam creſcendi, florendique ratio annuam eſſe declarant. Ceterum ea non modo Zanonianis temporibus, ſed noſtra etiam ætate, neque ita multis abhinc annis in Bononienſibus Hortis conſpecta eſt: quippe illius ſemen ex Batavia acceperat ſingularis Vir & excellens Aloyſius Ferdinandus Marſillius Bononienſis Patritius, generis nobilitate, rerum geſtarum magnitudine, liberalitate in Patriam clarus, a cujus morte decimus fere hæc ſcribentibus nobis annus agebatur (*a*); ſed quam ipſe pro ampliſſimis meritis gloriam conſecutus eſt, neque oblivione delebitur poſteritatis, neque longinquitate temporis, aut rerum commutatione poterit obſcurari.

Caſſia fœtida, foliis Sennæ Italicæ Dillen H. Eltham. pag. 71.
Senna Occidentalis, odore opii minus viroſo, foliis glabris, obtuſis, majoribus Boer. Ind. alt. II. 58.
Legume odorato di Pernambuco Zan. Tab.

CHÆROPHYLLUM SICULUM SOPHIÆ FOLIIS SEMINE VILLOSO.

Tab. 48. CHærophylli nomen, auctore Tournefortio, huic herbæ impoſuimus, quam Zanonius Daucis, inventor autem Bocconius Paſtinacis annumeraverat. Permagni intereſt profecto in diſtributione ſtirpium umbelliferarum ſeminum fabricam & conformationem intueri, quod ea neglecta, propter ſimilitudinem reliquarum partium, ipſiuſque externi habitus, ſummam exiſtere confuſionem neceſſe eſt.

Fundit autem hæc ſpecies Chærophylli plurimas e radice frondes, lata baſi eidem annexas, ut in ceteris pene umbelliferis, molles præterea, ſubhirſutas, minute conſciſſas, & criſpas: ex his omnibus ea fit ſimilitudo, quæ ineſſe huic ſtirpi dicitur

(*a*) *Mortuus eſt Kal. Novembr.* 1730.

tur cum Sophia vulgari; de qua illud animadvertimus, perinde hanc rem intelligi oportere, ac ſi perfecto omni ex parte Sophiæ folio, pars aliqua frondium hujus Chærophylli reſpondere dicta ſit. In his mediis caulis exoritur unus vel alter, proceritatem habens cubiti, & ſemiſſis; teres, lanuginoſus, minimique digiti craſſitudine: nodi in eo, ſive articuli perpauci, & in ipſis folia haud fere ab inferioribus diſcrepantia, niſi quod minora ſint, magiſque exalbeſcant. Summa pars ejuſdem caulis in ramos dividitur, quorum unuſquiſque umbellam ſuſtinet minutis, candidiſque floribus refertam. Sunt autem ex quinque petalis coagmentati, quos diximus, floſculi, roſæ minimæ autumnalis odore, at non ita vehementi. Semina pro umbelliferarum conſuetudine bina ſemper conjunctim accreſcunt, atque hæc ipſa longiuſcula, exilia, & hirſuta. Radix ſtipitibus craſſior eſt, paulo infra terræ ſuperficiem in aliquot partes diviſa, ac tenuibus ſulcis exarata. Sapor totius herbæ ad paluſtre Apium, radicis autem ad hortenſe Fœniculum magnopere accedit.

Invenit hanc primus in Sicilia ſtirpem Paulus Bocconius Panormitanus, qui ſub extremum ſæculi proxime elapſi haud mediocrem ſibi inter Botanicos comparavit laudem. Zanonius acceptis ab eodem ſeminibus, hortis etiam Bononienſibus communem fecit, in quibus deinde complures annos ſervata eſt: ſed vitio culturæ interveniente, non multo ante noſtram ætatem propagari deſiit: alibi vidimus eam tamen in Horto publico Patavino, a Præfecto ejuſdem eruditiſſimo Julio Pontedera demonſtratam. Perennis herba eſt, ſingulis annis Majo revertente, flores emittens.

Chærophyllum Siculum, Sophiæ foliis, ſemine villoſo Tour. I. R. H. 314.
Dauco ſecondo Siciliano, con foglie di Sofia Zan. Iſt. Bot. pag. 80.
Athamanta foliis multifidis, planis, ſeminibus villoſis Linn. H. Cliffort. 93. *Roy. Fl. Leyd.* 97.
Athamanta ſicula - Lin:

CHE-

CHELIDONIUM MAJUS FOLIIS ET FLORIBUS MINUTISSIME LACINIATIS.

Tab. 49. SUperiores Botanici duas Chelidonii majoris deſignaverant ſpecies; vulgare nempe, & alterum, foliorum diviſione, querneas frondes exprimens, a Carolo inprimis Cluſio, Caſparoque Bauhino memoratum: tertium acceſſit Zanonii temporibus, foliis minutiſsime conſciſsis, quod eſſe idem conjecit, ac Dioſcoridis Othonnam, noſtra hac ætate ignotiſsimam ſtirpem: multaque ad hanc ſuam opinionem firmandam in veteri Hiſtoria commentatus eſt. Nobis autem, ſi vere id quod ſentimus libeat dicere, haudquaquam videntur inter ſe diſtinctæ, niſi fortuita quadam differentia, omnes iſtæ varietates Chelidonii majoris, quas enunciavimus, quaſque in Bononienſibus Hortis cultas meminimus. Non differt profecto Cluſianum illud a Zanoniano, quia non modo utrumque illorum, ſed etiam tenuiſſimum a Moriſono (*a*) deſcriptum, eodem ſemine procreari ſolet: neque ullum ex diuturnitate eorundem colligi diſcrimen poteſt, quemadmodum nonnullis viſum eſt; quanquam enim de altero affirmat Zanonius perennem ſtirpem eſſe, de altero ſuſpicatur Cluſius editis ſeminibus exareſcere, falſam eſſe iſtiuſmodi ſuſpicionem idem ipſe Moriſonus aperte declarat (*b*). Ne a vulgari quidem diſcrepare videtur Cluſianum, quod diximus, Chelidonium; quippe quod initio obſervatum eſſe dicitur Heidelbergæ in Palatini Pharmacopolæ Philippi Sprengeri Horto, non ſeminibus, aut viviradicibus aliunde translatum, ſed ibi ſua ſponte exortum; ut fortuitam vulgaris commutationem in eo quivis agnoſcere facile poſsit. Braſsicæ exemplum, ac Endiviæ, aliarumque hortenſium herbarum, hujus rei, quam diximus, veritatem comprobat.

Zanonianum igitur Chelidonium non proceritate diſcrepat a vulgari, non habitu externo, non cæſia viriditate frondium, non florum colore aut magnitudine, non gravi, ac tetro odore, non denique copioſo illo, croceoque ſucco diſcriminatur. Differentia omnis in laciniis florum foliorumque eſt poſita, eaque in tabula diligentiſsime expreſſa, ut non diu in hac ſtirpe

(*a*) *Hiſt. Oxon. Part.* 2. *pag.* 258. (*b*) *Ibid.*

ſtirpe deſcribenda nos immorari æquum ſit. Folia non modo illud habent, quod ſint pertenues in partes diviſa, ſed etiam, quod magis in rotunditatem ſparſa; unde Chelidonium Geranii folio nonnulli appellandum exiſtimarunt.

Zanonius, quum veram eſſe Dioſcoridis Othonnam hanc ſtirpem cenſeret, multa, ut diximus, in hujuſmodi opinionem, copioſeque diſſeruit: huic eſſe folia Erucæ ſimilia, quaſi a vermibus exeſa, tum croceos etiam flores, eumque ſuccum, qui ad medicinam oculorum uſurpari queat: poſtremum hoc ſibi experientia haudquaquam dubia conſtitiſſe; cum enim folia hujus herbæ manibus diu tractaſſet, digitumque eorum ſucco perfuſum alteri ex oculis caſu admoviſſet, ardor, ac dolor in eo oculo eſſe cœpit, quo deinde per lachrymas ſoluto, acceſſiſſe vim & claritatem ad viſus aciem ſenſit. Hæc omnia ad deſcriptionem Othonnæ videntur accommodari poſſe, quæ ſic a Dioſcoride exponitur. *Sunt qui majoris Hirundinariæ ſuccum Othonnam eſſe dicunt, qui Glaucii herbæ, qui florum cornuti Papaveris, nonnulli etiam cæruleæ Anagallidis, Apollinariſque herbæ, & Papaveris mixtos ſimul ſuccos Othonnam eſſe affirmant: alii Troglodyticæ cujuſdam herbæ, quæ Othonna vocatur, ſuccum eſſe credunt: naſcique herbam in Arabia etiam, quæ ad Ægyptum eſt. Habet Erucæ folia multum vulnerata ac perfoſſa, perinde atque relicta ex erucarum corroſione, ſubſtantiæ non ſubſiſtentis, folia etiam pauciora, ſed præcipuorum foliorum. Florem fert crocinum latifolium; propterea quidam putant Anemones genus eſſe. Exprimitur ex ea ſuccus ad oculorum medicinam, cum purgari aliquid oportet erodens, & quæ claritati eorum officiunt omnia exterens. Ferunt præterea deſtillare ex Othonna humorem aliquem, quem lotum, calculiſque omnibus purgatum in paſtillos conformant ad eadem utilem. Ferunt præterea aliqui lapidem Othonnam eſſe in Ægypti Thebaide naſcentem, colore candidum, magnitudine parvum, guſtu erodentem, calefacientemque ſimul, & adſtringentem* (a).

Negat Zanonius perforata eſſe Othonnæ folia Dioſcoridis verbis, ut nonnulli putant, ſignificari: ex qua interpretatione alii vulgare Hypericum, Tagetem alii, ſive Africanum Tanacetum pro Veterum Othonna nobis obtrudere conati ſunt; quoniam eæ ſtirpes frondes habere videntur minutis foraminibus pervias. Falſum id ipſum eſſe oſtendit Zanonius, nullam ſibi eſſe notam ex terreſtribus plantis affirmans, quæ frondes habeat

(a) *Dioſcor. ex interpret. Marc. Verg. Lib. II. Cap.* 174.

vere perforatas; in Tagete, ac Hyperico perlucida eſſe puncta, quæ foraminum præſeferant ſimilitudinem: ex eo relinqui, ut frondes Othonnæ exeſæ in margine eſſe debeant, ac ſinuoſæ, quales in hac ſpecie habentur Chelidonii; ut etiam ob hanc cauſſam Othonnæ nomine appellanda videatur.

His maxime argumentis Zanonius in ſuperiori Hiſtoria opinionem ſuam de Veterum Othonna probare conatus eſt. Edito jam libro, ac pervulgato, literæ ad ipſum redditæ ſunt a Petro Nato Piſani Horti Præfecto, quibus ſignificabat hanc ſtirpem ſe multos per annos Florentiæ, ac Piſis coluiſſe; dubitare an a lacinioſo illo Cluſii Chelidonio eſſet vere diſtinguenda. His literis ad acriorem iſtius rei, diligentioremque inquiſitionem excitatus eſt: factumque propterea, ut ſupremo tempore pauca quædam perſcriberet in commentariis, quibus intelligi poſſet minus jam ipſi minuſque placere eam ſententiam, quam prope certam de hac ſtirpe aliquando habuiſſet. Fatebatur enim haud ſibi prorſus conſtare, quænam illa eſſet Veterum Othonna: medicamenti genus videri eo nomine deſignatum, idque vel ipſi incognitum Dioſcoridi, qui lapiſne fuerit, an herba haud ſatis certo potuerit affirmare. Quod ſi maxime planum fieret ſuccum fuiſſe Othonnam, ſive herbam eodem nomine, quæ talem ſuccum ad medicinam funderet oculorum, tamen præſtare ajebat ignotam eſſe adhuc eam ſtirpem credere, interque Arabes quærendam, ac Troglodytas, quam in ipſa apud nos perveſtiganda infinitis conjecturis laborare.

Chelidonium majus foliis, & flore minutiſſime laciniatis H. R. Par. 49. *Tour. I. R. H.* 231.
Othonna di Dioſcoride, chiamata da alcuni Celidonia Indiana Zan. Iſt. Bot. 154.
Item.
Chelidonium majus laciniato flore Cluſ. Hiſt. cciii.
Chelidonium majus foliis quernis C. B. Pin. 144. *Tour. I. R. H.* 231.

CHENOPODIUM AMBROSIOIDES MEXICANUM. *Lin:*

CHenopodii hæc ſpecies initio fere ſuperioris ſeculi ex Auſtrali America in Germaniæ Hortos invecta eſt. Felix Platerus Baſileenſis Medicus ſemine prognatam habuit, & Caſparo Bauhino ſuppeditavit, a quo, Botryos Mexicanæ nomine, in Pinace eſt recenſita. Haud multo poſt Hiſtoria ſtirpium Mexicanarum a Franciſco Hernandio ſcripta edi cœpit, qua hujus deſcriptio ſtirpis continebatur: aderat etiam effigies, ſed lignea in tabula, ac vulgari artificio ſculpta; ex quo factum eſt, ut Zanonius accuratam ejuſdem imaginem, qualis tum nulla extabat, effingi curaverit, ſtirpemque ipſam ad hunc modum deſcripſerit. *Tab.* 50.

Altitudo herbæ pedalis eſt, aut non multo major: caulem habet firmum, teretem, ac rectum, ſcriptorio calamo æqualem, impreſſis tenuibus ſulcis haud prorſus lævem, ramiſque copioſis inſtructum. Folia Atriplicis vulgaris, & Chenopodii ſimilitudinem habent; ſed longe anguſtiora ſunt, viridi colore, nullis, vel certe exiguis villis obducta: quæ ſummis ramulis inhærent minora adhuc ſunt, atque ex eorum ſinu floſculi prodeunt complures in racemos congeſti, minuti, virides, ac muſcoſi, quales in ceteris Chenopodiis, ex nullis videlicet petalis, ut recentioribus pleriſque Botanicis videntur, compoſiti; calyce tantum in ſex partes diviſo, apices cum ſtaminibus, ſeminiſque primordia involvente. Is deinde augeſcit, ac fit capſula, qua ſemen reconditur uſque ad maturitatem: tum vero ad ſtellæ ſimilitudinem multifariam hiante capſula, ſemen exilit nigrum, ſubrotundum, ac nitidum. Sapore eſt acri, odore vehementi ac inſuavi, ut permirum videatur id, quod refert Hernandius, hanc ſtirpem videlicet a Mexicanæ regionis incolis in cibis uſurpari.

Annua eſt herba, quæ menſibus æſtivis adoleſcit, ac floret; initio autumni extinguitur. Paucis ab hinc annis ſtudioſe a multis coli cœperat, qui neſcio quomodo in animum induxerant, hanc ſtirpem Sinenſibus, ac Japonibus celebrem illam Theam ſubminiſtrare, quam ab ultimo Oriente invectam haud parvo emere ſolemus. Nec vero penitus deleta ſunt abſurdiſſimæ iſtius opinionis veſtigia; nonnullis etiam ita exiſtimantibus,

ſummam diſſimilitudinem, quæ inter Sinenſem Theam, ac folia iſtius Chenopodii intereſt, regionum diverſæ temperationi aſcribendam eſſe.

Linn:

Chenopodium Ambroſioides, *Mexicanum Tour. I. R. H.* 506.
Botrys Ambroſioides, *Mexicana C. B. Pin.* 138.
Epazotl, *Atriplex odora*, *Mexicana Hernand.* 159.
Botrys Bætica, *Atriplicis ſylveſtris facie*, *vulgo Botrys Mexicana Barrel. ic.* 1185.
Botri Americano Zan. Tab.

CHRYSANTHEMUM FOLIIS MATRICARIÆ.

Tab. 51. DUas Chryſanthemi ſpecies delineatas, ac deſcriptas in Zanonianis commentariis invenimus. Earum alteram, vulgarem licet in hortis ſtirpem, atque ex coronariarum numero, hoc loco pertractare ingredimur; quam quidem Zanonius in ſuas tabulas, eam ob cauſſam retulit, quod non ſatis congruere antiquis imaginibus, quæ in reliquis extabant libris, videretur.

Variam habet hoc genus Chryſanthemi, ut reliquæ pene ſtirpes, pro ſoli fœcunditate altitudinem: duorum tamen, vel trium pedum raro exſuperat menſuram. Caulem habet lævem, ac teretem; folia brevibus intervallis mollia, ac virentia, haudquaquam hirſuta, multifariam inciſa, quemadmodum ex imagine poteſt intelligi. Flores in ſummis ramis inſident ampli, ac radiati, aurei coloris, ex quibus nomen ipſum Chryſanthemi ductum eſt. Fecit poſtea cultura, ut pallentes aliquando fierent radii, nonnunquam ut ex dimidia parte exalbeſcerent, quin etiam, ut ſemifloſculi in umbone floſculorum locum occuparent, plenique floris ſiſterent imaginem. Sic variæ, ac multiplices extiterunt hujus Chryſanthemi formæ a Botanicis quibuſdam, tanquam ſpecies inter ſe diſcrepantes numeratæ. Areſcentibus floribus matura fiunt in calycibus ſemina, minuta, & angulata.

Annua eſt herba, æſtivo tempore in hortis vigens, ac florens: in Creta vero inſula ſua ſponte provenit. Ceterum eorum opinioni, qui verum eſſe Dioſcoridis Chryſanthemon putant, Zanonius etiam noſter libenter aſſenſus eſt.

Chry-

Chryſanthemum folio Matricariæ, flore luteo C. B. Pin. 134. *Tour. I. R. H.* 491.
Chryſanthemum Matth. edit. Bauh. 738.
Chryſanthemum Creticum Cluſ. Hiſt. 335.
Matricaria Jacobeæ folio, flore luteo Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1720. *pag.* 285.
Item.
Chryſanthemum flore partim candido, partim luteo C. B. Pin. 134. *Tour. I. R. H.* 492.
Criſantemo di Candia annuo, con fiore di duoi colori Zan. Tab.

CHRYSANTHEMUM EXOTICUM INCANO CINERARIÆ FOLIO.

RAra ac perelegans Chryſanthemi hæc ſpecies eodem ex loco eſt, ac proxime deſcripta. Georgius a Turre in recenſione ſtirpium Horti Patavini primus hanc herbam, ut opinor, Matricariæ vocabulo nominavit: eandem poſtea duabus tabulis expreſſit Bocconius, non iis quidem prorſus ineptis, ſed tamen ad exſiccati ſpeciminis formam delineatis. Longe accuratiorem, ac perpolitam undique in ſuis commentariis reliquit Zanonius, ea deſcriptione adjuncta, quæ latine a nobis ad hunc modum reddita eſt. *Tab.* 52.

Radix huic ſtirpi haud ita gracilis eſt, neque admodum profunde in terram demiſſa, fuſco tecta cortice, ac tenuibus fibris inſtructa. Complura ex ipſa prodeunt folia, nixa longis petiolis, multifariam, ac nullo fere ordine conſciſſa, Cinerariæ maritimæ Jacobeæ ſimilitudine, at multo anguſtiora, nec in averſa parte adeo caneſcentia. Caulis proceritatem cubitalem, aut majorem aſſequitur, totuſque exalbeſcit, rectus, ac firmus, ſcriptorio calamo æqualis, & in aliquot ramos diviſus. Folia tum prope divaricationes, tum etiam alibi exiſtunt minora, nec perinde inciſa, ut ea ſunt, quæ ex ipſa radice pullulant. Flores in ſummis ramulis inſiſtunt aurei, ac radiati, Chryſanthemi illius floribus, quod jam antea pertractavimus, cum magnitudine pares, tum etiam figura, quibus areſcentibus ſemina in capitulis infixa remanent, fuſca, longiuſcula, & angulata. Foliorum ſapor, ac radicis amarus eſt, odor fere nullus, qui ſatis percipi queat.

Pe-

Perennis herba eſſe dicitur ex Creta inſula in Italiam invecta. Bocconius tamen eam ſeſe in Dalmatia reperiſſe memoriæ prodidit: noſtris temporibus plane ignota eſt, neque a nobis uſquam conſpecta.

Chryſanthemum exoticum, incano Cinerariæ folio Bocc. Muſ. Part. 2. pag. 23. tab. 4. Rai. Hiſt. III. 210.
Matricaria Bellidis amplo flore, Jacobeæ cinerariæ folio Georg. a Turr. Cat. H. Pat. 81.
Criſantemo perpetuo, Cretico Zan. Tab.

COMMELINA VIRGINIANA PERENNIS AMPLIORIBUS FOLIIS REPTANTE RADICE.

Tab. 53. VIrginianum Phalangium a Zanonio in ſuperiori libro deſcriptum Commelinis annumerandum eſſe, ſatis ut opinor perſpectum videtur: quocirca deſcriptionem hujus ſtirpis, Commelinæ nomine, hoc loco ſubjicere operæ pretium erit.

Altitudo ipſius cubitalis eſt, aut non multo major. Caulem habet rectum, firmum, virenti medulla repletum, viridi pariter cortice, ad imam partem purpureo veſtitum, albeſcente lanugine obductum. Folia tum circa radicem, tum in ſummo caule brevioribus exiſtunt intervallis, quam juxta mediam illius partem, ad ſingulos articulos ſingula, hiſque per membranam nexa, quæ non modo ipſa genicula, ſed caules etiam ſupra genicula haud modico ſpatio laxioris vaginæ inſtar obvolvit. Folia ipſa brevi, latoque pedunculo extremæ hærent vaginæ, qua parte caules non amplius circumplectitur; ibi etiam frequentes pili, ac longiuſculi ſpectantur. Sunt autem hæc folia aſpera, ut in Arundine, innumeris lineis in longitudinem ductis notata, eadem forma, ac mucrones haſtarum, in ſuperiori parte viridia, in averſa autem albeſcentia, tenuique lanugine obducta. Summa pars hujus caulis, & ramorum, qui ex eo frequentes pullulant, involucra quædam gignit, ſive, ut Zanoniano utar verbo, receptacula, ex viridi ac reticulata membrana, ad conchæ ſimilitudinem conſtructa; extremo ſcilicet eorum margine ita connivente, ut valvæ in conchyliis ſolent. Ex intima eorum parte flores prodeunt tenuibus petiolis nixi: ſena in his haben-

habentur folia; tria, quæ magnitudine, ac ſubcæruleo colore petalorum naturam præſeferant; cetera exilia, ac viridia, quæ de Botanicorum ſententia ad calycem pertinere dicenda ſunt: ſtamina etiam in mediis floribus ſunt poſita, hiſque flavi apices inhærent. Singulis floribus fructus parvi ſuccreſcunt, hiantibus viperarum capitibus ſimiles, in quibus deinde fuſca ſemina, & compreſſa matureſcunt. Radices habet multas, gracilitate caulibus pares, albi coloris in luteum vergentis: hujuſmodi radicibus cum valde propagetur, haud ſæpe fit, ut flores, ac fructus gignat. Zanonius, quum octo ipſam aluiſſet annos, ſemelque flores edidiſſet, anguſtiori teſta concluſit, ac ſingulis deinceps annis florentem conſpexit.

De florum numero, qui in ſingulis oriuntur involucris ambigi poteſt, ſi maxime vetus illa Auctoris narratio perlegatur; quippe in ea ſcriptum videtur, unum cuique involucro florem, tres vero fructus ineſſe; ex quo in errorem inductus eſt Rajus, ut ſingulis floribus trinos fructus ſuccedere arbitraretur (*a*). Zanonii autem verba ſic debemus interpretari, ut quot fructus videmus contineri involucris, totidem numero flores antegreſſos putemus: quorum quidem unum duntaxat commemoravit Zanonius, quod nunquam ſimul omnes patuli exiſtant, ſed primum decidentem alter deinde, ac tertius ſubſequatur; id quod exemplo aliarum ſtirpium hujus generis nobis exploratiſſimum eſt.

Commelinas duo tantum petala in floribus habere cenſuit Plumerius, a quo novum hoc plantæ genus inſtitutum eſt. Sunt enim quædam annuæ inprimis Commelinæ ſpecies, in quibus unum de tribus petalis, ſic magnitudine & colore a ceteris diſcrepat, ut perianthii foliis annumerandum videatur. Joannes autem Jacobus Dillenius rem aliter ſe habere comperit; oſtenditque Elthamenſi in Horto eandem eſſe in omnibus Commelinis florum conformationem, eos nempe ex tribus petalis, tribuſque calycis foliis conſtare (*b*). Commelinam etiam deſcribit eodem in libro perennem, ac Zanoniano Phalangio perſimilem; ſed cum alias ob cauſſas, tum vero ob radices haudquaquam reptantes, ab eo diſtinguendam exiſtimat.

Perennem hanc ſpeciem Commelinæ, virentem nuſquam conſpeximus: exſiccatum autem illius ramum Nicolaus Cæſius habuit, Bononienſis Medicus herbarum diſciplinæ perſtudioſus, qui poſtremus fere ex Zanonii diſcipulis, provecta jam ætate pau-

cis

(*a*) *Hiſt. Pl. pag.* 1906. (*b*) *H. Eltham. pag.* 91.

cis abhinc annis mortuus eſt (*a*): in eo autem, quem diximus, ramo ne primordia quidem florum extabant, ut non aliunde, quam ex Zanoniana imagine, veram eorum formam potuerimus agnoſcere.

Commelina Virginiana, amplioribus foliis, reptante radice.
Falangio ramoſo, Virginiano, con foglia larga, ſerpeggiante Zan. Iſt. Bot. 90.
Thalangium ramoſum Virginianum, foliis latis, repens Zanonii Rai. Hiſt. II. 1193.

CONVOLVULUS PEREGRINUS PULCHER FOLIO BETONICÆ.

Tab. 54. CONvolvulus ille, quem pro Helxine Ciſſampelo Dioſcoridis habuit Zanonius, idem eſſe profecto videtur, qui a Cluſio fuerat, ac Joanne Bauhino ex Altheæ, vel Betonicæ frondium ſimilitudine nominatus. Aperte hoc non poſuit Zanonius in ſuperiori libro; at ne id ipſum quidem inficiatus eſt: tantum propter nonnullam, quæ ineſſe videbatur, diſcrepantiam, eas ſtirpes inter ſe conjungere dubitavit: quamque ipſe a Nicolao Leonio Patritio Veneto acceptam in hortis colebat, diligenter accurateque deſcripſit: poſtremo in eam fere ſententiam adductus eſt, libro jam pervulgato, ut nullum diſcrimen inter hanc ſuam Convolvuli ſpeciem, & Cluſianam intereſſe arbitraretur.

Sarmenta e radice hujus Convolvuli prodeunt complura, niſi fulciantur caduca, & in omnem partem fuſa: ſin vero apprehendere, aut circumligare quidquam poſſint, ſeſe attollentia, ut in Convolvulo minore, cujus etiam caulibus, ſive ſarmentis parem ferme habent longitudinem, & gracilitatem. Folia ad articulos exiſtunt multiformia, dentata, variis angulis & anfractibus inciſa, Altheæ frondibus conſimilia, at longe minora, hirſuta, ad partem averſam caneſcentia: quæ autem in extremis poſita ſunt ramulis, ea inciſiones habent profundiores. Flores ſingularibus petiolis nixi e foliorum prodeunt ſinu, roſei coloris, eadem fere magnitudine, ac forma, ut inquit Zanonius,

ac

(*a*) *Anno* 1735.

ac in Syriaca Scammonia, quæ & ipſa in Convolvulorum numero ponenda eſt. Mihi autem, ut vere dicam, Zanoniani Convolvuli flores, non perinde ampli viſi ſunt, ac Scammoniæ Syriacæ. De cetero ejuſmodi flores ſemel ad Solis ortum ſeſe pandentes, ad occaſum deinde langueſcentes fructus excipiunt pene rotundi, ac modice acuminati, in quibus ſemina quaterna nigra, ac triangularia maturitatem aſſequuntur. Serpit hujus radix, funditque aliquando novam ſobolem: nodoſa eſt, gracilis, ac teres, vix ullius ferme odoris ac ſaporis.

Ex his unicuique, ut opinor, perſpectum eſt, nullam huic deeſſe ex conditionibus, quas Convolvulo illi Cluſiano aſcriptas legimus, præter argenteum quendam nitorem foliorum, qui tamen ſic videtur multis in ſtirpibus per culturam imminui, ut prorſus fere evaneſcat.

Quanquam vero dubitavit Zanonius, utrum hæc ſpecies Convolvuli memorata eſſet a Botanicis, qui haud procul ab ſua floruerunt ætate: vetuſtiſſimis quidem ita non fuiſſe incognitam arbitratus eſt, ut non aliam pro Helxine Dioſcoridis Ciſſampelo habendam cenſuerit, ac in iſtam ſententiam copioſe diſputaverit: Helxine autem Ciſſampelos ab Auctore ſuo ad hunc modum deſcribitur. *Helxine cognomento Ciſſampelos, foliis eſt Hederæ minoribus: ramulis exilibus, quibus amplectitur quodcumque contigerit adminiculum: naſcitur in ſepibus, vinetis, & ſegetibus: foliorum ſuccus potu dejicit alvum* (*a*).

Quin ad Convolvuli genus pertineat, vix quiſquam inventus eſt qui dubitaverit; in conſtituenda ſpecie ambigi poterat: quocirca majorem alii vulgarem, alii minorem, nigrum denique alii Convolvulum ſive Fagopyrum ſcandens propoſuerunt. Zanonius hunc peregrinum reliquis anteponere minime veritus eſt, quod inferiores illius frondes ad Hederam, ſuperiores autem ad Vitem proxime accederent: Ciſſampelos autem græcum eſt vocabulum ex duobus verbis Κισσὸς, quod Hederam, Ἄμπελος, quod Vitem ſignificat, conflatum. Eam plerique vocem ſic interpretati ſunt, ut Helxinem iccirco nuncupatam eſſe Ciſſampelon crederent; quod inter Vites Hederaſque naſceretur. Zanonius autem ad explicationem illius nominis foliorum ſimilitudinem maluit uſurpare.

(*a*) *Lib. V. cap.* 31.

Convolvulus peregrinus, pulcher, folio Betonicæ J. B. II. 159.
Convolvulus Althææ folio Cluſ. Hiſt. xlix.
Convolvulus argenteus, Altheæ folio C. B. Pin. 295.
Helxine Ciſſampelos di Dioſcoride Zan. Iſi. Bot. 102.

CONVOLVULUS INDICUS ALATUS MAXIMUS FOLIIS IBISCO NONNIHIL SIMILIBUS ANGULOSIS TURBITH OFFICINIS.

Tab. 55. SCammoniam Syriacam, quæ ſuccum radicis ad medicinam ſuppeditat, ex Convolvulorum eſſe numero dictum eſt a nobis in explicatione ſuperioris tabulæ. Indicum Turbith, cujus pariter radici vis ineſt purgandi, quodque Medicis, ac Pharmacopolis notiſſimum eſt, ad idem plane refertur genus. Arabes primi uſum illius, nomenque introduxerunt; unde autem proficiſceretur, haud ſatis perſpicue declararunt; quocirca de ipſius origine diu a Botanicis dubitatum eſt: præſertim quum Indici Turbith inopia, Thapſiæ cujuſdam radices aliquando fuerint in medicamentis uſurpatæ. Garzias ab Orta Luſitanus, qui medicinam in Orientali India triginta, & amplius annos exercuit, ſtirpem a ſe conſpectam germanum Turbith proferentem deſcripſit, Veterumque opiniones in aromatum Hiſtoria explanavit. Effigies nulla extabat, ut opinor, Zanonii temporibus, a quo eſt ænea in tabula ex libris Matthæi a S. Joſeph haud ſane ineleganter expreſſa. Nos eam tabulam in commentariis Auctoris repertam ſuperioris Convolvuli imagini adjungemus. Convolvuli enim ſpeciem eſſe Turbith, cum reliqui Botanici, tum is præcipue, qui Orientalem Indiam peragraverat, Paulus Hermannus, Zanonii poſt mortem apertiſſime confirmavit.

Verum & perfectum Turbith (inquit Matthæus) *invenitur in inſula Diu vocata, radices habens terreo colore, nigreſcit cum ſiccatur, & recens lacte abundat: ſtipites ejus ſeu ſarmenta triangularia ſunt, & retorta, & quaſi melleo colore. Folia tanquam Hedera Italica, & etiam paulo majora: flores facit inſtar campanæ: capſulæ ſeminum ſunt per extrinſecus rufi, vel rubri coloris: ſemina intus incluſa ſunt numero quattuor in ſingulis globulis: quadrata ſunt, non rotunda, pipere majora; extenditur, dilatatur, exporrigitur in modum Vitis.*

Vitis. Putatur quod Varpanti ſit Turbith hic deſcriptus, habet enim virtutem purgandi.

Is quem antea nominavimus Paulus Hermannus, effigiem attulit hujus ſtirpis, in qua folia ſunt angulis quibuſdam inciſa: eo diſcrepat ab hac noſtra, quæ ſtudio Matthæi a S. Joſeph elaborata eſt; reliqua ſatis conveniunt. Servat autem Parens meus ramum iſtius Convolvuli exſiccatum, multis ab hinc annis a Joanne Baptiſta Triumphetto acceptum, Romani Horti Præfecto, ſumma officiorum, ſtudiorumque neceſſitudine ſibi conjuncto; in quo ramo unum duntaxat folium eſt altera ex parte angulatum: ut ex hoc maxime colligi debeat, hæc folia varietatem in angulis habere, non mendoſe propterea in Zanonii tabulis delineata eſſe.

Convolvulus Indicus, alatus, maximus, foliis Ibiſco nonnihil ſimilibus, angulosis; Turbith officinis H. Lugd. Bat. 177.
Turbith Garz. edit. Cluſ. 206.
Turpetum repens, foliis Altheæ, vel Indicum C. B. Pin. 149.
Turbit vero, e legittimo Zan. Tab.

CORONA SOLIS LATIFOLIA ALTISSIMA.

COrona Solis, de qua nunc dicere inſtituimus, radices perennes habet, craſſas, longe, lateque per terram fuſas, plurimiſque fibris inſtructas. Ex his verno tempore caules efferuntur aſperi, ac virides, proceritatem humana excelſiorem brevi attingentes, digiti autem craſſitudinem haud multum ſuperantes. Raros habent articulos, in quibus folia modo gemina e regione oppoſita, modo ſingula ad alteram partem inſiſtunt acuminata, ſubaſpera, atque ad margines dentata, perinde ut in ea Corona Solis, cujus radices eſculentæ adulterinorum tuberum nomine veneunt in foro. Extremis ramis inſident lutei, ac radiati flores, minus ampli, dilutioriſque coloris, quam in Corona Solis tuberoſa: medius eorum umbo ex floſculis, corona autem ex duodecim non amplius conſtat ſemifloſculis, qui, ut in reliquis pene ſtirpibus hujus generis, plane ſunt ſteriles. Seminum primordia floſculis ſubjiciuntur, iiſdemque inhærent tubæ, vagina involutæ, *Tab.* 56.

lutæ, quæ ex violaceis, aut nigris apicibus componitur. Floribus areſcentibus longiuſcula ſemina remanent in capitulis, eaque raro apud nos matureſcunt. Sapor totius herbæ ſubamarus eſt, & acris; florum etiam odor neutiquam jucundus videtur.

Aquilonaribus terris aſſueta, omnem apud nos frigoris vim ſuſtinet: facilis propterea illius cultura eſt, ut ſemel a Zanonio in Bononienſes hortos invecta, nullo adhuc negotio conſervetur.

Corona Solis latifolia, altiſſima Tour. I. R. H. 489.
Chryſanthemum Canadenſe, latifolium, altiſſimum H. R Bleſ. 250.
Chryſanthemum Canadenſe, latifolium, elatius Bocc Rar. 52.
Chryſanthemum Virginianum, elatius, anguſtifolium, caule hirſuto, viridi Pluk. Alm. 99. *Phytogr. Tab.* 159. *fig.* 5.
Helianthus radice fuſiformi Linn. H. Cliffort. 420. *Roy. Fl. Leyd.* 181.
Helenio maggiore di Virginia Zan. Tab.

CORONA SOLIS TRACHELII FOLIO RADICE REPENTE.

Tab. 57. ALtera, quam proponimus, a Zanonio deſcripta ſpecies Coronæ Solis, caulium brevitate, florumque amplitudine differt a ſuperiori, ceteris fere partibus perſimilis eſt. Radices tenues habet, fuſcas, perennes, reptanteſque, ex quibus caules prodeunt humana vix unquam altitudine, graciles, erecti, candida medulla pleni, aſpero ac ferrugineo cortice veſtiti. Articuli e regione oppoſiti ſunt, modiciſque intervallis disjuncti, quibus folia inhærent aſpera, dentibuſque ad marginem inſtructa, eadem propemodum figura atque illius Coronæ Solis, cujus radices diximus in cibariis numerari, ſed longe minores. In ſummis ramis flores exiſtunt aurei, ac radiati, ſterilibus videlicet ſemifloſculis umbonem ex floſculis conflatum, coronæ inſtar, ambientibus; atque his omnibus ſquamoſo calyce incluſis. Porro autem hi flores aliquanto ampliores ſunt, quam in altera ſpecie, de qua dudum verba fecimus, etiamſi reliquis partibus herba ipſa minor ſit. Auguſto menſe flores edere ſolet, ſemina deinde longiuſcula in capitulis ſubſequuntur, quæ in his terris haud ſæpe matureſcunt. Amarum hæc etiam acremque, præſertim in cortice, ſaporem habet.

Per-

Pertulit jam plures annos, & a Zanonianis uſque temporibus omnem hiemis vim apud nos, æque ac illa quam in ſuperiori capite deſcripſimus, quippe quæ & ipſa ex aquilonari America in Europam ſuperiori ſæculo invecta eſt.

Corona Solis Trachelii folio, radice repente Tour. I. R H. 490.
Aſter Virgineus, latifolius, luteus, repens Park. Theat. 130.
Helenium Canadenſe, latifolium, repens H. R. Par. 85.
Chryſanthemum Virginianum, latifolium, radice repente, majus Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3. *pag.* 23.
Chryſanthemum Virginianum, Plantaginis rugoſis foliis, radice repente Pluk. Alm. 99.
Helenio minore, di Virginia Zan. Tab.

CORONA SOLIS ALTISSIMA CAULE ALATO.

NOn ſum neſcius hanc ſtirpem mediam quodammodo inter Coronam Solis, ac Bidentem non paucis viſam eſſe, ac utriuſque generis participem. Enimvero ſi externæ habitudinis adumbrata quædam ſimilitudo ſpectetur, haud ſane dubium eſt, quin Corona Solis appellari debeat, ſin vero ad ſeminum figuram reſpexerimus, perſpicuum erit magis conſociandam eſſe cum Bidentibus, ac præſertim cum ea, quam Chryſanthemum Corraſſavicum Paulus Hermannus nominavit. Ego in hujuſmodi re a veteri conſuetudine non diſceſſi: ſunt enim, ac fuerunt graviſſimi Botanici, Principeſque in hac diſciplina Viri, quibus rationi conſentaneum viſum eſt, in genere Coronæ Solis hanc, de qua modo acturi ſumus, herbam collocare. *Tab.* 58.

Eſt autem maxima hujus plantæ altitudo propemodum æqualis illius Coronæ Solis, quæ radices tuberibus ſimiles profert. Caules habet digiti craſſitudine, teretes, ac firmos, a media parte ad ſummam pinnis ſive alis in longitudinem excurrentibus, & a margine foliorum ductis veſtitos. Frondes ipſæ aſperæ ſunt, ac dentatæ, pro longitudinis ratione anguſtæ, neque illius Coronæ Solis, quam diximus, prorſus diſſimiles. Flores circa faſtigium caulium profert luteos, ac radiatos, umbonem habentes ex floſculis laxe cohærentibus, coronam autem ex paucis rariſque ſemifloſculis

ſculis compoſitam. Semina deinde ſuccreſcunt plana & compreſſa, duobus in ſumma parte exiguis veluti cornibus inſtructa. Radix perennis eſt, multiſque fibris ſubnixa.

Tardiſſime hujus flores, atque Octobri demum emicant menſe. Diuturna eſt in Hortis noſtris, neque hibernis frigoribus læditur.

Corona Solis altiſſima, caule alato Tour. I. R. H. 490. *Boer. Ind. alt.* 103. *Tonted. Diſſert.* 245. *Till. Cat. H. Piſ.* 46.
Chryſanthemum Virginianum, alato caule, bidens, altiſſimum, folio aſpero, flore minore ſerotino Moriſ Hiſt. Oxon. part. 3. *pag.* 25.
Ceratocephaloides altiſſima, longifolia Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1720 *pag* 328.
Coreopſis foliis ſerratis Roy. Fl. Leyd. 181.
Criſantemo con caule alato, di Canada Zan. Tab.

CURCUMA RADICE LONGA.

Tab. 59. *Tab.* 14. *fig.* 2. INter ceteras Orientalis Indiæ ſtirpes, quas Matthæus a S. Joſeph in iis terris vitam agens delineaverat, ea quoque reperta eſt, cujus in officinis pharmaceuticis vulgo uſitata radix, croceum colorem fundens, Curcuma nominatur: quanquam a Serapionis, & Arabum Curcuma longe ipſam differre, ac potius ad Cyperum Indicum Dioſcoridis referendam eſſe Ruellius, Matthiolus, ac reliqui pene interpretes arbitrati ſunt. Deſcripſit autem, Croci nomine, hanc ſtirpem pius ille Vir, ac diligens ad hunc modum.

Delineavimus ſuperius Crocum, prout eſt in uſu apud Gentiles, quem vocant Alad, ſive Aladi: habet folia lata & oblonga: flores fert albos, unico ſerto multos; ſed videtur unico folio foliatim inciſo multos continere flores, incipientes a ſtipite, & deſinentes deſuper; odore quaſi poma matura, paulum vergente ad noſtrum Crocum. Tali foliorum ſimul unitorum ſerto floſculi parvi includuntur, quibus inciſis & apertis apparet caput vaccæ cum ſuis cornibus, unde Gentiles, qui vaccas adorant, pulmenta tali Croco non temperant. Virtus eſt pro percuſſione ſedanda, & ad ſanguinem intra vaſa concretum diſſolvendum.

Hæc itaque in germanis Matthæi a S. Joſeph commentariis de Alad, ſive Curcuma ſcripta extabant: in libello autem, de

quo

quo ſæpe jam diximus, mutata pleraque & corrupta: deſcriptio enim haudquaquam integra reperta eſt, uſque eo diſcrepans a vera, ut quædam contineret etiam contraria; effigies prorſus inepta, quippe quæ folia exprimeret perexigua, ac obtuſa, eaque tenui petiolo hærentia. Nihil vero abſurdius, quam quod ſummo inſidens faſtigio vaccæ caput depictum erat; ex quo de illius inſcitia, quicunque is fuit, conſtare poſſet, qui hunc libellum ex fideliſſimis Matthæi codicibus tranſcripſerat. Quod enim intima in parte florum aliquam ejuſmodi ſimilitudinem ineſſe accepiſſet, coacervatis foliis, ex quibus emicare floſculi debebant, buculæ caput imponere non dubitavit. Zanonius tamen ex hoc libello deſcriptionem, ac effigiem, quam in ſuperiori parte Hiſtoriæ ſuæ poneret, proferre coactus eſt (*a*); biennio tantum ab illius libri editione, commentariorum quos diximus copia ipſi facta: de cetero hoc nomine *Aladiul* ſive *Aſdalbul* deſignatam eſſe Curcumam, ex mendoſiſſima libelli imagine nulla ratione ſuſpicari potuit. Nos autem etiam hanc alteram ponimus deſcriptionem, ut maxime appareat, quantum inter utramque interſit diſcrimen, & quanta ſit reliquis illius libelli narratiunculis fides adjungenda.

Aladiul herba habet folia lata, & oblonga, flores albos, unico ramo inſidentes, in quo ſunt aliqua foliuſcula cordis figura, inter quæ naſcuntur floſculi, qui habent odorem quaſi ſimilem pomo maturo, & includuntur ſinulis foliorum, in quibus apparet caput vaccæ cum ſuis cornibus; unde Gentiles, qui vaccas adorant pulmentum tali capite faciunt.

Curcuma radice longa H. L. Bat. 208. *Commel. Fl. Malab.* 99.
Terra merita Ruell. 284. *Pom. Hiſt. Drog.* 65.
Crocus Indicus, ſive Alad Garz. edit. Cluſ. 210. *Acoſt. edit. Cluſ.* 275.
Curcuma Matth. edit. Bauh. 27. *C. B. Theat.* 679.
Cyperi genus ex India C. B. Pin. 37.
Curcuma, ſive Terra merita officinarum, radice crocea J. B. II. 746.
Aladiul, ovvero Aſdalbul erba Indiana Zan. Iſt. Bot. pag. 16.
Maniella Kua, Alady Bramanibus H. Malab. XI. pag. 21.
Cannacorus radice crocea, ſive Curcuma officinarum Tour. I R. H. 367.
Curcuma delle officine, o Cipero Indiano di Dioſcoride Zan. Tab.

(*a*) *Iſt. Bot. Tab.* 14. *fig.* 2.

CYANUS MONTANUS CAULE FOLIOSO SEU MULTIFOLIUS.

Tab. 60. CYani hæc ſpecies noſtrorum montium incola foliis modo eſt integris, modo conſciſſis. Triumphettus eam, Barrelierus, ac Bocconius delinearunt inciſis foliis inſtructam; Zanonius autem, quem ex primis inventoribus fuiſſe conſtat, integris frondibus depingi curavit: deſcriptionem etiam accurate conſcriptam tabulæ adjunxit, quam ſic latine expreſſimus.

Palmarem habet, aut non multo majorem altitudinem Cyani hæc ſpecies, pluresque ex radice fundit caules rectos, angulatos, viridi medulla fartos, & caneſcente lanugine obductos. Nodi in his frequentes, pari inter ſe ſpatio remoti adſunt, eorumque ſingulis folia innaſcuntur longa, & anguſta, nonnihil craſſa, mollibus villis albeſcentia, nullis petiolis nixa, ac pinnarum ſpecie utrinque circa ſtipites producta. Margines foliorum ſæpe angulis inciſi ſunt, ac ſinuoſi, nonnunquam etiam æquabiles, ſi præſertim culta in hortis herba ſpectetur: folia vero inferiora, quæ omnium prima truduntur e radice, vix unquam inciſionibus carent. Flores caulem occupant ſummum, floſculoſi, & coronati, quemadmodum in montano latifolio Cyano, coloris pariter cærulei, ex quo etiam Cyani nomen huic ſtirpium generi impoſitum eſt; & tamen in hac ſpecie non ſemel a nobis obſervatum eſt, interiores floſculos ad purpureum colorem vergere. Capitula, quibus includuntur floſculi, ex aſperis conſtant ſquamis, ac dentatis, ſive duriuſculis potius villis, ac brevibus in margine inſtructis. Semina floribus aridis ſuccreſcunt, non multum a Cyani vulgaris ſeminibus diſcrepantia.

Peregrinus Morutius familiaris noſter, ac ſtudioſus herbarum diſciplinæ hanc ſtirpem ex montibus ſuperiore anno ad nos attulit, ac in ea ſe quoque frondium varietatem animadvertiſſe dixit. Floret Junio in hortis, neque urbanum cultum prorſus aſpernatur.

Cyanus montanus, caule folioſo, capitulo oblongo Bocc. Muſ. Part. 2. pag. 20. tab. 2.
Cyanus major, alpinus, inciſis foliis Triumph. de Ort. 26.
Cyanus montanus, medius, caule folioſo, ſeu multifolius Barr. Obſ. 963. Ic. 389.
Ciano con foglie intiere, alpino, e caule alato Zan. Tab.

CYA-

CYANUS MONTANUS PERENNIS ANGUSTIFOLIUS DENTATUS.

ALtera eſt in Zanonianis tabulis Cyani ſpecies delineata, quæ haud ſcio utrum a ſuperiori diſcrepet; ſiquidem noſtris in montibus, in quibus eam ſe reperiſſe ait Zanonius, præter vulgarem latifolium, ac proxime deſcriptum, non aliam perennis Cyani ſpeciem invenimus. Multifolius quidem, de quo dudum verba fecimus, variam ſæpe formam nanciſcitur, aridis præſertim locis, & incultis; ac talem aliquando ad nos afferri meminimus, qui non multum a Zanoniana hac imagine diſſideret. Sed quoniam nulla extabat in commentariis deſcriptio, judicium noſtrum in hujuſmodi re interponere minus tuto nobis licuit. *Tab.* 61.

Cyanus montanus, perennis, anguſtifolius, dentatus.
an Cyanus montanus, caule folioſo, capitulo oblongo Bocc. Muſ. part. 2. pag. 20. tab. 2.
Ciano con foglie dentate, alpino Zan. Tab.

CYANUS ORIENTALIS ALTER CONSTANTINOPOLITANUS.

EX Orientalibus terris duæ in Europam invectæ ſunt odorati Cyani ſpecies, quarum utraque in alias rurſus tribuitur, propter coloris varietatem. Vulgaris ille, ac notiſſimus odoratus Cyanus, cui flores modo candidi ſunt, modo purpurei, nihil ad Zanonianam attinet Hiſtoriam; niſi quod illius flores in tabulæ inferiori parte, ad comparationem cum altero inſtituendam expreſſi ſunt. Eſt autem & altera ſpecies Cyani odorati, cujus delineata effigies in eadem ſiſtitur tabula; ea ſcilicet, quæ floribus non modo purpureis, & candidis, ſed luteis etiam reperitur. Hyacinthus Ambroſinus clarus inter Patriæ noſtræ Botanicos, odorati Cyani hanc ſpeciem purpureis inſignem floribus commemoravit, rudi quadam & impolita imagine adjecta. Zanonius elegantiorem effingi curavit; ſtirpemque ipſam in omni colorum varietate, accurata narratione perſecutus eſt. *Tab.* 62.

Ad unius cubiti hæc herba, aut non multo majorem ſurgit altitudinem, erectis caulibus, teretibus, ac ſulcatis, alba medulla repletis. Folia hærent articulis prope radicem nonnihil craſſa, glabra, ac dentata, eademque ad ſuperiores ramulos multifariam inciſa, ut in eo, quem vulgarem eſſe diximus, Cyano odorato. Capitula in ſummis profert caulibus, ex plurimis ſquamis lævibus, ac viridibus conflata, quibus diductis floſculoſi emicant flores, & coronati; eos autem cum Vaillantio coronatos floſculoſos flores voco, qui floſculos interiores amplioribus aliis, ac ſterilibus circundatos gerunt; atque a radiatis floribus omnino diſtinguendos cenſeo. Corona in hujus Cyani floribus ex floſculis conſtat amplis & concavis, in ſumma ora dentatis, quemadmodum effigies juxta herbæ radicem ad lævam poſita declarat (*a*): a dextra etiam flos vulgaris Amberboi delineatus eſt, externos habens floſculos graciliores, ac profundius inciſos (*b*): color, ut diximus, luteus aliquando eſt, aliquando purpureus, & candidus; odor jucundus, non ita vehemens ac in vulgari. Floribus poſtea langueſcentibus, ſemina longiuſcula ſuccreſcunt, paucis ac rigidis villis juxta verticem inſtructa.

(*a*) *num.* 1.
(*b*) *num.* 3.

Annua eſt herba, Majo, ac Junio in hortis florens; quanquam illius cultura apud nos perdifficilis eſt: nam & ventorum impetu vehementiore, & humoris copia, & immodico æſtu confeſtim extinguitur; quod etiam Zanonius in commentariis ſcriptum reliquit. Purpuream, & candidam hanc Cyani ſpeciem haud uſquam vidimus, luteam vero cum Bononienſibus in hortis, tum vero in Venetis longe frequentiſſimam.

Cyanus Orientalis alter, ſeu Conſtantinopolitanus, fiſtuloſo, purpureo flore H. R. Par. 62. *Tour. I. R. H.* 446.

Cyanus peregrinus, Amberboi, ſive Emberboi dictus Hyac. Ambroſ. Phytol. 187. *Tour. I. R. H.* 446.

Amberboi alterum, flore purpureo, cum corona ampliſſima Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1718. *pag.* 181.

Item.

Cyanus Orientalis, flore candicante, fiſtuloſo Dodart. Mem. Hiſt. Plant.

Amberboi alterum, flore candicante, cum corona ampliſſima Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1718. *pag.* 181.

Item.

Cyanus Orientalis, flore luteo, fiſtuloſo, cum corona ampliſſima Dodart. Mem. Hiſt. Plant.

Amber-

Amberboi alterum flore luteo, cum corona ampliſſima Vaill. Mem. Acad. Reg. Pariſ. Ann. 1718. *pag.* 181.
Ciano Perſiano, odorato, maggiore Zan. Tab.

CYTISUS PRÆCOX SPICATUS RUBELLO FLORE CAULE RUBRO.

RAdix hujus Cytiſi longe, lateque infra terræ ſuperficiem depreſſa, novam ubique ſobolem fundit. Caules ad bipedalem ſurgunt altitudinem ſcriptorio calamo æquales, teretes ac firmi, ligneo cortice, ac rubente veſtiti. Gemmæ verno tempore ad articulos erumpunt, ex quibus evolutis flores, ac folia uno ferme eodemque tempore ſe produnt: folia terna ubique ſunt, ut in reliquis Cytiſis, glabra, acuminata, longo tenuique petiolo nixa. Flores eandem habent figuram, ac reliquæ leguminoſæ ſtirpes; magnitudinem qualis expreſſa eſt in tabula; colorem purpureum, ut in vulgaris Anonidis floribus; eum denique odorem, qui ex arentibus roſis emanat. Succedunt floribus ſiliquæ, pro vario incluſorum ſeminum numero, modo breviores, modo longiuſculæ: ſemina hæc ipſa ſubrotunda ſunt, ac compreſſa, minutis phaſeolis conſimilia, ex quibus externa ſiliquæ facies eminens fit, ac lacunoſa. *Tab.* 63.

Semen hujus plantæ habuit Zanonius ex Creta inſula advectum, unde etiam Creticum Cytiſum nominavit. Bocconius, qui omnium primus de ipſa mentionem fecit, non alibi eam ſe, quam in Zanoniano Horto Bononiæ vidiſſe teſtatus eſt. Noſtris denique temporibus Joannes Jacobus Zannichellius homo doctus & eruditus, qui Veneti litoris ſtirpes peculiari libro complexus eſt, hanc ipſam prope oſtia Plavis fluvii reperiri memoriæ prodidit, Aprili menſe, ac Majo florentem.

Cytiſus præcox, ſpicatus, rubello flore, caule rubro Bocc. Muſ. part. 2. *pag.* 31. *tab.* 19. *Zannich. Iſt. Lid. Ven.* 83. *tab.* 10. *fig.* 2.
Cytiſus glaber, flore purpureo Georg. a Turr. Cat. H. Pat. 39.
Citiſo di Candia, purpureo Zan. Tab.

CYTISUS INCANUS PEREGRINUS FLORIBUS IN SUMMO CAULE CONGREGATIS.

Tab. 64. IN Zanonianis commentariis altera depicta erat Cytiſi ſpecies, quam ille, tametſi Dorycnii acceptam nomine, tamen ad hoc genus referendam cenſuit; eam ſcilicet ob cauſſam, quod a germano veterum Dorycnio plurimum differre intelligeret: quin etiam eandem eſſe ſuſpicatus eſt, quam, Cytiſi incani Auſtriaci nomine, Caſpar Bauhinus appellaverat. Quæ quidem res, utrum vere ita ſe habeat, pro certo affirmare nobis plane non licet; quippe qui eum ipſum Auſtriacum Cytiſum exſiccatum duntaxat vidimus. Auctoris verba, quæ ex adverſariis excepta in latinum vertimus, hæc ſunt.

Complures hic Cytiſus e radice ſtipites profert, ad duorum pedum altitudinem erectos, ex quibus confertus ramis, & frondibus ceſpes efficitur: caules ea gracilitate ſunt, ut craſſitudinem calamorum, quibus ad ſcribendum utimur vel adæquent, vel non multum ſuperent; eodem ad inferiorem partem colore, quo Cupreſſi arboris cortex, de cetero vireſcentes, teretes præterea, flexibiles, ac ſubhirſuti, nodiſque frequentibus inſtructi. Folia ex his terna ubique conjunctim prorumpunt, hirſuti vulgaris Cytiſi frondibus anguſtiora, caneſcentibus tenuiſſimis villis obducta. Flores ad extremos ramulos congregati apparent Geniſtæ vulgaris floribus æquales, colore etiam, ac forma perſimiles, exiguique odoris: ſemina deinde ſiliquis longiuſculis incluſa cadentibus ſuccreſcunt. Radice lignea nititur, in multas fibras diviſa, tenuique cortice, ac luteo veſtita, ſubamari adſtrictoriique ſaporis.

Quinquennio fere vixit in Horto Zanoniano, verno tempore una cum reliquis Cytiſis flores emittens.

Cytiſus incanus, peregrinus, floribus in ſummo caule congregatis.
Citiſo umbellato Zan. Tab.
an Cytiſus incanus, folio oblongo, Auſtriacus C. B. Pin. 390.
Cytiſus V Cluſ. Hiſt. 95.

CYTISUS GLUTINOSUS OMNIUM MINIMUS.

VErſati adhuc ſumus in ea Cytiſorum deſcriptione, quam privatis commentariis mandaverat Zanonius, in altera Hiſtoriæ ſuæ parte editurus. Supereſt modo, ut de tertia quadam ſpecie dicamus, quam ille in ſuperiori libro, Trifolii ſaxatilis nomine, deſcripſerat; quamque ad Cytiſos revocandam eſſe, tum viri graviſſimi Joſephi Tournefortii auctoritate, tum etiam Zanonianæ tabulæ inſpectione facile intelleximus. Stirpem quidem ipſam nuſquam vidimus; quamobrem nihil erit, quod ad veterem narrationem a Zanonio conſcriptam, per nos accedere adjungique poſſit. *Tab. 65.*

Proceritas autem hujus Cytiſi nunquam eam ſuperat, quæ in tabula eſt expreſſa; unde etiam minimus inter Cytiſos a Tournefortio dictus eſt. Multos e radice caules profert rectos, hirſutos, tenues, flexibiles, ac teretes, cortice ad imam partem ferrugineo, ad ſuperiorem autem viridi indutos. Singulis articulis tres, quattuorve petioli inhærent, terna, ut in reliquis Cytiſis, folia ſuſtinentes anguſta, acuminata, in conchæ ſimilitudinem flexa, mollia, candidiſque villis obducta; unde in averſa præſertim facie argenteus enitet ſplendor; ſunt autem hæc folia nonnihil craſſa, & rigentia, quæ ſi dentibus comminuantur ſuccus exprimitur lentus, & glutinoſus, qualem a ſe nulla in ſtirpe conſpectum eſſe Auctor aſſeverat. Auguſto menſe luteos flores edit, ea magnitudine, ac forma, qua in tabula delineati ſunt, hirſutis calycibus incluſos, neque diſſimilem odorem a Geniſtæ floribus, ſed leviorem fundentes: quorum ſingulis hirſutæ ſuccreſcunt ſiliquæ, ovatis, planiſque ſeminibus fœtæ. Radix longa, & ferruginea in graciliores fibras tribuitur, eundemque habet ſuccum, qui in frondibus ineſſe animadvertitur.

Reperit hunc Cytiſum Zanonius ad Baldi montis radicem, juxta rupem montis Maſetti Atheſi fluvio imminentem, non longe a Sanctiſſimæ Dei Genitricis Ædibus, quæ ſunt a corona appellatæ; eumque, ac multas præterea ſtirpes in Bononienſem Hortum tranſtulit, in quo etiam flores edidit: verum inter lapidum rimas naſci aſſuetus, æſtuſque immodicos reformidans, brevi tempore interiit.

Joan-

Joannes Rajus confundere hanc ſtirpem viſus eſt (*a*) cum Trifolio quodam argenteo a Joanne Bauhino memorato. Verum, præterquam quod Zanonius ipſe huic ſententiæ apertiſſime refragatus eſt, ex eo etiam minus id veriſimile apparet, quod in Bauhiniano Trifolio geminæ ad foliorum alas hærent pinnæ, ut ipſum propterea Lotis annumerari oporteat: quocirca de iſtarum ſtirpium diſcrimine nullus omnino eſſe dubitandi locus videtur.

Cytiſus glutinoſus, omnium minimus Tour. I. R. H. 648.
Trifoglio glutinoſo, ſaſſatile, argenteo, di fiore odorato Zan. Iſt. Bot. 201.
Cytiſus nanus, fruteſcens, totus incanus, ſiliqua acuta, perennis Bocc. Muſ. part. 2. *pag.* 46. *tab.* 35.

DACTYLOIDES INDICA PERENNIS SPICA ARTICULATA.

Tab. 66. Dactyloides a Julio Pontedera haud multis ab hinc annis ea Graminis ſpecies nuncupata eſt, quam Seſamum perenne Indicum Zanonius appellaverat; idque optimo jure Vir ſapiens feciſſe dicendus eſt, quod eam e Graminum numero ſtirpem exemerit, quæ floris, fructuſque gignendi ratione, non plane cum reliquis Graminibus conveniret. Gramina enim, quotquot ea ſunt, tametſi conformatione ſpicarum longe inter ſe diſcrepant, commune hoc tamen habent, ut ſtamina, & apices, ſeminumque primordia iiſdem involucris concluſa gerant; idque minime opus eſt exemplis demonſtrare: Dactyloidis non eadem eſt ratio, quemadmodum poſtea oſtendemus. Seſamum autem eam ob cauſſam appellavit Zanonius, quod illius ſtirpis conſimilem cerneret, quæ a pleriſque Botanicis Lachryma Job dicitur, quam ille per id tempus pro Veterum Seſamo habendam cenſebat: quæ opinio an ſit veriſimilis de Seſamo ipſo agentes perveſtigabimus. Hoc loco herbam ipſam e Zanonii ſcriptis ſatis habemus deſcribere.

Dactyloides multos e radice geniculatos culmos profert, ſcri-

(*a*) *Hiſt. pag.* 969.

ſcriptorio calamo pares, aut etiam craſſiores, ſex cubitorum proceritate, albente medulla repletos. Folia partim circa radicem exiſtunt, partim geniculis inhærent viridia, ac ſubaſpera, duarum aliquando ulnarum longitudine, ac ſumma fragilitate. Extremis culmis triangulares pene inſident ſpicæ, dodrantem longæ, tres, quattuorve ſimul conjunctæ, unde emanavit Dactyloidis nomen: inferiorem quidem partem rudimenta occupant fructuum, ſuperiorem autem ſtamina, & apices. Initio hæc omnia viridibus glumis, tanquam vaginis incluſa latent, floreſcente autem planta, cum apices hiantibus glumis in conſpectum veniunt, tum rubræ etiam tubæ, in geminas partes diviſæ. Summa ſpicarum pars brevi exareſcit, infima vero, quæ brevior eſt, ad ſeminum uſque maturitatem permanet: componunt ſcilicet hanc ſpicæ partem ſemina ipſa duriuſculis glumis obducta, arcteque concluſa, humanorum dentium ſpecie, articulatim nexa inter ſe. De cetero hæc ſemina detractis involucris tenui membrana contecta apparent, albamque intus medullam continent, ex qua oleum, ut ex Veterum Seſamo, elici poſſe Auctor affirmat.

Radix huic ſtirpi craſſa eſt, in profundum terræ infixa, multiſque fibris ſepta. Perennis vitæ eſt, nullamque apud nos frigoris vim pertimeſcit: quippe ex Virginia delatam memorant ſeptentrionalis Americæ regione. Zanonius cum Alexandro Balamio ad conquirendas ſtirpes in Hetruriam profectus, Lucæ hanc ſtirpem vidit in Capucinorum hortis cultam, primuſque in noſtram urbem intulit: eandem poſtea Hyacinthus Ambroſinus in ſua Phytologia, Frumenti Indici nomine, deſcripſit.

Dactyloides Indica, perennis, ſpica articulata Ponted. Anth. 196.
Gramen ſpica articulata, Virginianum Park. Theat. 1163.
Gramen Dactylum maximum, Americanum H. R. Pariſ. 82.
Gramen Dactylon Indicum, eſculentum, ſpica articulata Hyac. Ambroſ. Phyt. 546. *Mont. Cat. Stirp. Agr. Bon. Prod.* 63.
Frumentum Indicum, perenne, ſpica longiſſima articulata Hyac. Ambroſ. Phyt. 235.
Seſamo perenne, Indiano, pianta frumentacea, e ſpecie di Seſamo Zan. Iſt. Bot. 181.
Coix ſeminibus angulatis Linn. H. Cliffort. 438. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 72.

DAN-

DANTIA PALUSTRIS.

Tab. 76. IN Zanonianis commentariis ea quoque reperta eſt aquatilis herba, quam Botanici hujus temporis Dantiam appellant. Moriſonus, quem ipſius inventorem fuiſſe arbitror, Glaucibus annumeravit; eodemque etiam nomine Bocconius uſus eſt. Editus deinde Namurci libellus, auctore, ut conſtat, Franciſco Petito Academiæ poſtea Regiæ Pariſienſis Chirurgo, qui novum ex hac ſtirpe inſtituit genus, nomenque ipſi a Dantio Iſnardo ejuſdem Academiæ Botanico poſuit: quæ nobis ratio, quoniam viſa eſt inter ceteras commodiſſima, herbam ipſam e Zanonii commentariis deſcribentes, Dantiæ vocabulo ad ipſam deſignandam uſi ſumus.

Caules hujus plantæ palmarem habent longitudinem, ſuntque teretes, ac læves, procumbentes, fibriſque, aut radicibus ex geniculis undique emiſſis perreptantes, colore ex viridi in rubrum, aut violaceum vergente. Folia ad ſingulos articulos oppoſita naſcuntur, Alſines vulgaris, aut potius Cynocrambes frondibus ſimillima, tenuiora, & anguſtiora, quæ licet ſæpiſſime viridia ſint, nonnunquam & ipſa rubentem acquirunt colorem. Julio menſe flores ad foliorum alas exiſtunt, initio antequam patuli fiant calyce ſive perianthio involuti, exigui clavi, ſive aromatici caryophylli formam exprimentes. Flores ex hoc tantum perianthio, quod eſt quadripartitum, nec non ſtaminibus, apicibuſque conſtare, is quem antea nominavimus Petitus Namurcenſis libelli auctor exiſtimat. Zanonius autem quattuor etiam petala ſe vidiſſe affirmat, eo colore quo ſunt Cymbalariæ flores. An forte idem huic ſtirpi, quod luteæ Balſaminæ, quod Agrimonoidi, quod Convolvulo heptaphyllo Indiæ Orientalis, quod multis præterea contingit; quæ cum ex naturæ inſtituto petala in floribus ferre debeant, ſæpiſſime tamen apud nos petalis carent; neque tamen ab his diminutis floribus abeſt fœcunditas. Dantia quidem fructus iiſdem calycibus incluſos gignit longiuſculos, quadripartitos, in quibus minutiſsima quædam, ac lutea matureſcunt ſemina.

Bononienſium paludes alunt hanc ſtirpem in ſtagnorum ripis naſcentem; eamque decennio abhinc juxta Malalbergium vidimus, qui locus viginti millia diſtat a noſtra Civitate; cum Brunone Tozzio Florentino, Vallumbroſano Abbate, egregio-

que

que Botanico illuc profecti. Junius tunc menſis appropinquabat, neque adhuc florum primordia ſpectari poterant. In hortos translata non modo haud floruit unquam, ſed ne diu vixit quidem, tametſi humido ſolo, & aquoſo commiſſa.

Dantia paluſtris Lettr. Namur. pag. 49.
Glaux major paluſtris, flore herbaceo Moriſ. Prælud. 268. *Bocc. Muſ. part.* 2. *pag.* 105. *tab.* 84.
Mioſota, ovvero Alſine paluſtre, ſerpeggiante Zan. Tab.

DIPSACUS SATIVUS MULTIPLICI SPICA.

VUlgaris Dipſaci, quem in agris colimus, fortuita, ut opinor, varietas eſt, quæ hoc loco e Zanonianis proponitur commentariis; quæque ad Auctorem ex Anglia pro Indica ſtirpe octoginta ab hinc annis miſſa eſt. Erat eo tempore herbarum demonſtrationi Bononienſi in Horto præpoſitus Hyacinthus Ambroſinus: huic nova plane Dipſaci ſpecies viſa; cumque imaginem illius, ac deſcriptionem in ſua edidiſſet Phytologia, in eandem quoque ſententiam Tournefortium, Rajum, Vaillantium, ac reliquos Botanicos induxit. De cetero quoniam is Dipſacus multiplici tantum capite differt a vulgari, nihil eſt, quod ab eo diſtinguendum cogitemus: eadem enim prorſus ratione Indicum Frumentum, quod Mays dicitur, quin etiam vulgare Triticum ſpicas monſtroſas gignit, ac multifariam diviſas (*a*). Ambroſinianæ imagini Zanoniana hoc præſtat, quod in ea ſpicæ juxta ſummos caules nulla monſtri ſpecie congeſtæ ſint; in hac vero ſic depravatæ ſpectentur ac diſtortæ, ut error naturæ planiſſime appareat. Huic ſimile in Monſtrorum Hiſtoria præſtantiſſimi Viri Ulyſſis Aldrovandi Dipſaci caput extat, in ſumma parte veluti quadripartitum: porro hanc Monſtrorum Hiſtoriam in lucem protulit Bartholomæus Ambroſinus Zanonii Præceptor, qui Horto publico Bononienſi ante Hyacinthum fratrem per multos annos præfuit; ut ejuſmodi varietatem Dipſaci, vel priuſquam Londino delata eſſent ad Zanonium ſemina, haudquaquam in his terris fuiſſe ignotam perſpici poſſit. *Tab.* 68.

(*a*) *Bocc. Rar. pag.* 32. *Lobel. Ic.* 26.

Dipſacus ſativus multiplici ſpica.
Fructus monſtrificus Cardui fullonii ſativi Aldrov. de Monſtr. 704.
Dipſacus Indicus maximus, pluribus capitulis racematim diſpoſitis Hyac. Ambroſ. Phyt. 201. *Tour. I. R. H.* 466. *Raii. Hiſt. III.* 238. *Vaill. Mem. Acad. Reg. Par. Ann.* 1722. *pag.* 174.
Dipſaco grande, Indiano Zan. Tab.
Item
Dipſacus ſativus C. B. Pin. 385.

DRACOCEPHALON AMERICANUM.

Tab. 69. DRacocephalo herbæ perennis radix eſt, multis fibris haud ita gracilibus albeſcentibus nixa. Caules ad pedalem, vel majorem etiam efferuntur altitudinem, recti, & quadrati, alba medulla pleni, tenuique cortice obducti. Rari in his ſunt, eminenteſque articuli, ex quorum ſingulis gemina viciſſim oppoſita prorumpunt folia, longa & anguſta, exiguis, acutiſque dentibus, ſerræ inſtar, inciſa. Extremos caules ramoſque occupant ſpicæ floribus refertæ purpureis, ac monopetalis; quorum ſinguli e quadratis prodeunt, aculeatiſque calycibus. Florum ea figura eſt, ut in Digitalium numero ponenda hæc planta Botanicis pleriſque viſa fuerit, quoad fructuum diſparitas effecit, ut novum Dracocephali genus inſtituendum putaretur: porro autem hujuſmodi vocabulum ex eo ductum eſt, quod hiantis Draconis caput his floribus exprimi videatur. Zanonius aliam invenit in floribus hujus herbæ ſimilitudinem cum ea, quæ Meliſſa adulterina a Joanne Bauhino eſt appellata. Defloreſcente ſtirpe, quaterna in calycibus hærent ſemina minuta, triangularia, atrique coloris. Sapor totius herbæ acris eſt, ac ſubamarus.

Perelegantem hujus herbæ imaginem accuratiſſimæ adjunctam deſcriptioni Jacobus Breynius prodidit, a quo etiam Dracocephali nomen ipſi eſt poſitum: ſuperiori autem ſæculo ex America in Pariſienſes Hortos invectam ferunt, brevique per Europam propagatam. Zanonius in Horto ſuo coluit a Dionyſio Joncqueto acceptam, ſervavitque diu; quin etiam poſt mortem illius in Horto publico per multos annos vixit, haud multo ante noſtram ætatem poſtremo extincta.

Draco-

Dracocephalon Americanum Breyn. Prod. I. 34. Tour. I. R. H. 181.
Digitalis Indica, anguſtifolia, profunde ſerrata, Perſicæ folio H. R. Pariſ. 66.
Pſeudodigitalis foliis dentatis, Perſicæ foliis. Bocc. Rar. pag. 12.
Digitale Indiana Zan. Tab.

DRACUNCULUS INDICUS FOLIO QUINQUEFIDO.

DRacunculi ſpecies in Orientali India reperitur barbara voce Komphal, ſive Rumphal nominata, cujus deſcriptionem his verbis perſtrinxit Matthæus a S. Joſeph. *Tab.* 23. *fig.* 2.

Komphal, vel Rumphal vulgo dicitur Ignome: producit florem oblongum, unico folio pictum, ad modum Tuppe, coloris flavi, ex rubro maculatum, odoris acuti, ex cujus medio exit lingua ad modum ſerpentis; ſed non pictum, coloris ſubflavi: truncus altus, æqualiter maculatus, coloris ſupradicti; ſuccus ebibitus noxius eſt. Utuntur radicibus ad ſanandos morſus ſerpentium, ſi vulnus eſt recens; quod ſi non, ferro iterum vulnus aperiunt, & ſic curant: eſt etiam radix remedium inſigne trita, & impoſita ſupra partem morbo gallico affectam; expurgat enim, & ſanat.

Ne quis autem imagine deceptus, exiguam eſſe hanc ſtirpem putet; in commentariis enim Matthæi a S. Joſeph haud multo minor vulgari Dracunculo depicta eſt.

Dracunculus Indicus, folio quinquefido Tour. I. R. H. 161.
Rumphal pianta Orientale, ſpezie di Aro Indiano Zan. Iſt. Bot. pag. 170.

DRACUNCULUS HEPTAPHYLLUS INDIÆ ORIENTALIS.

Tab. 173. *fig.* 3. DRacunculus alter Indiæ Orientalis in libello Matthæi a S. Joſeph delineatus eſt, e Saladini, ut opinor, Artafæ imaginibus ductus; adjunctaque iſtæc deſcriptio.

Hæc planta trium cubitorum altitudinem habet: folia picta, ſeu ordinate delineata, & triplici folio diſtincta: nonnihil ſimilitudinis habent cum noſtra Serpentaria; hæc eſt tota viridis, nonnihil rubri habens: radix rotunda, deſuper capillata; enecat vermes: pro hæmorrhoide eſt mirabilis, & dolore cordis, & multis aliis: folia magna; de medio illorum unum cornu, vel vagina: eſt pulcherrima viſu.

Dracunculus heptaphyllus, Indiæ Orientalis.
Serpentaria Orientale Zan. Tab.

EBULUS LACINIATA.

Tab. 70. VUlgaris Ebulus eam habet cum Sambuco ſimilitudinem, ut a Græcis Chamæacte, ideſt humilis Sambucus vocitetur. Utrumque ſtirpis genus lacinioſis reperitur foliis; nec plane conſtat, utrum ex mutatione fortuita, quemadmodum de Chelidonio ſuſpicati ſumus. Sambucus quidem conſciſſis foliis jam uſque a Lobelii temporibus in Belgicis hortis colebatur: Ebulus haud multo poſt in Hadriatici maris litore prope Cæſenaticum portum inventus eſt. Nihil autem ineſt in hujuſmodi plantis, quod eas diſtinguat a vulgaribus, præter inciſas frondes, ut ne Zanonius quidem Ebuli expreſſa imagine, deſcriptionem afferendam putaverit. De cetero ſive natura differant, ſive caſu hæ ſtirpes inter ſe, habitum ac ſpeciem ſuam conſtanter ſervant; ac Sambucus quidem etiam ſemine ortus, quemadmodum noſmetipſi haud ſemel obſervavimus: Ebulus radicum fœcunditate mirum in modum ſe propagans haud ita crebro ſeminibus progignitur.

Ebulus laciniata Ponted. Anthol. 270.
Ebulo laciniato Pon. Bald. 234.

Sambu-

Sambucus humilis, ſive Ebulus folio laciniato C. B. P. 456. *Tour.* I. R. H. 606.
Ebulo di Candia, con foglie inciſe Zan. Tab.

ELICHRYSUM PERSICUM RADICE TUBERCULIS NODOSA.

ELichryſi hæc ſpecies atras, ac tenues radices habet, copioſis fibris nixas, nodis etiam quibuſdam ſive tuberculis prope terræ ſuperficiem, modo rotundis, modo longiuſculis præditas. Ex his folia prorumpunt longa & anguſta, ad extremam partem retuſa, mollia, denſa candidaque lanugine obducta. Caules ad cubitalem pene altitudinem eriguntur teretes, & candidi, perinde ac frondes tomento veſtiti. Rara in his folia, eaque caulem amplexa, nonnihil anguſtiora, quam ea ſint, quæ prope radicem pullulant. Flores compoſiti, ac floſculoſi ad extremos caules coacervati apparent, corymbi ſive umbellæ ſimilitudine, calyceſque habent initio globulorum ſpecie, tenuibus ſquamis, nitidis, albeſcentibus, ac juxta verticem flavis circumvallatos: his poſtea diductis apertiſque floſculi emicant aurei, quemadmodum in Elichryſo illo Orientali, quod in coronariarum ſtirpium numero ſeritur, ac perpetuum apud nos florem appellant; quanquam hoc quod deſcribimus minores aliquanto calyces gignit: ſemina tenuiſſima ſunt ac perexigua, pappis inſtructa, rubentiſque coloris. *Tab.* 71.

Non placuit Zanonio hanc ſtirpem Elichryſum appellare, quod Veterum Elichryſo ineſſe debeat Abrotani ſimilitudo, magiſque ipſam congruere Chryſocomes deſcriptioni cenſuit, quæ his verbis a Dioſcoride exponitur. *Chryſocome palmi altitudine fruticat, coma ſpecie corymborum, Hyſſopo ſimili; radice hirſuta, Veratri nigri modo, tenui, Cyperum æquante, guſtu non injucundo, ex auſtero dulci; in petroſis opaciſque naſcitur* (a). Ac de veterum quidem Hyſſopo Zanonius in eadem ſententia fuit, cum Proſpero Alpino, qui Origani ſpeciem eo nomine deſignari cenſuit. Hanc igitur ſtirpem ex Perſide invectam unam a ſe conſpectam affirmat, in qua & aureus flos (Chryſocomes enim nominis hæc fere ſignificatio eſt) & Hyſſopi ſimilis coma, & Veratri pari-

(a) *Dioſc. ex interpr. Ruell. Lib.* 4. *cap.* 45.

pariter, ac Cyperi radicum ſpecies habeatur: quanquam ſunt qui exiſtiment, ſimilitudinem Chryſocomes cum Cypero ad ſaporem, odoremque, non autem ad figuram pertinere.

Porro eandem eſſe hanc ſtirpem ac Elichryſum Orientale Caſpari Bauhini Joannes Rajus arbitratus eſt: quæ opinio ſi deſcriptionis ratio habeatur probabilis non videtur. Flores enim in Zanoniana Chryſocome multis partibus minores ſunt, quam in Orientali Elichryſo, cujus etiam in radicibus nulla inſunt tubercula; habitus tamen externus haud prorſus differt. Multo minus audiendi ſunt Moriſonus, ac Plukenetius, a quibus confunditur cum Elichryſo Germanico, floribus igneo fulgore micantibus; Germanicum enim Elichryſum ab Orientalibus iſtis plurimum diſtat. Neque diſſimulaverim tamen Elichryſi ſpeciem eſſe in hortis noſtris venuſtiſſimam, quæ a Barreliero *Stoechas citrina, globoſo, & amplo flore* nominata eſt (*a*). Hæc, dum flores adhuc clauſi prodire incipiunt, Zanonianæ imagini ſimillima apparet, noduloſque & ipſa longiuſculos, tuberum ſpecie, ad radices habet: ut aliquando ſuſpicatus fuerim, eandem omnino eſſe ſtirpem, floreſque iccirco longe minores a Zanonio delineatos eſſe, quod ſtirpem perfecte florentem non viderit, vehementiori quodam copioſoque imbre, ut ait ipſe, corruptam.

Ab Iſidoro Fantino ſemen hujus herbæ accepit Zanonius, quod cum aliis longe multis ad Ferdinandum II Magnum Hetruriæ Ducem, ac Leopoldum Cardinalem illius fratrem ex Perſide attulerat, ac Syria Antoninus Tanius Florentinus, religioſo S. Dominici ordini aſcriptus. Refert etiam Zanonius ſeſe audiſſe a nobili Viro Alexandro Balamio, qui diuturnas in Orientalibus terris peregrinationes habuerat, complures Elichryſi ſpecies in Sinai monte gigni haudquaquam iſtius diſſimiles, colorum autem varietate ſpectatas, ac de his quoque ad ſe miſſas a Thoma Belluccio Piſani Horti Præfecto, qui nomine *Elichryſi ſeptem ſpecierum e Syria* in ejuſdem Horti dinumeratione meminiſſet: parvi in his etiam flores inerant, atque ad radices tubercula extabant; quæ omnia in parte inferiori tabulæ ſeparatim depingi curavit.

Elichryſum Perſicum, latifolium, radice tuberculis nodoſa.
Chriſocome vero di Dioſcoride, pianta ſin ora a moderni incognita
Zan. Iſt. Bot. pag. 69.

ERU-

(*a*) *Ic.* 814.

ERUCA TANACETI FOLIIS.

ERucæ duæ ſpecies in ſuperiori parte Zanonianæ Hiſtoriæ deſcriptæ habentur, quas quidem ego diverſo nomine appellandas cenſerem; quippe quæ non modo inter ſe, ſed etiam a vulgari Eruca non parum differunt. Quum autem eæ notæ, quibus Eruca ab affinibus herbis, Eryſimo videlicet, Siſymbrio, ac Sinapi diſtinguatur, nondum ſatis accurate ac dilucide traditæ ſint, veterem nominandi rationem ſequi operæ pretium duximus. Exordiemur autem ab ea, quæ Tanaceti folio eſt, cui Siſymbrii nomen, ut opinor, ex Tournefortii ſententia convenire potuiſſet, quandoquidem ad Siſymbrii genus omnes eas ſtirpes revocavit, quæ florum ſiliquarumque ratione tantum non diſſidentes, Siſymbrii vulgaris externum habitum aliqua ratione præſeferrent. Non minor autem Zanonianæ Erucæ, quam Barbareæ, ac Sophiæ videtur eſſe cum Siſymbriis affinitas: & tamen eæ ſtirpes a Tournefortio in Siſymbriorum numero ſunt poſitæ. *Tab.* 72.

E radice autem ſurgit Zanoniana hæc Eruca, plurimis caulibus ad ſeſquicubitalem pene altitudinem, copioſis, denſiſque ramulis conferta. Stipitum ea dimenſio eſt, ut minimi digiti exæquent ferme craſſitudinem, tenueſque ſulcos in longitudinem impreſſos habent, exili cortice & albeſcente obducti, ac medulla virente repleti. Creberrimi ſunt articuli in ramis, quibus frondes inhærent multifariam inciſæ, Tanaceti foliis non ſolum magnitudine pares, ſed etiam figura; molles, ac ut in vulgari Abſynthio caneſcentes. Nulla autem ex notis ſtirpibus videtur eſſe, ad cujus habitum ac formam propius accedat, quam ea, quæ Sophia Chirurgorum dicitur: noſtræ huic tamen ſunt frondes longe ampliores, minuſque laciniatæ. Flores ad extremos ramulos primo in umbellas, deinde in ſpicas quodammodo congeſti Auguſto menſe apparent, grandiuſculi, ex luteis quattuor petalis conflati. Singulos flores excipiunt ſiliquæ graciles, multo breviores, quam in Sophia, plenæ intus ſeminibus flavis, longiuſculis, ac perexiguis, Naſturtii ſimilitudine. Radix huic ſtirpi perennis eſt, copioſis fibris, contortiſque prædita; ſaporem perinde ac folia amarum habet: herba ipſa digitis contuſa acrem, ut Raphanus, odorem fundit.

In Regiis Hortis Pariſienſi, ac Bleſenſi de hac ſtirpe mentio

tio illata eſt, quod minime ignoravit Zanonius; nihil eſt autem in iis libris de originis loco aſcriptum. Zanonius Indicam Erucam appellavit, fortaſſe quod aliunde miſſam eo nomine acceperat. Paulus deinde Bocconius hanc ſe vidiſſe apud Allobroges in Alpibus Cottiis, Ceniſioque monte teſtatus eſt, non perinde tamen ac in Italiæ Hortis caneſcentem, quod opacis ille humidiſque attribuit locis. Zanonius difficilem ait iſtius herbæ culturam eſſe, neque eam ſe ultra biennium tenere potuiſſe: ego in Bononienſibus Hortis diu conſervatam memini: ſed aliquot ab hinc annis, nulla ſobole relicta, exaruit.

Eruca Tanacetifolia H. R. Par. 68. Tour. I. R. H. 227.
Eruca Tanaceti foliis Moriſ. H. R. Bleſ. 262.
Eruca fruticoſa, con foglie di Tanaceto, Indiana Zan. Iſt. Bot. 86.
Eruca Tanaceti folio del Zanoni Bocc. Muſ. part. 2. 145.
Siſymbrium foliis pinnatis, foliolis lanceolatis, pinnatifidis Roy. Fl. Leyd. 342.

ERUCA FRUTESCENS ALPINA REPTANTE RADICE.

Tab. 73. HAnc etiam ſtirpem Erucis annumeravimus, etſi externa ſpecie cum a vulgari Eruca, tum ab ea, de qua dudum verba fecimus diſſidentem. Radix huic non ita gracilis eſt, lignea, ac nodoſa, pauciſque fibris inſtructa, ad novam ſobolem fundendam accomodata: ex ea prorumpunt folia variis anfractibus, profundiſque ſinubus, ac veluti rotundatis inciſa, nonnihil craſſa, ſubaſpera, in ſuperiori facie viridia, in averſa caneſcentia, quemadmodum ab Auctore ipſo memoriæ eſt proditum. Erat mihi dum hæc ſcriberem herba ipſa ante oculos poſita, neque ullam iſtiuſmodi coloris varietatem conſpiciebam, quæ ibi adeſt fortaſſe, ubi ſua ſponte gignitur: ego autem domeſtico in horto lectam intuebar, læta ubique viriditate perfuſam. Caules palmarem altitudinem non aſſequuntur, humi procumbentes, variis locis inflexi, tenues, lignea materie, albeſcente cortice ad inferiorem partem obducti, copioſiſque frondibus referti. In eo hæc folia ab inferioribus diſcrepant, quod breviora ſint, minuſque ſinuoſa, geminis pinnulis, qua parte cauli-

caulibus annectuntur, inſtructa: verum hæc omnis, & ſi quæ alia fortaſſe eſt frondium varietas diligentiſſime in tabula cernitur expreſſa. Flores ad extremos ramulos in umbellæ ſimilitudinem coagmentatos profert, ex quattuor candidis petalis compoſitos, æqualibus, ac longiuſculis, duobus in dexteram, totidem in lævam conjunctim vergentibus, exiguo ſinu ad extremum inciſis, ut bifidi appareant. Flores brevi decidunt, tenueſque ſuccedunt ſiliquæ longis petiolis nixæ, flaviſque minutiſſimis ſeminibus repletæ.

Bononienſes incolit montes rara hæc, & perelegans Erucæ ſpecies; eamque primus in ſummo Appenino invenit Zanonius, prope eum locum, quem vulgo Scalarum jugum appellant; deinde etiam juxta Cimonem, qui omnium celſiſſimus inter ceteros montes Mutinenſis ditionis eminet. Illinc etiam noſtris temporibus in hortos afferri ſolet, in quibus Aprili menſe flores emittit. Zanonius eam ſerius florere ſcribit, quod de frigidioribus locis, ubi ſuapte natura vivit, intelligendum eſt. Solo autem gaudet aſpero, ac lapidoſo, neque hortorum culturæ facile aſſueſcit.

Eruca fruticans, alpina, reptante radice.
Eruca ſerpeggiante, fruticoſa, alpina Zan. Iſt. Bot. 88.
an Naſturtium alpinum, Reſedæ folio Bocc. Muſ. part. 2. *pag.* 51. *tab.* 46.

ERYNGIUM CAPITULIS PSYLLII EX SICILIA.

ZAnonius in ea ſententia fuit, inter ceteras Eryngii ſpecies, quæ partim apud nos in agris naſcentes, partim in hortis cultæ habentur, nullam eſſe, quæ ad Veterum deſcriptionem plane accomodari poſſit, præter eam, quam in Sicilia repertam a Paulo Bocconio accepit: eandem ſcilicet, quam inter rariores ſtirpes deſcripſit ipſe Bocconius, atque *Eryngii capitulis Pſyllii* nomine appellavit. Zanonius eo conſilio effigiem ejuſdem delineari voluit, quod minus ad veritatem inferiora folia a Bocconio expreſſa eſſent, quodque iſtius tabulæ auxilio opinionem ſuam de Veterum Eryngio comprobatum iri exiſtimaſſet. Quæ autem de Eryngio memoriæ prodidit Dioſcorides hæc ſunt. *Tab.* 74.

Eryngion aculeatarum generis eſt: cujus folia in principio ſale condita in cibos recipiuntur; lata autem ſunt, & extremo ambitu aſpera, guſtu aromatica. Eryngio, cum adoleverit, complures ramulorum ſtriæ rubent, in quorum ſummitatibus globoſa capitula durarum, acutiſſimarumque ſpinarum ambitu ſtellatim circumvallantur, quorum color alias viridis, alias albus, interdum cæruleus invenitur. Radix oblonga, lata, foris nigra, interne candida, pollicis craſſitudine, odorata. Naſcitur in aſperis & campeſtribus (a).

Oſtendit igitur Zanonius vulgare illud Eryngium, quod foliis eſt inferioribus multifariam inciſis, & aculeatis, verum Dioſcoridis Eryngium eſſe non poſſe: lata vero folia, & aſpera in margine hoc Sicilienſe tantum habere, ac planum vulgo appellatum: hoc eſſe amplius in Sicilienſi, quod capitula longioribus aculeis habeat, quam planum, ſtellæ ſimilitudine circumvallata: quodque colore ſit modo viridi, modo albo, ac pallido, nonnunquam etiam cæruleo: huic præterea, quam reliquis Eryngiis craſſiorem radicem eſſe, gracilioris raphani figuram exprimentem: locum denique ipſum fidem facere huic conjecturæ. Naſcitur enim, quemadmodum refert, Zanonius Siciliæ in agris aſperis & incultis: Sicilia vero inſula eſt a Græcia, quam Veteres illi peragrabant, aeris temperatione non multum diſtans.

Deſcriptionem Sicilienſis Eryngii nullam reliquit Auctor: nec vero ea tantopere neceſſaria viſa eſt; Bocconius enim talem habuerat, quæ ſatis ad cognoſcendam ſtirpem eſſe poſſet. Nos eas notas afferemus, quibus a plano Eryngio, cui perſimile eſt, diſtinguatur. Altitudine inprimis diſcrepant hæc duo Eryngia, procerius enim planum eſt, Sicilienſe humilius, tametſi magis in latitudinem fuſum: folia huic rotundiora ſunt, plano longiora, frequentibus dentibus, ac tenujoribus in margine inciſa. Reliquæ frondes, quæ inhærent caulibus, aſperiores in Sicilienſi ſunt, quam in plano: Capitula etiam illud habet minora, prælongis, robuſtiſque aculeis, quemadmodum antea diximus, munita; quorum quidem ſpecies in Bocconii tabula accuratius expreſſa eſt, quam in Zanoniana. Poſtremo ramulorum color viridis in plano eſt, cæruleus, aut rubens; in Sicilienſi vero ſæpiſſime albus, aut pallidus, interdum ad viridem, aut cæruleum colorem vergit.

Habuimus aliquando Eryngii hanc ſpeciem in hortis noſtris, æſtiviſque menſibus, una cum reliquis florebat.

Eryn-

(a) *Dioſc. ex interpr. Ruell. lib. 3. cap. 21.*

Eryngium capitulis Pſyllii, ex Sicilia Bocc. Rar. 88. Tour. I. R. H. 327.
Eringio vero di Dioſcoride Zan. Tab.

ERYSIMUM LATIFOLIUM MAJUS GLABRUM.

ERyſimum a Græcis Botanicis memoratam ſtirpem, non eam eſſe, quæ vulgo cenſetur, affinem illi tamen ſimilemque Zanonius arbitratus eſt; alteram ſubſtituit ipſe ex Creta inſula, quemadmodum refert, invectam. Poſtulat igitur inſtituti noſtri ratio, ut hiſtoriam hujus plantæ perſtringamus; deinde Zanonianam ſententiam explicemus; poſtremo quid reliqui Scriptores de illa ſenſerint videamus. *Tab.* 75. *fig.* 1.

Folia e radice hujus herbæ complura prodeunt in orbem poſita, longitudine quidem interdum palmari, duos autem tranſverſos digitos lata, multifariam ſecta, profundis ſinubus inciſa, ad ſylveſtris Erucæ frondes accedentia, viridia, lævia, ſucci plena, longiſque pedunculis nixa. Ex his foliis caulis attollitur ramoſus, viridi medulla plenus, & qui in omnem partem flecti haud ægre poſſit: cortex illius viridis, & glaber eſt, ſanguineis punctis prope foliorum originem conſperſus; quæ etiam puncta in eorundem petiolis apparent. Crebros ad infimam partem articulos habet, quibus inſident folia eorum, quæ ex radice prodeunt non diſſimilia, minora tamen, ac profundius inciſa. Flores in ſummis ramulis congregati Aprili menſe exiſtunt, perexigui, ex quattuor petalis luteis conflati; quibus paulo poſt decidentibus, ſiliquæ remanent longæ, & graciles, quaſi Fœnu græci (hac ſimilitudine Auctor ipſe uſus eſt) at longe tenujores, compreſſæ, in ſpicam diſpoſitæ, quæ poſtquam Auguſto menſe maturitatem aſſecutæ ſunt, bifariam hiant, ac ſemina fundunt minuta, longiuſcula, Naſturtio ſimilia. Radicem albam habet, tenuem, ac nodoſam, odore acri, & ſapore. Flores, ac ſemina perinde acria ſunt ut ipſum Sinapi: foliis idem ineſt, non æque vehemens ſapor. Annua eſt, ac ſeminibus ſponte decidentibus uberrime procreari ſolet, locis præſertim aſperis, ac lapidoſis.

Atque hæc deſcriptio eſt hujus ſtirpis a Zanonio tradita;

Dioſcorides autem Eryſimum ad hunc fere modum, Marcello Vergilio interprete, perſecutus eſt.

Eryſimon naſcitur circa urbes, domorum areas, rudera, & hortos: folia habet ſylveſtri Erucæ ſimilia; coliculos vitilium, corrigiarumque modo lentos, & luteos flores: in ſummo ſiliquæ ſunt corniculorum figura, graciles, Fœnugræci ſiliquarum ſpecie, in quibus tantilla ſunt ſemina Naſturtio ſimilia, fervido ſapore, in pectus deſtillationibus utilia, purulentis excreationibus, tuſſientibus, ſuffuſis felle, coxendicis doloribus cum melle lincta. Bibuntur eadem Irionis ſemina contra lethalia venena, & ex aqua melleve utiliter contra latentia carcinomata, ſecundum aures abſceſſus, quos parotidas dicunt, durities teſtium, & mammarum inflammationes emplaſtri modo imponuntur. Extenuant in univerſumque calefaciunt Irionis ſemina: mitiora fiunt, cum clyſtere infundenda fuerint aqua prius madentia, mox per ſe cremata, aut in linteolo colligata, tum cruſta ex piſtorio opere involuta (*a*).

Theophraſtus etiam Eryſimon commemoravit inter eas ſtirpes, quæ dum virent, ad beſtiarum paſtum neutiquam ſunt idoneæ: illius verba hæc ſunt a Theodoro Gaza in latinum translata.

Nonnulla etiam, dum tenera ſunt, a nullo guſtantur, ſicca autem cibo idonea propterea ſunt, quia quantum in his amaritudinis, difficultatiſque fuerit, percoctum, excretumque eſt Solis opera, ut Seſama, & Eryſimum; hæc enim viridia tangi a nullo animali videntur propter amaritudinem, & gravitatem ſaporis; ſed ſiccata acceptiora evadunt, fructuſque eorum ſuaves efficiuntur (*b*).

Porro autem ſe eſſe periclitatum affirmat Zanonius, an jumenta, & cuniculi appoſitis Eryſimi ſui paſcerentur frondibus, ſemperque rejectas vidiſſe primoribus vix labris deguſtatas: non eſſe igitur ambigendum putat, quin pro Eryſimo Veterum haberi debeat, quippe quod ſatis congruit Dioſcoridis narrationi, & ab eo refugiunt beſtiæ, quemadmodum a Theophraſto animadverſum eſt.

Supereſt modo ut varias de hoc Zanoniano Eryſimo Botanicorum opiniones colligamus. Joannes Rajus, converſa in latinum Auctoris deſcriptione, ac in Hiſtoriam ſuam translata (*c*), pro ſtirpe habuit nova. Tournefortius cum eo conjunxit, quod perenni radice, ac foliis Dentisleonis in Pyreneo monte

(*a*) *Lib.* 2. *cap.* 147. (*b*) *Theophr. de cauſſ. Plant. Lib. VI. cap.* 19.
(*c*) *Hiſt. Plant. pag.* 813.

monte ipſe repererat. Vaillantius denique ſuſpicatus eſt idem hoc eſſe cum Eryſimo, quod latifolium vulgare glabrum a Caſparo Bauhino nominatur. Eſt autem ex omnibus, quod noſmetipſi teſtari poſſumus, Vaillantii opinio longe veriſſima: quod enim Eryſimi genus in hortis verno tempore, quin etiam in parietinis quibuſdam noſtræ urbis florens reperitur, Zanonianum Eryſimum appellabatur a Senibus illis, quos meminimus, Lælio Triumphetto, Joanne Carolo Amadeo, ac Nicolao Cæſio, qui omnes a Zanonio ipſo in herbarum diſciplina fuerant inſtituti. Annuum porro illud eſt, nihilque prorſus a Bauhini glabro latifolio Eryſimo diſcrepat.

Eryſimi hæc ſpecies, apta incidente tempeſtatum viciſſitudine, incredibili fœcunditate ſeminum ſe propagat, quemadmodum a nobis haud ſemel obſervatum eſt. Memorabilis ille quidem caſus Londini extitit, quem a Roberto Moriſono ſcriptum legimus (*a*): nam poſt graviſſimum incendium, quo multa illius Civitatis ædificia conflagraverant; octimeſtri ſpatio præterlapſo, univerſum eorum ſolum, quod erat ducentorum jugerum, hac ſtirpe conſtratum apparuit, quaſi de induſtria ſeminibus in eo loco ſparſis; ex quo Vir clariſſimus in eum errorem inductus eſt, ut ſua ſponte, ex terrenorum ſalium concurſu, tantam herbæ vim extitiſſe arbitraretur: verum hæc, & ſi quæ hujuſmodi ſunt alia opinionum commenta ætas noſtra tolerare amplius non poteſt.

Eryſimum latifolium, majus, glabrum C. B. Pin. 101. *Tour. I. R. H.* 228. *Vaill. Bot. Pariſ.* 51.
Irio Apulus alter, lævi folio Erucæ Col. part. 1. 265.
Sinapi ſylveſtre, Monſpeſſulanum, lato folio, floſculo luteo, minimo, ſiliqua longiſſima J. B. II. 858.
Eriſmo di Dioſcoride Zan. Iſt. Bot. 82.
Eryſimum Dioſcoridis Zanoni, Eryſimi annui Cretici nomine miſſum Rai. Hiſt. 813.

EUPHRA-

(*a*) *Dialog. in Hort. Reg. Bleſ. pag.* 495.

EUPHRASIA ANGUSTIS ET TRICUSPIDATIS FOLIIS FLORIBUS EX ALBO PURPUREIS.

Tab. 76. RAdix huic herbæ tenuis eſt, quemadmodum ſtirpibus pleriſque annuis eſſe ſolet. Caules altitudinem fere aſſequuntur dodrantalem, graciles, ac teretes, leviter ab imo inflexi, ex viridi colore in rubrum vergentes, rariſque pilis obducti. Pauca in ipſis genicula ſunt, in quibus gemina viciſſim oppoſita innaſcuntur folia longa, & anguſta, Saturejæ vulgaris frondibus æqualia, ad extremam partem latiuſcula, unico utrinque dente inciſa, unde etiam tricuſpidis teli formam exprimunt. Flores in frondium alis exorti Septembri menſe emicant, vulgaris Euphraſiæ floribus perſimiles, elegantiores autem, amplioreſque, triplici colore varii; violaceo ſcilicet, cæruleo diluto, & croceo, qui medium occupat floris locum. Fructus longiuſculi ſunt, & compreſſi, neque vulgaris Euphraſiæ multum diſſimiles.

In locis aſperis, ac lapidoſis montis Baldi conſpexit Zanonius, prope ſacras Aedes S. Mariæ, quibus a corona nomen eſt, autumno florentem. Iiſdem in locis quadriennio ab hinc reperta eſt a Michelio, quo ille tempore ad montem Baldum perluſtrandum profectus eſt: exſiccatam etiam inter chartas ad nos attulit Horti publici Bononienſis cultor, quem Parens meus curaverat, ut in eo itinere Michelius aſſeclam haberet.

Leonardus Plukenetius in Phytographia ſua Zanonii poſt mortem edita ramum hujus herbæ delineatum exhibuit, verum illius formam non ſatis accurate expreſſit; ſuſpicatus eſt autem, eandem eſſe ac Linifoliam Euphraſiam, ſive Euphragiam a Fabio Columna (*a*) deſcriptam; quod ego veriſimile non arbitror; tum quod nulli in iſtius frondibus dentes appareant, tum quod flores exiguos habeat ſuperiori labro in galeæ ſpeciem conformato, unde etiam Pedicularium generi aſcripta eſt a Tournefortio; ex quo ſequitur Zanonianam Euphraſiam pro nova ſtirpe habendam eſſe, vel certe a nemine, quoad ipſe vixit, perſpicue deſcripta.

Euphra-

(*a*) *Part.* 2. *pag.* 68.

Euphraſia anguſtis, & tricuſpidatis foliis, flore albo, & purpureo
Pluk. Phyt. tab. 177. *fig.* 5. *Almag.* 142.
Eufragia ſaſſatile, con foglie largbe lanceolate Zan. Tab.

FICUS INDICA FOLIO MALI COTONEI FRUCTU FICUBUS SIMILI.

ARbor quam *Bare*, aut *Rivil* nominat Matthæus a S. Joſeph, Indica Ficus videtur eſſe a Theophraſto (*a*) ex Veteribus, ex Recentioribus autem Botanicis a Carolo Cluſio inprimis commemorata. Quanquam haud ſcio, utrum eadem plane ſit Cluſii Ficus, ac Theophraſti; quorum alter fructus ipſi tribuit extremo pollicis articulo, alter ciceri æquales. Porro autem conſtat ex iis, quæ in Horto Malabarico ſcripta ſunt, complures in Orientali India Ficus haberi ſpecies, demiſſis in terram fibris prope in immenſum ſe ſe propagantes, varia fructuum magnitudine. Quam enim *Atti are alou* barbaro nomine Malabares vocitant, ea fructus proferre dicitur cicere haud multo majores: quæ autem *Cato alou* ab iiſdem nuncupatur, Cluſianæ deſcriptioni ſatis congruit. Hanc etiam videtur in ſuis commentariis Matthæus a S. Joſeph deſignaſſe his verbis. *Tab.* 77.

Bare, ſeu Rivil arbor procera maxima colitur veneratione a Gentilibus idolorum cultoribus. Hæc in ramis radices ad inſtar comæ fert utrinque, quæ ubi terram tetigere, eam penetrant, & ex pluribus radicibus veluti in unam collectis plantam novo caudice ditant. Rami quandoque majores ſunt in medio, quam in extremitate, aut initio. Ubi folia erumpunt fructus etiam exortum trahunt Malul dicti: figura ſunt ſimiles malis minoribus, folia vero ſatis pinguiora ſunt, quam in Lauro Regia, & in parte inferiori lanugine veſtiuntur, quod etiam fructibus accidit: interior tamen pars ficui perſimilis, coloriſque flavi, ſectoque folio lac emanat. Cocti cortices ſanguinis fluxum compeſcunt, & malignis etiam febribus opitulantur.

Ficus Indica, foliis Mali Cotonei ſimilibus, fructu ficubus ſimili
C. B. Pin. 457.
Ficus Indica Cluſ. Exot. 1.
Cato alou H. Malab. III. pag. 73.
Fico dell' Indie Orientali Zan. Tab.

FICUS

(*a*) *Hiſt. Plant. lib.* 4. *cap.* 5.

FICUS INDICA LATIFOLIA.

Tab. 14. *fig.* 3. FIcus quoque Indicæ ſpecies eſt, quam in ſuis commentariis idem ipſe, quem nominavimus, Matthæus a S. Joſeph barbaro *Alhu* nomine deſignavit, atque ad hunc modum deſcripſit.

Eſt arbor vocata Alhu: habet folia grandia, lata, plana, & mollia, odore ſylveſtri, ramos aculeatos: hinc inde in junctûris producit quaſi ficus, colore ſubrufo, ſapore acido ſemen incluſum valde amarum eſt, cujus ſeminis uſus ad tormina inteſtinorum ſedanda. Ejus foliorum ſuccus ebibitus pro medicina: inſuper ejus ſemina pro medicina.

In libello, de quo ſæpe jam diximus, hujus etiam habebatur arboris effigies, ac deſcriptio, quibus in prima editione Hiſtoriæ Zanonius uſus eſt: at mendoſa peræque omnia ac depravata: flores enim amplos, & ex petalis conſtantes is, qui tranſcripſit, affingere non dubitaverat, quorum neque ulla erat ſpecies in vera imagine, neque in germanis commentariis ſignificatio. Quocirca vix fieri poterat, ut pro Ficus ſpecie hæc arbor haberetur; quod nempe ſatis conſtet Ficus ejuſmodi flores haudquaquam proferre: tametſi ex nomine ipſo ad hoc ſtirpis genus pertinere ſuſpicatus eſt Raius; quippe *Alou* apud Malabares, alioſque Orientalis Indiæ populos Ficum denotat. Nunc poſtquam error omnis ſublatus eſt, plane hoc nobis certum videri debet, Alhu arborem Ficubus annumerandam eſſe.

Ficus Indica, latifolia.
Alhu pianta Orientale Zan. Iſt. Bot. 19.
Alhu Rai. Hiſt. II. 1924.

FRAGARIA FRUCTU ROTUNDO SUAVISSIMO FLORE DUPLICI.

Tab. 78. *fig.* 2. 3. FRagariæ duæ ſpecies in ſuperiori volumine Zanonianæ Hiſtoriæ delineatæ habentur, quarum utraque videtur ad vulgarem Fragariam, quæ in hortis colitur, referenda: earum altera petalorum inopia, altera eorundem luxurie diſtinguitur atque ubertate: nos utramque ſeparatim, quam breviſſime fieri poterit, hoc loco perſtringemus.

Exorſi

Exorſi autem ab ea, quæ plenos gignit flores, nihil eſt quod laboremus, ut planum fiat omne hoc diſcrimen eſſe fortuitum: quæ quidem ratio ad reliquas ſtirpes ſimiliter variatas latiſſime patet; neque enim flores multijugi petalorum ordine inſtructi ſuapte natura veniunt, eoſque omnes, quos in hortis colimus, reliquarum partium ſimilitudine, ex qua ſtirpe originem duxerint haud obſcure videmus ſignificare. Experientia etiam conſtat Leucoii vulgaris ſemina, quod ſimplicem album, aut rubrum, aut varium florem profert, pingui ſolo, ac rite ſubacto commiſſa, ſtirpes gignere plenis floribus, ac multiplicibus exornatas: hinc poſſumus ſuſpicari reliquas etiam ſtirpes non diſſimili ſerendi induſtria, vel etiam caſu tales extitiſſe.

Nunc autem, quoniam de Fragaria ſcribere inſtituimus, ſatis erit nobis animadvertere, nihil eſſe, hac plenitudine florum excepta, quo a vulgari diſcerni queat. Radices ei pariter tenues ſunt, ac reptantes, trinæ in ſingulis cauliculis frondes molles, ac ſerratæ, ramuli non ad eam altitudinem ſe erigentes, quæ in vulgari cernitur Fragaria; verum hæc, & ſi quæ ſunt aliæ iſtiuſmodi varietates, vel in ea, quæ ſimplices flores gerit, interdum ſpectari ſolent. Petala ingenti numero fructuum ambiunt primordia, eadem ratione ac in roſis diſpoſita; eorum color albus eſt, ſed cadentibus floribus nonnunquam in rubrum vertitur. Fraga deinde excuſſis petalis ſuccreſcunt rotunda, eodem colore ac vulgaria, eademque ſuavitate. Obſervavit etiam Zanonius non modo flores in hac ſtirpe, ſed fructus etiam multiplices, quattuor nempe aut quinque exiguis fragis id quod medium eſt grandiuſculum ambientibus; quæ in tabula ſpecies expreſſa eſt.

Nicolaus Ponchavius Belga primus hanc ſtirpem ad Zanonium attulit ex Anglia, unde Anglicam Fragariam nonnulli appellarunt: ex eo deinceps tempore in Bononienſibus Hortis, ad noſtram uſque ætatem perſtitit.

Fragaria fructu rotundo, ſuaviſſimo, flore duplici H. R. Par. 72.
Fragaria Ingleſe, di fiore mezzo pieno Zan. Iſt. Bot. 97.

FRAGARIA FLORE VIRIDI.

Tab. 78. *fig.* 1. DIximus adhuc de Fragaria plenis floribus, modo ad eam ſermonem convertemus, quæ virides ſive herbaceos gignit; rara profecto, atque inſolita ſpecie, niſi monſtri vis in ipſa ineſſet, quod ſatis unicuique perſpectum fore arbitramur. Sunt autem huic etiam folia vulgaris Fragariæ ſimillima, ampliora tantum, ut inquit Zanonius, magiſque in averſa parte caneſcentia; quæ ſane varietas, pro ſoli ratione, hortenſi etiam Fragariæ haud raro contingit. Caules altitudine profert pene cubitali, in aliquot ramos diviſos, atque ad eorum divaricationem folia quædam ſingularia, qualia in reliquis Fragariis vix unquam ſe obſervaſſe affirmat. Flores extremis inſident ramis, exiguis quibuſdam foliis conſtantes petalorum loco, eadem facie, eodem colore, eademque ſoliditate ac reliquæ frondes, ſerratis pariter, venuliſque eminentibus diſtinctis. Non deſunt exempla aliarum ſtirpium, quarum flores culturæ vitio monſtroſam pariter induant ſpeciem: talis profecto eſt Anemone flore viridi a Chriſtiano Mentzelio in Bononienſi Horto publico obſervata; ea vero nihil diſcrepat ab Anemone nemoroſa flore albo Caſpari Bauhini, ſive Anemonoide vulgari, niſi quod parva quædam folia tripartita, ac lacinioſa fructus rudimentum, exile tamen, ac vietum, petalorum loco circundant. In Fragaria etiam Zanoniana umbo medium florem occupat, iſque in fructum convertitur acuminatum, longiuſculis villis hiſpidum, maturitatis tempore nonnihil rubentem, ſi ulla eſſe huic fructui maturitas poteſt; vix enim a perverſiſſimis floribus perfectio aliqua in fructibus expectanda: itaque mirum non eſt, quod acerbi in hac ſtirpe ad extremum perſiſtant, ac inſuaves. Quæ cum ita ſint, eandem eſſe ac vulgarem Fragariam dicere non veremur; præſertim quum & Raius ipſe in eadem ſententia fuiſſe videatur: Fragariam enim huic perſimilem in horto coluit, naturæque eſſe luſum arbitratus eſt. Neque nos arboreæ nomen huic plantæ a Zanonio aſcriptum conturbat; quod vel ipſe fateatur, minus propriam hanc appellandi rationem eſſe, ac diſtinctionis tantummodo cujuſdam gratia uſurpatam. Equidem cum ex imagine in tabula efficta, tum ex ramo iſtius herbæ, quem exſiccatum ſervamus, exploratum nobis eſt,

Fra-

Fragariam ab ea vulgarem, quæ in hortis colitur, proceritate neutiquam ſuperari.

Fragaria flore viridi Tour. I. R. H. 296.
Fragaria fructu hiſpido Ger. Emac. 998. *Rai. Hiſt.* 609.
Fraga aculeata Park. Parad. 527.
Fragaria arborea, con fiore erbaceo Zan. Iſt. Bot. 95.

FRANCA MARITIMA QUADRIFOLIA ANNUA PURPUREA SUPINA CHAMÆSYCES FOLIO ET FACIE.

TAmetſi hanc ſtirpem Anthyllidi Valentinæ perſimilem intelligebat Zanonius, non auſus tamen eſt eandem dicere, quod Cluſius, ceterique Botanici duo tantum folia ad ſingulos illius herbæ poſuiſſent articulos; in ea vero, quam ipſe deſcribere inſtituerat, quaterna apertiſſime ineſſe cerneret; unde etiam Quadrifolium ipſam nominavit. De cetero vitioſam eſſe Cluſianam imaginem haud multis ab hinc annis oſtendit Michelius, qui Valentinæ Anthyllidi Francæ quadrifoliæ nomen aſcripſit: quod ſi in earum ſtirpium numero, quas Francas nuncupavit, Cluſianam Anthyllidem a Zanoniano Quadrifolio tanquam diſtinctam ſepoſuit, ſatis profecto conſtat fortuitam duntaxat coloris differentiam, neque aliud quicquam ſecutum eſſe: quippe qui utramque eodem deſignatam nomine, ſeu potius definitione, alteri purpureos flores, alteri ex albo purpuraſcentes attribuit. Quæ autem purpureos flores gignunt ſtirpes eædem non modo ex albo purpuraſcentes, ſed plane etiam candidos interdum proferre ſolent, quod cuivis Botanico notiſſimum eſt. Ex quibus omnibus conſtat nulla ratione ſtatuendum, Anthyllidem Valentinam a Zanoniano Quadrifolio diverſam eſſe. *Tab.* 79.

Radix hujus herbæ tenuis eſt, atrique coloris, paucis fibris inſtructa. Caules ex ea plurimi funduntur humi ſtrati, palmari longitudine, graciles, & ramoſi, tenui, ac rubente cortice obducti. Genicula in his eminent crebra, tranſverſi tantum digiti ſpatio inter ſe diſtantia, quorum ſingulis quaternæ decuſſatæque inhærent frondes, ad extremam partem nonnihil ſinuo-

ſæ, virides, in averſa facie caneſcentes, hic atque illic ſubaſperæ, candidiſque punctis conſperſæ. In foliorum alis floſculi exiſtunt perexigui, ex quinque petalis conſtantes, ſubrotundis pariter, & ad extremam partem ſinuoſis, amethyſtini coloris, angulato calyce comprehenſis. Defluentibus petalis fructus ſuccreſcunt atris, nitidis, ac tenuiſſimis ſeminibus pleni, quæ microſcopio conſpecta ad alteram partem nigra eſſe comperiuntur, ſulcumque in longitudinem ductum habere, quemadmodum tritici grana, quorum etiam figuram haud male repræſentant.

Annua eſt herba in hortis Junio floreſcens. Zanonius illius ſemina habuit ex Perſide, in his quæ Antoninus Tanius Florentinus ex illa regione attulerat. De cetero maritima quoque Hetruriæ ora, prope Liburni portum, hac ſtirpe non caret; ubi reperta eſt a Michelio, qui exſiccatum illius ramum Parenti meo largitus eſt, quum ſeptendecim ab hinc annis Florentia pertranſiret. Hanc vero, itemque nonnullas præterea ſtirpes, quibus nulla appellandi ratio a Veteribus tradita rite conveniret, *Francas* nuncupavit Michelius; nomine deſumpto ex Botanicorum conſuetudine, a Joanne Sebaſtiano Franco Lucenſi, Magni Hetruriæ Ducis Medico, herbarumque doctrinæ ſtudioſiſſimo.

Franca maritima, quadrifolia, annua, purpurea, ſupina, Chamæſyces folio & facie Mich. Nov. Gen. 23.

Item

Franca maritima, quadrifolia, annua, ſupina, Chamæſyces folio & facie, flore ex albo purpuraſcente Mich. Nov. Gen. 23.

Anthyllis Valentina Cluſ. Hiſt. clxxxvi.

Anthyllis maritima, Chamæſyce ſimilis C. B. Pin. 282.

Alſine maritima, foliis Chamæſyces Tour. I. R. H. Append. 665.

Quadrifoglio annuo, pianta di Perſia Zan. Iſt. Bot. 164.

FUL-

FULFEL INDIÆ ORIENTALIS ARBOR FRUCTU RACEMOSO.

FUlfel habet folia magna, ſatis lata, crebriſque nervis ad verticem tendentibus tranſcurſa, & unicuique folio juncta: ſunt alia duo anguſta, longa, & aliquantulum ſurſum ſpectantia; quæ omnia habent odorem acutum, ut piper. Producit capſulas rotundas, in virgulis racematis, in quibus eſt ſemen ad modum piperis, ejuſdemque ſaporis: dum eſt viride conditur in aceto, vel aqua, & ſale; & ponitur in cibis vice piperis: multum comeditur a Gentilibus; ſemen eſt ex ſua natura calidum. Tab. 154. fig. 5. Tab. 155. fig. 5.

Matthæus a S. Joſeph, quem ſæpe nominavimus, hanc ſtirpem Indiæ Orientalis incolam ſic deſcripſit, quæ niſi arbor dicta eſſet, omnino videretur ad Piperis genus referenda.

Fulfel Indiæ Orientalis arbor, fructu racemoſo.
Fulfel arbore Indiano Zan. Iſt. Bot. 98.

GALEOPSIS HISPANICA FRUTESCENS TEUCRII FOLIO.

Prasium majus.

GAleopſidi Hiſpanicæ, quam fruteſcentem nominant, longa eſt radix, & contorta, plurimiſque albentibus fibris inſtructa. Stipites ad unius cubiti, & ſemiſſis, vel majorem etiam proceritatem aſſurgunt, ſcriptorii calami craſſitudine, ac lignea ſoliditate. Quattuor in ipſis anguli ſunt pro conſuetudine reliquarum hujus generis ſtirpium, quos eoſdem teretes relinqui animadvertit Zanonius, poſtquam externus cortex detractus eſt, in quo tenuiſſimæ quædam, eminenteſque coſtæ angulorum præſeferunt ſpeciem. Superiores ramos admodum frequentes habet, quadratos, ac virentes, articulis, aut nodis crebrioribus refertos: eorum ſingulis geminæ e regione oppoſitæ inſiſtunt frondes, longiuſculæ, ac ſerratæ, Meliſſæ vulgaris foliis perſimiles, interdum ſubhirſutæ, ſæpius læves, ac nitidæ, læta, ac perpetua viriditate perfuſæ. Non eadem, quæ imis foliis, ſuperioribus etiam ineſt amplitudo, quippe quæ vulgaris Tab. 80.

potius

potius Chamædryos, vel Teucrii foliis æqualia ſunt; ex qua ſimilitudine, nec non etiam ſpecie quadam externa, qua Teucrium refert, impoſitum eſt a nonnullis huic ſtirpi Teucrii Regii nomen. Albi flores e ſinu frondium Majo exeunt menſe galeati, aut labiati (ita eos Botanici vocitant) ſuperiori labro bifido, & cavo, inferiori autem tripartito, flaviſque lineis vario: ſunt autem ejuſmodi flores, priuſquam in conſpectum plane ſe efferant, perianthiis incluſi virentibus, & in quinque partes diviſis. Semina, defloreſcente ſtirpe, nigra, & ſylveſtri Melanthio paria in ſingulis calycibus quaterna matureſcunt.

Perennis vitæ eſt, frondibuſque per hiemem non defluentibus, in elegantis arbuſculæ ſpeciem educari poteſt. Calidiorum autem regionum incola & habitatrix, brumale apud nos frigus aeri expoſita non ſuſtinet. Zanonius illius ſemen ex Creta inſula, Galeopſidis Maranthæ addito nomine, ad ſe miſſum refert: eandem poſtea juxta montis Argentarii radicem, in loco, quem Tombalum nominant, ad litus auſtrale Tyrrheni maris repertam eſſe a Marco Nannio, quem ille, conquirendarum ſtirpium cauſſa, in varias Italiæ partes mittere ſolebat. Porro autem hanc ſtirpem Lamium potius, quam Galeopſidem nuncupavit Zanonius, quod a Veterum Galeopſide plurimum diſſidere intelligeret. Tournefortius, quum inferiori labro tripartito, ac reliquis partibus, ad eas, quæ vulgo dicuntur Galeopſides, accedere videret, nihil admodum ſollicitus de priſca appellandi ratione, hanc etiam Galeopſidum generi annumerandam cenſuit.

Galeopſis Hiſpanica, fruteſcens, Teucrii folio Tour. I. R. H. 186.
Teucrium Regium, latifolium, flore albo H. R. Pariſ. 173.
Lamio arboreo, perenne, di Candia Zan. Iſt. Bot. 112.
Meliſſa fruticoſa, Cretica, ſempervirens, Teucrii facie, flore albo Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3. *pag.* 408.
Praſium foliis ovato oblongis, ſerratis Linn. H. Cliffort. 309. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 320.

GALEOP-

GALEOPSIS ANGUSTIFOLIA CRETICA VISCOSA.

PRoceritas iſtius herbæ, itemque amplitudo eadem eſt, quæ in tabula expreſſa cernitur. E radice alba, ac tenui caulis exurgit brevis, ac rectus, in ramos diviſus, prope radicem teres, reliqua ex parte quadratus, candida medulla plenus, ac rubente cortice veſtitus. Quæ prima exoriuntur folia ceſpitem efformant circa infimum caulem, ſuntque longiuſcula, ac minutis ab imo ad ſummum dentibus inciſa, ex viridi colore in luteum vergentia, ſolida præterea, ac firma, glutinoſoque humore, ut Glycyrrhizæ frondes, perfuſa. Articuli in caule ramiſque non admodum crebri; hiſque folia inſident gemina e regione oppoſita, longa & anguſta, haudquaquam dentata, nulliſque petiolis fulta. Flores non ambiunt nodos, pro conſuetudine Sideritidum: ſed unicus plerumque ſingulis inſiſtit, priuſquam aperiatur flavus, deinde vero candidus, labio ſuperiori bifido, inferiori tripartito, candida ſtamina, purpureoſque apices proferens. Semina in calycibus maturitatem aſſequuntur ad alteram partem nonnihil craſſiora, in quibus pinnæ quædam, depreſſique ſulci per microſcopium ſpectantur, ut in Sideritide Hyſſopi folio, quam Cluſius deſcripſit: propter hanc vero inprimis cauſſam ad Sideritidis genus hanc ſtirpem retulit Zanonius: cumque ex Creta inſula accepiſſet, ac Bituminis in ea judaici odorem perſentiret, Sideritidem Creticam Bituminis odore nuncupavit; quem quidem odorem, ut Mari etiam, & Catariæ, ita vehementer appetunt feles, ut herbam ſæpe ipſam radicitus evertant ac perdant. Perennem eam eſſe affirmat Zanonius, ſed noſtro ſub cælo ægre vitam protrahere, ac mature, niſi cura adhibeatur, interire. *Tab.* 81. *fig.* 1.

Galeopſidum generi hanc ſtirpem adjunxit Boerahavius; idque non ſine cauſſa ſapientiſſimum Virum feciſſe exiſtimo: quod ſcilicet re intime perſpecta, floris in ea cum Galeopſide ſimilitudinem deprehenderit. Nihil eſt autem, quod ex mea obſervatione afferre poſſim: ſtirpem ipſam conſpexi nuſquam, tantumque de ipſa habui dicere, quantum ex Zanoniana didici narratione.

Galeopſis anguſtifolia, Cretica, viſcoſa Boer. Ind. alt. 162.

Sta-

Stachys odore Sclareæ, Cretica Veſling. Cat. H. Patav. 71. *Turr. Cat. H. Patav.* 118.
Sideritis glutinoſa, bitumen redolens Moriſ. H. R. Bleſ. 309. *Hiſt. Oxon. part.* 3. 389.
Siderite Cretica, viſcoſa, con odore di bitume Zan. Iſt. Bot. 186.
Aſphaltium glutinoſum Creticum Fl. Lugd. Bat. 2. 78.

GENTIANA ALPINA MAJOR FLORE AUREO ET PURPUREO OBSOLETO.

Tab. 82. GEntianam purpuream Noricarum alpium incolam in rariorum ſtirpium Hiſtoria Cluſius commemorat, eadem prope magnitudine, ac lutea major Gentiana, foliis Hellebori albi, duorumque cubitorum proceritate. Talem ſane neque virentem conſpeximus uſquam, neque exſiccatam: vidimus autem, ac ſæpiſſime tractavimus decerptam e montibus noſtris purpuream iſtam Gentianam, cujus a Zanonio relicta imago eſt in commentariis, nihil a Cluſiana illa, niſi quod ad magnitudinem attinet, diſſidentem: ut longe nobis veriſimillimum videatur in deſcriptione illius Auctoris aliquid erroris ſubeſſe. Sed tamen judicium noſtrum in hujuſmodi re minime interponendum cenſemus; donec a Botanicis Noricas Alpes perluſtrantibus, quid hoc rei ſit palam fiat, & an reapſe in iis locis grandis adeo, quam Cluſius ſcriptis tradidit, purpureæ Gentianæ ſpecies reperiatur.

Eſt autem huic noſtræ flava radix, digiti craſſitudine, paucis nixa fibris, amarique, ut in reliquis hujus generis ſtirpibus, ſaporis. Folia hinc prodeunt glabra, & viridia, palmari longitudine, duobus tranſverſis digitis pene anguſtiora, quinque in averſa parte eminentibus nervis ab imo ad ſummum excurrentibus inſtructa. Caules vix duorum aſſequuntur palmorum menſuram, ſuntque teretes, ac læves, raris admodum geniculis diſtincti: eorum ſingulis binæ e regione oppoſitæ, anguſtæque frondes inhærent, non diſſimiles earum, quæ ex radice funduntur. Superiores articulos, ſummamque caulis partem congeſti ſimul flores ambiunt, coronæ inſtar, grandiuſculi, & concavi, in quinque partes diviſi, purpurei, aut rubentes, ac pene obſoleti; interiori autem parte ex viridi in flavum ver-

gen-

gentes, nigriſque punctis conſperſi. Fructus adhuc teneri, floribuſque incluſi maculis iiſdem, vel punctis variati apparent: augeſcunt poſtea, defloreſcente ſtirpe, maturique facti bifariam hiant, ſemina fundentes minutiſſima.

Gentianæ pene omnes, præter eam quæ Aſclepiadis folio eſt, urbanam culturam reſpuunt: effecimus tamen aliquando, ut hæc ipſa domeſtico in horto ad plures menſes viveret: poſtremo autem, nullis caulibus editis, vel floribus, tabeſcens interiit.

Gentianæ radix ad febres intermittentes, obſtructioneſque viſcerum tollendas commendatur. In hunc finem tametſi luteam Gentianam reliquis præferri convenit; ea tamen deficiente, quin purpurea in illius locum ſurrogari poſſit, vix ullus dubitandi locus ſupereſt. Pharmacopolæ noſtri lutea Gentiana utuntur fere nunquam; Bononienſes enim montes ipſam non proferunt; raro etiam hac purpurea, quæ in ſummis tantum jugis naſcitur: eam vero frequentiſſime uſurpant, quæ in depreſſioribus, neque uſque adeo ab urbe diſtantibus gignitur nemoribus, quæque a foliorum Aſclepiadis ſimilitudine nominata eſt.

Gentiana alpina major, flore aureo, & purpureo obſoleto Barrel. Ic. 69.
Gentiana maggiore, con fiore odorato, alpina Zan. Tab
an Gentiana major, flore purpureo 1. *Cluſ. Pann.* 278. *Hiſt.* 312.
Gentiana major alia Cam. Epit. Matth. 416.
Gentiana major, purpurea C. B. Pin. 187. *Tourn. I. R. H.* 80.
Gentiana major, flore purpureo J. B. III. 521.

GINTEGHINTÆ FRUCTU RACEMOSO INDIÆ ORIENTALIS.

GInteghintæ arboris Indicæ deſcriptionem Matthæus a S. Joſeph his paucis omnino verbis abſolvit. *Tab.* 83.

Ginteghinta arbor eſt: ejus fructus racemoſus deforis eſt, ſicut piſtachia, habens colorem flavum, rubicundo undique permixtum, pulpam rubicundulam, tripartitam, intus continentem oſſa.

Quæ in Horti Malabarici quarto volumine *Nyalel* dicitur magnopere accedit ad Ginteghintam, eandemque prorſus eſſe cen-

cenſeo: diſcrimen hoc unum videtur intereſſe, quod fructuum pulpam rubere dicit Matthæus, ex albo cæruleam eſſe Horti Malabarici Scriptor affirmat.

Ginteghinta fructu racemoſo, Indiæ Orientalis.
Ginteghinta arbore Indiano Zan. Tab.
an Nyalel H. Malab. IV. pag. 37.

GLOBULARIA ALPINA PUMILA CAULE FOLIOSO FOLIIS IMIS CIRCINATIS ET QUASI CORDIFORMIBUS.

Tab. 84. MOntana hæc ſpecies Globulariæ atras radices habet, copioſas, multis tenuibus confertiſque fibris terræ inhærentes. Folia ex his prodeunt complura, ſubrotunda, mollia, nixa longis pedunculis, virentia, albis minutiſque maculis, aut punctis conſperſa. Caules altitudine ſua quattuor tranſverſos digitos æquant, ſuntque teretes, ac rubentes, ſtriati, eo cortice obducti, qui haud facile divelli a ſubjecta materie poſſit. Folia, quæ caules conveſtiunt, longiuſcula ſunt, ac nonnihil acuminata, neque petiolis ut in vulgari Globularia prorſus carent. Flores extremis inſident ramulis compoſiti, & conglobati, a vulgaris Globulariæ floribus vix fere diſſidentes, laxiores tamen, & coloris, quemadmodum Auctor ipſe loquitur, amethyſtini. Semina exiguis capſulis incluſa, ut in omni Globularia, floribus ſuccreſcunt.

Radice perenni eſt, reptante, plurimamque ſobolem fundente; neque eo ſecius tamen, ſi transferatur in hortos, brevi tempore exareſcit, frigido aeri aſſueta, æſtibuſque immodicis adverſa. Primus eam Zanonius in Appenini jugis lapidoſo loco naſcentem invenit; novamque ſtirpem eſſe cernens, accurate, quantum fieri potuit, imaginem illius in tabula fingi curavit. Multis deinde poſt annis reperit hanc iterum in Liguriæ montibus, Apuaniſque petris Michelius; eoque appellavit nomine, quod eſt in deſcriptione Horti Piſani recenſitum. Is etiam ad Parentem noſtrum ramulum iſtius herbæ exſiccatum detulit; ex quo intelligere potuimus, in Zanoniana tabula veriſſimam hujus ſtirpis imaginem repræſentari.

Glo-

Globularia alpina, pumila, caule folioſo, foliis imis circinatis, & quaſi cordiformibus D. Micheli Till. Cat. H. Piſ. 68.
Globularia ſerpeggiante, alpina Zan. Tab.

HELIANTHEMUM FOLIIS MAJORIBUS FLORE ALBO.

RAdix huic Helianthemo lignea eſt, ac rubens, plurimiſque fibris nixa. Caules ex ipſa prodeunt complures, graciles ac rotundi, contorti, humi ſtrati, articulis non ita crebris inſtructi: gemina his folia e regione oppoſita inſident, majora quam in Helianthemo vulgari, ejuſdem propemodum figuræ, virentia, hirſuta, punctis quibuſdam in ſuperiori facie ita conſperſa, ut exalbeſcere videantur. Flores in ſpicas congeſti, longiſque fulti petiolis extremos ramos occupant frondibus vacuos: initio autem calyce involuti apparent, ſive perianthio ex tribus foliis virentibus conflato; deinde ubi patuli fiunt quinque explicant petala in gyrum diſpoſita, tenuiſsima, & candida. Flores iſti majuſculi quam in vulgari Helianthemo, uſque eo caduci ſunt, ut oriente ſole aperti, veſpere decidant, fructu ſuccreſcente triangulari, in quo minuta ſemina includuntur. *Tab.* 85.

Perennis herba eſt Majo, Junioque in hortis florens. Epidauro Illyrici urbe delatam habuit Zanonius: quid cauſſæ autem fuerit cur deſcribendam, ac delineandam putaverit incertum eſt: niſi forte novam eſſe ſtirpem credidit, a majore albo Joannis Bauhini Helianthemo diſcrepantem. Nobis profecto ita videtur congruere Zanonii hæc tabula cum Bauhini, ac Lobelii deſcriptione, ut nullus in hujuſmodi re dubitationi locus ſupereſſe queat. An quod futuros ſuſpicabatur, qui Bauhinianum illud Helianthemum a vulgari luteo non differre crederent, quæ Joannis Raii falſa videtur fuiſſe opinio (*a*), iccirco accuratiſsimam iſtius Helianthemi imaginem extare voluit, ne quis in eum deinceps errorem incideret. Helianthemum quidem vulgare nos ipſi vidimus pallentibus floribus, Sibbaldus etiam prorſus albis commemorat; ſed neque florum, neque frondium magnitudine vel minimum differens.

(*a*) *Hiſt. pag.* 1014.

Helianthemum foliis majoribus, flore albo J. B. II 16.
Chamæciſtus vulgaris, flore albo, majore C. B. Pin. 466.
Helianthemon albis floribus Lob. Ic. 117.
Helianthemo di Raguſa Zan. Tab.

HESPERIS LUTEA SYLVESTRIS HIERACII FOLIO SILIQUA QUADRANGULA.

Tab. 86. 87. FOlia hujus ſtirpis e radice exeunt complura, longa & anguſta, partim integra, partim ſinuoſa, ac dentata, ſubaſpera, ex viridi colore albeſcentia. Caules non ad eandem ubique altitudinem ſurgunt; in locis enim aſperis, præruptiſque, quos frequenter incolit, brevior eſt, ac pedalem vix attingit menſuram; ſin vero in hortis colatur, multo procerior fit, cubitalis videlicet, aut major. Caules ipſi aſperi ſunt, & angulati, in multos ramos diviſi, frondibus anguſtis, & carinatis veſtiti. Flores primo in umbellas, deinde in ſpicas digeſti extremis ramis innaſcuntur, ex quattuor luteis foliis conflati, Erucæ ſylveſtris floribus perſimiles, eodem colore, tenuem odorem, neque inſuavem fundentes. Siliquæ hos prælongæ, tenues, & quadratæ ſubſequuntur, minutis ſeminibus repletæ. Radix ligneæ firmitatis eſt, pauciſque fibris nixa.

Perennis herba eſt, Majo menſe in hortis, ac planioribus locis florens; in excelſioribus etiam Julio, & Auguſto.

Heſperidis hæc ſpecies a Caſparo Bauhino Leucoium luteum ſylveſtre Hieracifolium nominata eſt, neutiquam diſtincta, ut opinor, a Leucoio luteo ſylveſtri anguſtifolio ejuſdem Bauhini, ideſt a Leucoio ſylveſtri Cluſii, quod a Nicolao Agerio Argentinenſi Medico in agro Bononienſi repertum dicitur (*a*). Nos, ut ſequamur hanc ſententiam, id movet inprimis, quod ſæpe obſervavimus unam eſſe in montibus noſtris Leucoii ſylveſtris, aut Heſperidis ſpeciem; eamque foliis modo dentatis ad Hieracifolium, modo non dentatis ad anguſtifolium Caſpari Bauhini Leucojum accomodari poſſe. Heſperidem tamen Leucoii folio ſerrato Tournefortii, ideſt Leucoium montanum luteum Ponæ, longe ab hac ſtirpe differre videtur. Zanonius, quum in ſcalarum jugis Heſperidem iſtam reperiſſet foliis

(*a*) *J. B. Hiſt. II. pag.* 873.

foliis dentatis, & anguſtis, effigiem ipſius in ſuperiori parte Hiſtoriæ ſuæ poſuit: in vicinioribus deinde locis eandem invenit grandiuſculam, quæque a Bauhinianis illis Leucoiis ſylveſtribus, anguſtifolio videlicet, ac Hieracifolio nihil prorſus diſtare videretur. Sed & alteram quoque imaginem effingi voluit (*a*), quæ diverſa habitudine eandem ſtirpem exprimeret, foliis nempe latiuſculis, ac non dentatis; qualem & ipſi non ſemel vidimus, haudquaquam diverſam ab anguſtifolia dentata, quam, non modo in vicinis montibus legimus, ſed etiam ex ipſis ſcalarum jugis ad nos afferri curavimus.

Heſperis lutea ſylveſtris, Hieracii folio, ſiliqua quadrangula.
Leucoium luteum, ſylveſtre, Hieracifolium C. B. Prod. 102. *Pin.* 201. *Vaill. Bot. Pariſ.* 101.
Leucoii lutei ſylveſtris ſpecies Thal. Harc. 69.
Leucoium ſylveſtre, inodorum, flore parvo, pallidiore H. Eyſt. 169.
Keiri con foglie dentate, alpino, di fior giallo, odorato Zan. Iſt. Bot. 110.

Item

Leucoium ſylveſtre Cluſ. Hiſt. 299. *Rai. Hiſt.* 783.
Leucoium luteum, ſylveſtre Cluſii J. B. II. 873.
Leucoium luteum, ſylveſtre, anguſtifolium C. B. Pin. 202.
Heſperis Leucoii folio non ſerrato, ſiliqua quadrangula Tour. I. R. H. 223.
Keiri con foglie non dentate, alpino Zan. Tab.

HESPERIS PERSICA LUTEO PARVO FLORE.

HEſperidi luteæ ſylveſtri proximam collocavimus hanc ſtirpem, quam ex Perſide invectam, atque a Thoma Belluccio Piſani Horti Præfecto, Erucæ Perſicæ nomine, ad ſe miſſam, Zanonius in commentariis ſcriptum reliquit. Hanc etſi plane incognitam, tamen ob ſimilitudinem, quæ in tabula cernitur, Heſperidum generi annumeravimus; quod ſane nomen aptius eidem quam Erucæ, alteriuſve ſtirpis convenire viſum eſt. Quum autem in deſcriptione nulla ſiliquarum mentio illata *Tab.* 88.

(*a*) *Tab.* 87.

lata ſit, nihil prorſus certi in hujuſmodi rem afferre licuit.

Multos autem, quemadmodum refert Zanonius, e radice profert caules, modico intervallo inter ſe diſiunctos, quorum nonnulli trium digitorum altitudinem aſſequuntur, ſcriptorio calamo æquales, teretes & glabri, ex viridi caneſcentes, candida medulla pleni. Folia ſingulis articulis inhærent longa & acuminata, nullis petiolis fulta, nonnihil craſſa, viridia, albeſcente nervo in longitudinem ducto ad partem averſam prædita. Quæ prope radicem exiſtunt folia, reliquis ampliora ſunt, digiti latitudine; quæ autem ſuperiores ramulos conveſtiunt, anguſtiſſima fiunt, ut ex imagine poteſt intelligi. Flores gignit luteos, copioſos, ex quattuor æqualibus petalis conflatos, caulium faſtigio inſidentes, ea ſpecie quæ in tabula exprimitur. Qui ſiliquarum habitus aut conformatio ſit, quo tempore floreat, annua ſit an perennis, haud ſane perſcriptum invenimus; neque noſmetipſi ſuppeditare quidquam aliunde potuimus, quo ignotiſſimæ plantæ mutilam deſcriptionem aliqua ratione ſuppleremus.

Heſperis Perſica, luteo parvo flore.
Eruca Perſiana, con foglie intiere. Zan. Tab.

HIERACIUM INTYBACEUM FLORIBUS EX PURPURA RUBENTIBUS.

Tab. 89. Hieracium Apulum, quod a flore ſuaverubente Fabius Columna appellavit, in fictilibus vaſis veris initio ſatum, formam ab ea longe diverſam induit, quam habet natalibus in locis ſponte proveniens, vel in hortis ipſis, autumnali prognatum tempore. Ea fuit cauſſa, cur Zanonius imaginem hujus ſtirpis in vaſis cultæ delineandam putaverit, non parum diſcrepantem ab ea, quam propoſuit Columna, frondeſque Taraxaci, vel Cichorii ſylveſtris inſtar ſectas non habentem. Tota etiam humilior eſt planta, quemadmodum ex tabula ipſa intelligi poteſt: verum hoc diſcrimen omne plane fortuitum eſſe, experientia pluries nos docuit.

Apulum igitur Hieracium, ſive Creticum (quoniam utraque regio hanc ſtirpem profert) radice longa nititur, gracili, pluri-

plurimiſque fibris nixa. Folia producit varia pro ſoli ratione, ut diximus, aliquando ut in Taraxaco profunde inciſa, aliquando leviter dentata, ut ſunt Cichorii tum primum naſcentis folia. Sunt autem frondes ipſæ hirſutæ, ac ſubaſperæ, virentes, graviſque odoris, qualis propemodum amaris ineſt amygdalis contuſis, atque ad eliciendum oleum leniter torrefactis. Caules modo ad palmarem tantum efferuntur altitudinem, modo etiam ad bipedalem, vel tripedalem, ab ima parte in ramos diviſi, hirſuti, frondibuſque inſtructi, quarum non diſſimilis a ceteris figura eſt; eæque nullis petiolis nituntur. Flores in ſummo profert compoſitos, ac ſemifloſculoſos, amplos, Taraxaci vulgaris, ſive Dentis leonis floribus æquales, ex longis, anguſtiſque ſemifloſculis conflatos, eleganti roſeo colore. Calyx floribus ſubjicitur virens, hirſutus, exiguiſque foliis circumſeptus: is poſtea, decidentibus floribus, coarctatur, ac deinde turgeſcit, ſemina incluſa habens longiuſcula, gracilia, pappiſque inſtructa. Annua herba eſt, Majo, Junioque in hortis florens.

Hieracium intybaceum, floribus ex purpura rubentibus C. B. Pin. 128.
Hieracium Apulum, flore ſuaverubente Col. part. 1. 242.
Hieracium Dentis leonis flore ſuaverubente C. B. Pin. 127.
Chondrilla purpuraſcens, fœtida C. B. Prod. 68. *Pin.* 130.
Chondrilla birſuta, rubente flore J. B. II. 1022.
Hieracioides fœtida, flore ſuaverubente Vaill. Mem. Acad. Reg. Pariſ. Ann. 1721 *pag.* 190.
Crepis foliis amplexicaulibus, lanceolatis; omnibus dentatis, radicalibus ſinuatis Linn. Roy. H. Leyd. Prod. 126.
Cicoria annua, di Candia, fetida Zan. Tab.

JACA INDICA.

JAcæ arboris effigiem duabus tabulis Matthæus a S. Joſeph repræſentavit: perpauca omnino aſcripſit in commentariis, quod notiſſimam eſſe ex Garziæ ab Orta, & Chriſtophori Acoſtæ libris cenſeret. Hæc ſunt illius verba. *Tab.* 90. 91.

Arbor eſt maxima, ex qua tabulæ ſecantur decem, & plus palmorum latitudinis. Ex trunco, & radice oriuntur quædam gemmæ, ſive capſulæ, quarum ex medio fructus exit tantæ magnitudinis, ut dolium videatur; & interdum aperitur terra ut prodeant ger-

germina. Cortex tota ſpinoſa eſt, & dura. In inſula quadam multæ naſcuntur, quæ inſula feraciſſima eſt, & cujus circuitus eſt 366 leucarum, latitudo vero 100: non eſt unquam in ea hiems, nec æſtas.

Ceterum non alibi plenius, vel accuratius deſcripta hæc arbor, quam in tertio Horti Malabarici volumine habetur.

Jaca Indica J. B. I. 115. *Comm. Fl. Malab.* 140.
Jaca Garz. ab Ort. edit. Cluſ. 227. *Acoſt. edit. Cluſ.* 281.
Palma fructu aculeato, ex arboris trunco prodeunte C. B. Pin. 511.
Tſiakamaram, ſive Jaca, Jacca H. Malab. III. 17.
Jaca arbore Indiano Zan. Tab.

JACEA EPIDAURICA CANDIDISSIMA ET TOMENTOSA.

Tab. 92. ELegans hæc, omnium pene dixerim venuſtiſſima, Jaceæ ſpecies, Epidaurica ex terra Zanonianis temporibus in Italiam invecta, non modo a Botanicis, verum etiam ab iis, qui coronariarum ſtirpium culturæ addicti ſunt, ac vel in penſilibus hortulis, ad noſtram ætatem educari conſuevit. Zanonius hanc ſtirpem exquiſite delineatam in veteri Hiſtoria prodidit, accurataque deſcriptione complexus eſt.

Radix huic herbæ gracilis eſt, ac contorta, in multas tenues fibras diviſa; fragilis præterea, ex atro in rubrum vergens, alba intus medulla repleta. Folia in adulta ſtirpe haud fere ex ipſa radice prodeunt, ſed quidam veluti truncus ad quattuor digitorum altitudinem ſurgit, pene rotundus, minimo digito æqualis, ferrugineo cortice veſtitus. Complures huic frondes inſident molles, ac ſpiſſæ, candido tomento obductæ, variæ, & multiformes, ambitu ſinuoſo, rotundiſque inciſionibus terminato: nonnullæ ex his quoque plane ſunt integræ, ut Scabioſæ Creticæ argenteæ frondes æmulentur. Caules itidem albi in ramos dividuntur, foliis non admodum crebris, & non adeo diſſectis veſtitos: in ſumma eorum parte capitula oriuntur primo ſubrotunda, deinde acuminata, ex plurimis ſquamis compoſita: earum ſingulæ intimam quidem habent faciem nitidam & flavam, exteriorem aſperam, alba lanugine contectam; margi-

nem

nem autem exiguis aculeis munitum. Flores pandentibus ſe ſe hujuſmodi capitulis prodeunt compoſiti, & floſculoſi, ampli, reliquarum ſtirpium ejuſdem generis floribus perſimiles, nulla corona circundati, lutei coloris, tenuem, neque injucundum odorem fundentes. Semina, defloreſcente ſtirpe, in capitulis permanent, ac denique matura fiunt, nitentia, & flava, exiguiſque in apice villis inſtructa.

Perennis quidem eſt, verum apud nos hibernum frigus tolerare nequit, niſi ſub tectis detineatur; neque eam porro ita recondi oportet, ut omnis præcluſus externo aeri ſit aditus. Junio floret in hortis, Julio & Auguſto ſemina matureſcunt.

Jaceas omnes Plinianæ Hyoſiridis ſpecies eſſe voluit Zanonius, cujus opinionis ratio eſt a nobis, quum de Calcitrapa ageremus, plenius expoſita.

Jacea Epidaurica, candidiſſima, & tomentoſa Tour. I. R. H. 445.
Argentea Alp. Exot. 117.
Jacea arborea, argentea, candidiſſima, di Raguſi, parimente ſpezie di Hioſiride Zan. Iſt. Bot. 107.
Jacea candida, Raguſiana Munt. Phyt. tab. 184.
Jacea candidiſſima, laciniata, flore luteo magno Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1718. *pag.* 184.
Centaurea calycibus ciliatis, foliis tomentoſis, pinnatifidis, foliolis ovatis, integerrimis, exterioribus majoribus Linn. H. Cliffort. 422.

JACEA LUSITANICA SEMPERVIRENS.

LUſitanicæ Jaceæ altitudo duorum circiter eſt cubitorum, confertamque e radice caulium, & ramorum ſylvam fundit: eorum craſſitudo ſcriptorio calamo æqualis eſt, vel major; ſuntque teretes, ac firmi, rubente cortice obtecti, alba medulla pleni. Articulis frondes inhærent crebræ, quarum haud mediocris ſane eſt varietas: modo ſcilicet integræ ſunt, modo etiam ſectæ multifariam, neque certa lege collocatæ. Quanquam enim laciniata folia ad imam ſtirpis partem plerumque ſint poſita, vel in ſuperioribus tamen ramis nonnulli ſunt quos frondes conveſtiant penitus inciſæ. Quæcumque autem ſit earum forma, hoc habent commune omnes, ut ſerrato ſint margine, ut ſolida ſint ac ſubaſpera, atque perpetuam etiam *Tab.* 93.

per hiemem viriditatem retineant. Capitula in ſummis ramis exoriuntur longiuſcula, ex hiſpidis ſquamis conflata, quibus poſtea diductis apertiſque, flores compoſiti emicant, ac floſculoſi, ut in reliquis ejuſdem generis ſtirpibus, purpurei coloris; hos denique areſcentes ſemina excipiunt capitulis incluſa, longa, acuminata, rigidiſque villis ad verticem inſtructa. Radice atra nititur, plurimiſque ſepta fibris: perennis herba eſt, floreſque æſtate producit.

Haud uſpiam vidimus hanc ſtirpem, niſi exſiccatam. Dionyſius Joncquetus Pariſienſis Botanicus ſemen illius ad Zanonium miſit, eademque per diuturnum tempus in Bononienſibus hortis perſtitit; donec vetuſtate, aut culturæ vitio, non multo ante noſtram ætatem conſumpta eſt.

Jacea Luſitanica, ſempervirens H. R. Pariſ. 94. *Moriſ. H. R. Bleſ.* 276. *Hiſt. Oxon. part.* 3 *ſect.* 7. *tab.* 28. *fig.* 9. *Tour. I. R. H.* 444. *Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann.* 1718. *pag.* 183.
Jacea elatior, Luſitanica, ſempervirens Bocc. Rar. 73.
Jacea Luſitanica, maxima, ſempervirens Dodart. Mem. Hiſt. Plant.
Centaurea calycibus ciliatis, foliis lanceolatis, ſuperne ſerratis Linn. H. Cliffort. 422. *Roy Fl. Leyd. Prod.* 139.
Jacea di Portogallo, perpetua Zan. Tab.

JACEA NEMORENSIS VEL SERRATULA MONTANA HUMILIOR FOLIIS PROFUNDE INCISIS.

Tab. 94. SErratulæ, quæ in vicinis nemoribus, collibuſque provenit ea valde ſimilis eſt Jaceæ ſpecies, quam in ſummo Apennino, Scalarumque jugis naſcentem reperit Zanonius, ac noſmetipſi iiſdem ex locis delatam ab hinc triennio accepimus; quamque nunc etiam in hortis colimus, a nemine, ut arbitramur, deſcriptam, vel commemoratam.

Ea vero differt inprimis a vulgari Serratula, quod multo humilior ſit, neque unius palmi, vel duorum altitudinem ſuperet. Frondes vel infimas anguſtiores habet, ad coſtam uſque profunde inciſas, rigidas, atraque viriditate ſplendentes. Cau-

les

les ei teretes, gracileſque ſunt, foliis multifariam ſectis veſtiti; ſummæ vero eorum parti capitula bina, vel terna inſident, craſſiora quam in Serratula vulgari, ex nigris ſquamis conflata. Flores purpurei ſunt ac floſculoſi, paulo grandiuſculi quam in vulgari; quibus poſtea areſcentibus, exilia ſuccreſcunt ſemina. Perennis eſt, quemadmodum & Serratula vulgaris, ſed longe maturius, Junio videlicet, ac Julio in hortis floret.

Serratulæ illius prælatæ imago, quam exhibet Bocconius (*a*) hanc ſtirpem exprimere videtur: verum ſi deſcriptionem quis perlegat, confeſtim intelliget longe diverſam ab eo ſtirpem obſervatam eſſe.

Jacea nemorenſis, vel Serratula montana, humilior, foliis profunde inciſis.
Serratula alpina, con foglie laciniate Zan. Tab.

JACEA VULGARIS LACINIATA FLORE PURPUREO CAPITE MULTIPLICI MONSTROSO.

JAcea, quæ in præſenti ſiſtitur tabula, nihil, ut opinor, ab ea diſſidet, quæ vulgaris laciniata a Tournefortio dicitur; niſi quod monſtroſa, ac fere multiplicia gerat capita. Reperit eam Zanonius Bononienſi in agro, inque aſperis, & incultis Caſulæ caninæ montibus, in quibus priſcum erat quondam Camaldulenſium Eremitarum domicilium (Eremum nunc etiam veterem nominant) octo ab urbe noſtra millia remotum: quæ nos loca perluſtrantes, haud aliam ſane quam laciniatam vulgarem Jaceam invenimus; argumento, ut videtur, minime dubio, hanc ipſam a Zanonio ibidem conſpectam; præſertim quum in tabula expreſſa effigies ſatis reſpondeat. Varia omnino eſt facies hujus herbæ, modo enim integras habet frondes, modo laciniatas, modo humilis eſt, modo procerior: in locis quidem natalibus haud multum creſcit; hortenſi autem cultura plurimum luxuriat, reptatu ſuo tandem importuna. Flores edit Julio & Auguſto, ſemen perficit Septembri. *Tab.* 95.

(*a*) *Muſ. part.* 2. *pag.* 45. *tab.* 37.

Jacea vulgaris, laciniata, flore purpureo, capite multiplici, monſtroſo.
Jacea ſerpeggiante, con fiore triplicato Zan. Tab.
Item
Jacea vulgaris, laciniata, flore purpureo Tour. I. R. H. 443.
Scabioſa major, ſquamatis capitulis C. B. Pin. 269.

JACEA PEREGRINA ANNUA LACINIATA CAPITE SPINOSO FLORE VARIO ELEGANTI.

Tab. 96. HAnc ſtirpem nihil prorſus ab ea differre ſuſpicor, quæ Cyanoides Flos a Dodonæo, a Cluſio autem Salamantica Stœbe altera eſt nuncupata; a qua opinione non longe abfuit ipſe Zanonius, quamvis Perſicæ nomen imagini aſcripſiſſet: ſcilicet eo ſemine ortam habuerat, quod una cum aliis longe multis ex Perſide, ac Orientalibus terris in Italiam Antoninus Tanius ſe attuliſſe narrabat. A Cyanoide autem Dodonæi diverſa videbatur gracilitate caulis, foliis minus hirſutis, habituque humiliore; cujuſmodi varietatem, haud multis ab hinc annis eandem ſtirpem colentibus nobis eveniſſe meminimus. De cetero Jaceam ſuam Zanonius ad hunc modum deſcripſit.

Frondes e radice haud ita tenues profert, aſperas, ſubhirſutas, ac dentatas, multifariam ſæpe conſciſſas. Caulis inde expromitur gracilis, ac teres, pariterque hirſutus, in ramos diviſus, quibus inhærent folia profunde inciſa. Capitula ſummis ramulis innaſcuntur ſubrotunda, ex plurimis ſquamis compoſita, brevibuſque, ac mollibus aculeis munita. His deinde ſe ſe pandentibus, flores in conſpectum veniunt floſculoſi, & coronati, Jaceæ ſpinoſæ ideſt Calcitrapæ jamdudum deſcriptæ floribus perſimiles, nonnihil minores, ac triplici colorum varietate depicti; exteriores enim, ſterileſque floſculi, ex quibus coronæ ſpecies exiſtit, ſunt fere purpurei; interiores autem luteo colore, candido, & purpureo varii. Semina poſt aridos flores in capitulis matureſcunt, a Cyanorum ſeminibus non admodum diſſidentia. Annua eſt herba florens æſtate, perfectoque ſemine extinguitur.

De hac ſtirpe notari convenit, quod ſibi experientia compertum ait Zanonius, frequentioribus eam pluviis, copioſa-

que

que lædi irrigatione, nonnunquam etiam prorſus interire.

Jacea peregrina, annua, capite ſpinoſo, flore vario, eleganti.
an Cyanoides Flos Dod. Pempt. 251.
Stœbe Salmantica altera Cluſ. Hiſt. ix.
Stœbe major, foliis Erucæ, mollibus, lanuginoſis C. B. Pin. 273.
Jacea foliis Erucæ lanuginoſis Tour. I. R. H. 444.
Amberboi Erucæ folio, majus Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1718. *pag.* 181.
Centaurea calycibus ſpinoſis, ſpinis ſimpliciſſimis, foliis inferioribus pinnatifidis, ſuperioribus lanceolatis, vix dentatis Roy. Fl. Leyd. Prod. 141.
Jacea con capo ſpinoſo, annua, di Perſia Zan. Tab.

JACOBÆA MONTANA FOLIIS BISTORTÆ SERRATIS.

ETſi non paucæ ſunt in Botanicorum libris Jacobeæ, quibus non mediocris ſimilitudo cum hac Zanoniana intercedere videtur, nullam tamen adhuc novimus, quæ prorſus eadem eſſe ſtatui poſſit: itaque nobis decretum eſt habere hanc tantiſper pro nova, quoad exploratius aliquid occurrat, ex quo judicium de ipſa ferre poſſimus. *Tab.* 97.

Ceterum, cum quædam eſſent Jacobeæ ſpecies a ſuperioribus Botanicis, propter externam ſimilitudinem, Doronicis annumeratæ, ad eas quamproxime accedit; a Zanonio ipſo, propter hanc cauſſam, Doronici nomine inſcripta. Radice nodoſa eſt, aſpera, & inæquali, longis, contortis, albiſque fibris inſtructa: folia ex ipſa funduntur complura, longa & acuminata, nonnihil etiam criſpa, ut in vulgari Biſtorta; craſſitudo itidem quædam in hujuſmodi frondibus, aterque viridis ineſt color: margines eædem raris, anguſtiſque dentibus inciſos habent, nervumque in averſa parte albeſcentem, per longitudinem ductum. Caulis ad unius tantum pedis altitudinem ſurgit, in multos ramos diviſus, teres & inflexus, plumato viridique cortice obductus: ad ramulorum divaricationem exiſtunt folia anguſta, ac dentata, nullis pedunculis hærentia. Flores in ſummo fert aureos, compoſitos, ac radiatos, majores quam

in

in pleriſque Jacobæis, ſemifloſculis exterius reflexis aureum pariter umbonem cingentibus: his deinde ſemina longiuſcula, flava, pappiſque inſtructa ſuccedunt. Aſper foliorum eſt, non minus quam radicis, amaruſque ſapor; idque argumento eſt abeſſe hanc ſtirpem a Doronicorum genere, quorum radices plerumque dulceſcunt. Perennis herba eſt, Junio florens in hortis.

Scalarum juga Bononienſis ditionis hanc gignere ſtirpem affirmat Zanonius; in quibus ea tantum reperta eſt noſtris temporibus, quam Caſpar Bauhinus *Doronicum longifolium, hirſutum, aſperum*, Tournefortius autem *Jacobæam integro, & craſſo Hieracii folio* appellavit: ea certe non multum diſſimilis eſt ab hac Zanoniana; differt autem caule nunquam ramoſo, floremque unicum ſuſtinente: quæ res in eam fere opinionem nos aliquando adduxerat, ut eandem eſſe ſtirpem, caſu tantum ramoſam, pluribuſque floribus inſtructam ſuſpicaremur. Ex his autem, a quibus id genus Jacobeæ deſcriptum eſt, prorſus nemo fuit, qui pluſquam unum florem in ea ſe vidiſſe dixerit; & a quibuſdam *Jacobæa montana, flore ſingulari* nominata eſt.

Jacobæa montana, foliis Biſtortæ ſerratis.
Doronico con foglie di Biſtorta Zan. Tab.

IGLI ARBOR EX INSULA ENDE.

Tab. 98. PRope Soloriam Indici Maris inſulam, altera quædam eſt parva inſula Ende appellata: hæc arborem Igli profert, cujus in tabulis Zanonianis ex libris Matthæi a S. Joſeph deprompta imago ſiſtitur. Deſcriptio prorſus deeſt, quod nullam ſcilicet idem ipſe confecerit Matthæus: ſuſpicabatur autem Zanonius oleum ex inciſis illius ramis, ſive reſinam fundi. Verum de hujuſmodi re, aliiſque præterea ad hanc arborem pertinentibus, certiorem ſe factum iri literis Goa, & ex Malabaria acceptis ſperabat: poſt mortem tamen illius nihil in adverſariis ſcriptum invenimus.

Igli arbor ex inſula Ende.
Igli d' Ende terra dell' iſola di Solor Zan. Iſt. Bot. 109.

KANADI SIVE KONADE INDIÆ ORIENTALIS.

KAnadi, ſive Konade tuberoſæ ſtirpis effigies non plane, ut opinor, ad veritatem expreſſa, e Saladini Artafæ tabulis in libellum Matthæi a S. Joſeph translata eſt; hinc porro ad Zanonianam pervenit Hiſtoriam. Deſcriptio ipſius herbæ hæc eſt. *Tab.* 81. *fig.* 2.

Hæc planta eſt pulcherrima viſu, cujus radix eſt tuberoſa, valde craſſa, & ſcabroſa, quæ plurimas radices emittit: in vertice vero multa folia, parva quidem, ſed longiora, inter quæ aliquot aſſurgunt virgulæ, juncorum inſtar, ad altitudinem quinque ſexve palmorum: in vertice flos eminet luteus, ſimplicis roſæ non abſimilis; e floris medio tria ſtamina prodeunt, apices in ſummitate ferentia aurei coloris, & figura cordis: talem vero hi flores ſpirant odorem, ut longe ſentiatur, & per totum palatium, in quo repoſiti fuerint, odore ſuaviſſimo redoleant.

Kanadi, ſive Konade Indiæ Orientalis.
Kanadi pianta delle Indie Orientali, detta anche Konade Zan. Iſt. Bot. 109.

KARANTE SIVE FLOS PERSIDIS.

KArante, ſive Flos Perſidis in Zanonianis tabulis herba quædam perelegans depicta eſt, ex Matthæi a S. Joſeph, quem toties nominavimus, commentariis ducta. Flos ipſi Roſæ inſtar eſt plenus; apices autem, ac ſtamina in thyrſum longiuſculum diſpoſita, ut in Ketmiis, quibuſcum etiam externo habitu non parum convenit: ſed calyx bifariam hians procul ipſam removere videtur ab hoc ſtirpium genere. Deſcriptionem iſtius herbæ nullam plane invenimus. *Tab.* 100.

Karante, ſive Flos Perſidis.
Karante pianta Orientale Zan. Tab.

KETMIA ARBOREA ULMI FOLIO INDIÆ ORIENTALIS.

Tab. 99. *fig.* 2. KEtmiæ hæc ſpecies in commentariis Matthæi a S. Joſeph Giaſſoan, ac Lindæ barbaris nominibus appellata eſt: in iiſdem quoque habetur hæc deſcriptio.

Giaſſoan Arabice, Linda Indi vocant: habet folia ſena, plana, in pede hinc inde punctata: cartilaginoſus flos, quaſi Lilium domeſticum; in medio virgulam eminentem, quaſi papillis ornatam, quæ virgula in pede, ſicut & floris extremitates junctæ cauli rubicundiſſimæ ſunt, ut purpura, poſt quam purpuram ſequitur albus color, ultimo in extremitate flaveſcunt, quaſi melleo colore. Folia, & flos trita cum ſucco limonis pro apoſtemate; item pro delendis maculis nigris in corpore: flores ſaccharo triti optimi ſunt pro expuitione ſanguinis, aqua ex illo deſtillata epota ſiſtit ſanguinem, ſi quis mingeret illum. Tota planta virtutibus ditata, & viſu eſt pulcherrima.

Ketmia arborea, Ulmi folio, Indiæ Orientalis.
Giaſſoan pianta Orientale.

LACHRYMA JOB MULTIS SIVE MILIUM ARUNDINACEUM.

Tab. 101. LAchryma Job annua eſt herba, Indico Frumento, quod Mays dicitur, perſimilis, at longe omnibus partibus minor; neque enim pedalem, vel bipedalem apud nos altitudinem ſuperat. Folia illius prælonga, & aſpera culmo inhærent geniculato: flores e ſinu frondium erumpunt, primordiis ſeminum inſolita quadam ſpecie conjuncti; ſunt enim ſeminum rudimenta nihil aliud quam globuli quidam tenuibus petiolis hærentes; petioli autem, trajectis globulis, flores in ſpicas diſpoſitos gerunt, ex tenuibus glumis, flaviſque apicibus conſtantes. His poſtea arefactis, ſemina matureſcunt, ciceris magnitudine, lapidea duritie, marmoris expoliti nitore, in quibus lachrymarum quædam ſpecies ineſſe videtur; atque iccirco Lachryma Job nuncupata eſt herba a Botanicis. Locus, quo cauliculus ſpicam ſuſtinens tene-

tenera adhuc ſemina permeabat, in maturis pervius manet, ut ejuſmodi ſemina filo trajicere ad numerandas preces pii religioſique homines ſoleant. Radice eſt copioſa, alba, dulciſque ſaporis: æſtivis maxime viget menſibus, autumno autem, perfectis ſeminibus, conſumitur.

Zanonius olim, quum ederet ſuperiorem Hiſtoriæ ſuæ partem, in ea ſententia fuit, ut hanc ſtirpem vel Seſami Veterum ſpeciem eſſe crederet, vel ipſum album Seſamum a Theophraſto nominatum: Seſamum autem, quod nunc a pleriſque dicitur, cujuſque ſemen ex Orientalibus affertur terris, Myagris potius annumerandum eſſe. Porro ut Seſami nomen ad Lachrymam Job potiſſimum transferret, hac ratione inprimis ductus eſt, quod inter frumentaceas ſtirpes Seſamum recenſere Theophraſtus videatur, idemque non multo poſt frumentaceas plantas conſtare omnes affirmet foliis arundinaceis: ex iis autem ſtirpibus, quas arundinaceas frondes proferre viderat Zanonius, haud aliam noverat, cui reliquæ notæ Seſamo aſcriptæ a Veteribus convenirent, præter unam Lachrymam Job, quæ & flores aliqua ratione foliaceos gigneret, & ſemina nonnihil oleoſa, vaſculo incluſa, ac nonnulla item alia haberet cum Priſcorum Seſamo communia.

Hæc ille omnia in ſuperiori editione Hiſtoriæ multis adeo verbis perſecutus eſt, ut nihil minus futurum videretur, quam ut aliquando de priſtinâ opinione deduci poſſet: poſtremo tamen & ipſe, ut erat veritatis longe amantiſſimus, aliter ſenſit; ſive a doctis viris admonitus, quibus familiariter utebatur, ſive ipſis Theophraſti verbis ſubtilius examinatis. Neque enim Theophraſti locus uſpiam repertus eſt, ex quo manifeſto colligi liceat, inter frumentaceas ſtirpes ab ipſo connumerari Seſamum, & reliquæ notæ ejuſmodi ſunt, quæ longe facilius ad Seſamum, vulgo ita dictum, quam ad Lachrymam Job accomodari poſſint, quemadmodum de Seſamo ipſo agentes prolixius explicabimus.

Jacobus Bontius, qui plures annos Bataviæ in Java inſula verſatus eſt, Lachrymæ Job imaginem prodidit, cujus vulgari majora ſemina eſſe ait: de illa quoque ſeparatim, breviterque egit Zanonius, ad Seſamum pariter Theophraſti pertinere exiſtimans. Ceterum illud fieri poteſt, Indicam illam Lachrymam Job a Bontio memoratam neutiquam ab illa, quam deſcripſimus differre, quæ & ipſa in noſtris terris haud ſane incola eſt,

ſed peregrina; magnitudinem autem ſeminum fœcundiori ſolo illius regionis aſcribendam eſſe.

Lachryma Job multis, ſive Milium Arundinaceum J. B. II. 449.
Lachryma Job Cluſ. Hiſt. ccxvi.
Lithoſpermum Arundinaceum, forte Dioſcoridis, & Plinii C. B. Pin. 258.
Seſamo annuo, forſe il bianco di Teofraſto Zan. Iſt. 171.
Coix ſeminibus ovatis Linn. H. Cliffort. 437. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 72.

LAMBA INDIÆ ORIENTALIS.

Tab. 36. *fig.* 3. LAmbæ arboris deſcriptio in commentariis Matthæi a S. Joſeph ad hunc modum expreſſa habetur.

Lamba eſt arbor valde alta, naſciturque in locis ſylveſtribus, cujus folia ſunt parva, Parietariæ noſtræ ſimilia: ramos habet longos, æquali proportione diſtantes, fructus vero ſunt ſimiles nuci, ſaporis acidi, ut Ceraſa noſtra Maraſche dicta, coloris aurei: ideoque mulieres eos colligunt ad tingendos capillos eodem colore; ſed id ſecreto, nam punirentur, cum prohibeantur colligere, & id ut aves illis veſcantur; nam deficientibus fructibus aves morerentur, & ſic videntur in magna copia ſuper arbores iſtas, & nemo audet illas tangere timore ſupplicii.

Lamba Indiæ Orientalis.
Lamba arbore Orientale Zan. Iſt. Bot. 111.

LEDUM FOLIIS SERPILLI AD MARGINES CILII INSTAR PILOSIS FLORE PURPUREO.

Tab. 102. HAnc ſtirpem, quam Balſamis alpinis, ideſt Chamærhododendris non ſine cauſſa annumeraverat Zanonius, nos Ledi nomine, quod a Michelio uſurpatum eſt, appellandam putavimus: quippe florum ſtructura haud mediocriter a Chamærhododendris differt. Veteres ipſam Ciſtis adjunxerant, minus recte,

cte, ut ego arbitror, flores enim Ciſtorum ex quinque conſtant æqualibus petalis; iſtius autem plantæ monopetali ſunt, in quinque partes, eaſque inæquales diviſi.

Altitudo hujus Ledi palmaris eſt, aut non multo major: Caulibus nititur firmis, tenuibus, flexibilibus, rotundis, ac nodoſis, nigro, vel ferrugineo cortice tectis. Hos vero copioſa ubique, & conferta ambiunt folia, Myrto Tarentinæ, quod ad formam attinet, paria; ea vero exilitate, ut cum Serpilli frondibus comparari queant: ſunt etiam hæc folia ſolida, ac firma, in ſuperiori parte viridia, in averſa rubentia, margine longiuſculis villis hirſuto. Flores Septembri menſe tenuibus nixos petiolis fundit, eoſque, ut diximus, unius petali, verum uſque eo diſſectos, ut quinque eſſe videantur, colore Perſicæ arboris, vel Chamænerii floribus initio ſimiles, brevi autem palleſcentes. Floribus deciduis fructus globoſi ſuccedunt, & quinquepartiti, pro numero capſularum multifariam ſe aperientes maturitatis tempore, ſeminibus minutis, ac rubentibus pleni. Odor totius ſtirpis recens Hypericum refert.

In valle montis majoris prope montem Baldum ſaxoſis locis gignitur, diuturnæque eſt vitæ: ibi eam Zanonius reperit, ac ſuperiores etiam Botanici a Bauhinianis uſque temporibus legere conſueverant.

Ledum foliis Serpilli, ad margines cilii inſtar piloſis, flore purpureo
Mich. Nov. gen. pag 225.
Chamæciſtus VIII. Cluſ. Hiſt. 76.
Chamæciſtus hirſuta C. B. Pin. 466.
Ciſtus pumilus montis Baldi, forte Auſtriacus Myrtifolius J. B. II. 19.
Nerio peloſo, con foglia di Serpillo Zan. Tab.

LEPIDIUM MAXIMUM CHALEPENSE SECUNDIS FOLIIS MINORIBUS ET SERRATIS PRIMIS MAJORIBUS ET PROFUNDE SINUATIS STISSIS INCANIS.

Tab. 103. QUæ pro germano Dioſcoridis Lepidio a Zanonio herba demonſtratur, haud multum ſane ab ea diſcrepat, quam reliqui etiam Botanici Lepidium, ac Piperitim nuncupaverant. Introducta in Europæ hortos ſuperiori ſæculo eſt, ejuſque ſemen ab Iſidoro Fantino, quem alibi memoravimus, accepit Zanonius ex Perſide allatum. Moriſonus etiam Alepo ſive Berrhæa Syriæ urbe a Roberto Hunningtono ad ſe miſſam hanc ſtirpem memoriæ prodidit, ut Orientalium regionum incolam eſſe conſtet. Nos Zanonianæ deſcriptioni, quam pro noſtra conſuetudine latinam fecimus, eas notas adjungemus, quibus a Lepidio, ſeu Piperiti internoſci poſſit: neque enim quidquam magis verendum eſt, quam ne cum vulgari Lepidio, quod eidem perſimile eſt, confundatur.

Radix huic herbæ digiti craſſitudine eſt, alba, compluribus fibris nixa, novamque ſobolem in omnem partem fundens. Folia non æque ampla ſunt, ac in vulgari Lepidio, ad marginem dentata, partim integra, partim laciniata, ut a foliis Armoraciæ, de qua alio loco diximus, ſola fere magnitudine diſcrepent; a Lepidio etiam vulgari, quod plane glaucum eſt, viriditate ſua diſtinguuntur; incana vero, ut ea deſcribit Moriſonus, vix unquam obſervavimus. Caules cubitalem altitudinem, aut majorem etiam attingunt, ut ſæpe animadvertimus; niſi forte ſterili ſolo commiſſa fuerit, tunc enim contractior omni ex parte evadit: porro autem ejuſmodi ſtipites conveſtiunt folia neque laciniosa, neque dentata, virentia, glabra, & acuminata, Lauri foliorum ſimilitudine. Flores ſupremis inſident caulibus, in umbellas congeſti, minuti & candiduli, ex quattuor petalis conflati, nihil pene diſſidentes a floribus vulgaris Lepidii: hos poſtea fructus exigui ſubſequuntur, pene globoſi, & nonnihil acuminati, quorum ſpatium interius exiguis plenum ſeminibus ſepto dirimitur. Propagatur in hortis viviradicibus magis, quam ſemine; neque per hiemem apud nos frigori expoſita quidquam detrimenti capit: Junio menſe floreſcit.

Etſi

Etſi Dioſcorides Lepidii ſui nullam deſcriptionem affert, notiſſimæ videlicet per ea tempora ſtirpis; nonnulla tamen argumenta colligit Zanonius, ut hanc herbam ab eo non differre oſtendat: ea vero ſunt inprimis a ſimilitudine ducta, quam Drabæ, ſive Brabæ ineſſe cum Lepidio Dioſcorides ipſe ſcriptis mandavit. Drabam autem, ut alibi oſtendimus, ex opinione Laurentii Legati frondes conſciſſas gerere perſuaſum habuit, ac vulgarem pro ipſa poſuit Armoraciam: igitur eam quoque pro Lepidio ſtirpem afferre debuit, cui laciniis pariter inciſæ frondes ineſſent; taliuſmodi vero hæc potius herba eſt ex Perſide, atque Orientalibus regionibus illata, quam vulgaris illa, ac notior in Italia naſcens, quæ, uſque ad illud tempus, pro Lepidio oſtendi conſueverat.

Controverſia etiam fuit inter ſuperioris ævi Botanicos, an Veterum Iberis a Lepidio eorundem diſtinguenda eſſet, de quibus ſeparatim egerant Dioſcorides, & Plinius; Galenus autem, Pauluſque Ægineta, tanquam de una ſtirpe, ſermonem habuerant. Diſſenſit Zanonius ab eorum opinione, qui negarunt eas inter ſe diſtingui oportere; neque enim, ſi Dioſcoridis Iberis etiam, & ipſa Lepidium a quibuſdam nuncupata eſt, continuo ſequitur nullam aliam Lepidii nomine appellatam eſſe ſtirpem; talem autem ab Iberide reipſa diſtinctam extitiſſe, ex Plinii verbis, ac Dioſcoridis, qui utramque commemorant, aperte comprobatur.

Lepidium maximum, Chalepenſe, primis foliis minoribus, ac ſerratis, ſecundis majoribus, & profunde ſinuatis, ſpiſſis, incanis Moriſ. Hiſt. Oxon. Part. 2. pag. 312.
Lepidio di Dioſcoride Zan. Iſt. Bot. 118.

LIBANOTIS APII FOLIO SEMINE ASPERO.

LIbanotidis nomine hanc ſtirpem appellare malui, quam Echinophoræ, aut Cachrydis, quorum alterum a Triumphetto, alterum a Tournefortio uſurpatum eſt; ab Echinophora enim, non illa maritima, qua cum nulla hic poteſt comparatio inſtitui, ſed ab ipſa vulgari, ſive Caucalide, habitu exter- *Tab.* 104.

externo inprimis differt; a Cachryde vero etiam ſeminum diſſimilitudine. Quippe cum ſemen habere fungoſum, ac leve inſtar ſuberis certiſſima ſit Cachrydis nota, tantum abeſt hoc ab hujuſmodi ſtirpe, ut matura illius ſemina omnino dura ſint, firmoque cortice obducta. Herbam ipſam Zanonius paucis ab Honorio Bello verbis definitam, a reliquis tantum nominatam, iſtiuſmodi deſcriptione complexus eſt.

Primaria hujus Libanotidis radix tranſverſa eſt, ſubaſpera, & rugoſa, ex qua complures aliæ deorſum feruntur, Aſphodeli radicum ſimilitudine, extrinſecus læves, & glabræ, tenui atroque cortice veſtitæ, ex quibus inciſis lacteus emanat ſuccus. Folia, quæ ex radice funduntur, perampla ſunt, ac multifariam ſecta, non minutis dentibus, ut in Angelica, ſed grandioribus laciniis, ut in Apio ad margines inciſa, ac læta viriditate ſplendentia. Caulis inter hæc folia ad unius cubiti, & ſemiſſis altitudinem ſurgit, teres, ac ſtriatus, pauciſque nodis interciſus, quibus frondes inhærent a reliquis non diſſimiles, lata baſi caulem amplexæ, in ſuperioribus nodis etiam ex adverſo oppoſitæ. Flores in umbellas congeſti ſummis caulibus, & ramis inſiſtunt, ex quinque candidis petalis conflati, quibus defluentibus, ampla ſuccreſcunt ſemina, invicem hærentia, ad imam partem craſſa, & in vertice acuminata, Caucalidis latifoliæ, quæ a Columna deſcribitur, aliquantulum ſimilia, ſulcis in longitudinem ductis, minutiſque, & aduncis aculeis aſpera: ea, poſtquam maturitatem conſecuta ſunt, nigrorem contrahunt, ac plane obdureſcunt.

Perennis herba eſt, ſoluta ſtatim hieme, e terra prorumpens, Martio menſe, & Aprili inter umbelliferas omnes maturiſſime florens. Seminibus Majo perfectis, quicquid ſupra terram eſt exareſcit; radix in multos annos perſeverat. De cetero quanquam ex Creta inſula, ſive etiam ex Illyrico, quemadmodum refert Zanonius, allata eſt; hiberno tamen frigore noſtro ſub cælo non læditur, nulloque fere negotio in hortis conſervatur.

Libanotis Apii folio, ſemine aſpero C. B. Pin. 157.
Roſmarinus foliis Selino ſimilibus, quæ Libanotis legitima Theophraſti, perperam Siler Creticum Hon. Bell. Ep. ad Cluſ. 1. *Hiſt. ccxcix.*
Echinophora Aſphodeli nigricante radice, & anguſtiore lucido Angelicæ folio Læl. Triumph. ap. Fr. 65.

Cha-

Cachrys Cretica, Angelicæ folio, Aſphodeli radice Tour. Coroll.
I R. H. 23.
Siſaro vero di Dioſcoride Zan. Tab.

LILIUM CANADENSE IMPERFECTIS FLORIBUS ET IRREGULARIBUS MULTIS ALBIS.

LIlium hoc, etſi a Moriſono Canadenſe appellatum, non arbitror a vulgari diſtinguendum; niſi ob flores monſtroſiſſimos, quos uſque eo informes profert, ac diſtortos, ut omnem pene florum ſpeciem amiſiſſe videantur. De cetero neque bulbi ſquamati moles, neque thyrſi proceritas, neque frondium magnitudo, aut forma, neque earundem diſpoſitio, quicquam affert diſſimilitudinis. Flores ipſi faſtigium occupant, ſi flores omnino appellari æquum eſt; non ſex quidem amplis petalis, ut in Lilio vulgari, conſtantes, ſed compluribus albis, anguſtiſque foliis, producto in longitudinem cauliculo adhærentibus. Stamina habent nulla, neque apices, neque fructuum primordia; omnique prorſus odore carent. Ex quibus omnibus minime dubium eſt, quin hujuſmodi Lilium ex fortuita, ac vitioſa vulgaris mutatione initio ortum ſit: ac ſunt etiam, qui Lilium plenis floribus illud vocent, non ſatis recte, ut mea fert ſententia: quippe flores pleni, etſi ex plurimis conſtent petalis, tamen haud ita ſolent, quemadmodum iſtius Lilii flores, a priſtina habitudine, ac forma diſcedere. *Tab.* 105.

Hanc Lilii ſpeciem, aut potius varietatem ad Zanonium attulit Sicinius Orettus Civis Bononienſis, honeſtiſſimo ortus genere, qui medicinam in patria multos annos feliciter exercuit, ac in ejuſdem facultatis Collegii ſocietatem aſcriptus fuit. Nunquam poſtea, quod ſciam, propagari deſiit bulborum ſobole; atque his etiam colitur temporibus, una cum reliquis Liliis, Junio menſe floreſcens.

Lilium Canadenſe imperfectis floribus, & irregularibus, multis, albis
Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 2. pag. 410.
Lilium album inodorum, flore pleno H R. Par. 105.
Giglio con fiore foglioſo, piramidale Zan. Tab.

LINA-

LINARIA LATIFOLIA DALMATICA MAGNO FLORE.

Tab. 106. LInaria Dalmatica ad quattuor cubitorum altitudinem ſurgit, caule recto nixa, tereti, & glabro, viridi cortice obtecto, candidaque medulla pleno. Folia articulis crebra inſiſtunt, nullis petiolis ſuſtentata, lata baſi caulem ambientia, multo ampliora quam fere in reliquis Linariis eſſe ſoleant, ea propemodum figura, qua ſunt Polygonati ramoſi frondes, glabra ſimiliter, ac viridia, tenuique polline conſperſa, quemadmodum & matura pruna, uvæque purpureæ. Ramos etiam gignit anguſtioribus foliis præditos, ac in his Septembri menſe flavi emicant flores, grandiuſculi, eadem figura, qua in Linaria lutea vulgari, ad eam partem, qua ſuperius labrum inferiori ſuperponitur hirſuta, & aurea macula diſtincti; ex quibus odor ab eo non diſſimilis emanat, quem junceæ Geniſtæ flores emittunt. His poſtea cadentibus, fructus matureſcunt, ſpecie utriculorum, nigris, angulatiſque ſeminibus pleni.

Radicem habet longam, & contortam, multiſque fibris inſtructam; ea quoque reptando novam fundit ſobolem, ex quo perennem ſtirpem eſſe facile poteſt intelligi. Linariæ hanc ſpeciem virentem ipſi non vidimus, ſed exſiccatam duntaxat; jamdiu quippe deſiit propagari apud nos: Dalmaticam plerique Linariam appellarunt, quod primum ſcilicet in Dalmatia reperta ſit: Zanonius etiam Epidauro Illyrici urbe ſemen hujus ſtirpis ad ſe miſſum eſſe ſcriptis mandavit.

Linaria latifolia, Dalmatica, magno flore C. B. *Pin.* 212. *Prod.* 106.
Linaria maxima, foliis Lauri, Dalmatica J. B. III. 458.
Linaria fruticoſa, di Raguſa, odorata Zan. Tab.

LINARIA VALENTINA.

Tab. 34. *fig.* 3. EAdem in tabula, quæ Blattariam continet Epidauricam, exiguæ pariter Linariæ effigies habetur, cui brevem explicationem in commentariis aſcriptam invenimus. Narrat autem Zanonius, ſe a Paulo Bocconio, Siculæ Linariæ nomine, exſicca-

ſiccatam accepiſſe, ea magnitudine, qua in tabula exprimitur; foliis ad imam partem inter ſe oppoſitis, reliquis alternis, nonnihil craſſis, glaucis, & acuminatis: flores paucos, luteoſque, non diſſimiles a reliquis Linariis ſupremo cauliculo inſidere; ex quibus omnibus novam eſſe ſuſpicatus eſt. Ego autem nihil a Linaria Valentina differre exiſtimo; quanquam ad majorem ea ſæpe adoleſcit altitudinem, foliis ad imam partem ternis, floribuſque in ſpicam digeſtis: ſed & eandem vidiſſe in hortis noſtris memini longe exiliorem, ac illi, quam Zanonius depictam exhibet, prorſus æqualem. Annua eſt herba, æſtate florens; ſeminibus deinde ad maturitatem perductis, extinguitur.

Linaria Valentina Cluſ. Hiſp. 351.
Linaria triphylla minor, lutea C. B. Pin. 212.
Linaria Hiſpanica Cluſ Hiſt. 320.
Linaria trifolia J. B. III. 458.
Linaria Siciliana Zan. Tab.

LINOPHYLLON ALPINUM LATIFOLIUM MAJUS.

LInophyllon hæc herba a Lini ſimilitudine nuncupatur. Julius Pontedera novi auctor vocabuli, quo & ipſi uſi ſumus: rectiſſime enim hanc ſtirpem ab Alchimillis quibuſcum a Tournefortio confuſa fuerat, ob florum, habituſque externi differentiam ſejunxit. Caule nititur tenui, ac recto, foliis compluribus, anguſtiſſimis, Lini ſimilibus, ac rigidioribus veſtito. Floſculi ſummam partem ramulorum occupant, quinquepartiti, ex viridi albeſcentes, quos fructus deinde excipiunt perexigui, globoſi, in racemos quodammodo congeſti, & unico ſemine fœti. Perennis herba eſt in celſioribus Bononienſium montibus naſcens, ex quibus, in hortos translata, non diu vivere ſolet. Junio menſe, ac Julio in locis natalibus floret. *Tab.* 34. *fig.* 2.

Zanonius hanc Stirpem in ſuis tabulis effingi voluit, qualem ipſe aliquando reperit, ab ea, quam ſuperiores Botanici deſcripſerant, ſola parvitate diſtinctam.

Linophyllon alpinum, latifolium, majus Pont. Anth. 262.
Anonymos Lini folio Cluſ. Hiſt. 324.
Linaria montana, floſculis albicantibus C. B. Pin. 213.
Linariæ ſimilis J. B. III. 461.
Alchimilla Linariæ folio, calyce florum albo Tour. I. R. H. 509.
Lino ſilveſtre, racemoſo Zan. Tab.

LINUM MONTANUM FOLIIS TENUIBUS CREBRIS FLORE AMPLO CÆRULEO.

Tab. 107. DE ſylveſtri hoc Lino haud multa e Zanonianis commentariis proferre poſſumus, in quibus hoc unum ſcriptum extabat, juxta Capunianum Bononienſis ditionis montanum oppidum, perennem, ac cæruleis floribus Lini ſpeciem adinventam. Nobis autem varias recenſentibus ſtirpes, quas, ut novas, ac minime deſcriptas aliquando ad nos miſerat ſummus ille Botanicus noſtrorum temporum Michelius, ea forte occurrit Lini ſpecies, quæ cum Zanoniana tabula prorſus congruere videretur; quam accuratius undique exploratam eandem eſſe facile perſpeximus. Multos autem longa e radice proferebat caules, dodrantis altitudine, aut non multo majores, foliis tenuibus, confertis, ac rigentibus veſtitos, brevioribus quam in Lino vulgari. Flores in ſumma parte inerant ampli, ac cærulei, quemadmodum in eo Lino, quod Africanum nominant, in ſpicas quodammodo diſpoſiti, etſi hoc in Zanoniana tabula non ſatis exprimitur. Habitus totius herbæ perennem eſſe indicabat, eandemque aſperis in locis, & incultis provenire.

Linum montanum, foliis tenuibus, crebris, flore amplo, cæruleo.
Lino ſilveſtre, di Capognano Zan. Tab.

LISCHIA SIVE LISCHION INDIÆ ORIENTALIS.

IN commentariis Matthæi a S. Joſeph Liſchiæ arboris deſcriptio ad hunc modum expreſſa reperitur. *Tab.* 108.

Liſchia arbor magna habet folia, craſſa & oblonga; flores albos unitim poſitos: fructus figura pineæ, viridis dum eſt acerbus, rubicundus dum eſt maturus, tenui cortice, intus includens albiſſimam medullam, ſapore ut paſta de Genua: habet oblongam amygdalam albiſſimi coloris, quam Indi admiſcent farinæ, ad conficiendum panem.

Liſchia, ſive Liſchion Indiæ Orientalis.
Liſchia arbore Indiano Zan. Tab.

LIUBRA INDIÆ ORIENTALIS.

DEprompta eſt etiam ex commentariis Matthæi a S. Joſeph ea, quæ Liubra dicitur, in ſuperiori parte Zanonianæ Hiſtoriæ commemorata. *Tab.* 75. *fig.* 3.

Liubra ſive Baccam frutex habet folia oblonga, aliquantulum inclinata, dentata, & æqualiter ducta. Flores producit racematim, ut & fructus rotundos: utuntur illa ad conſtruendum unguentum pro vulneribus, ac ulceribus: Folia cocta ſunt pro uſtione, præcipue pulveris tormentorum.

Liubra Indiæ Orientalis.
Liubra, ovvero Baccam frutice Orientale Zan. Iſt. Bot. 130.

LYCHNIS NOCTIFLORA ANGUSTIFOLIA ODORATA.

ALexander Balamius, quo tempore ad perquirendas ſtirpes a Gaſtone Borbonio Aurelianenſi Duce in Italiam mittebatur, Zanonii uſus conſuetudine & hoſpitio, elegantiorum ipſi herbarum non pauca impertivit ſemina. In his ea quoque *Tab.* 109.

Lychnidis ſpecies fuit, quam viſcoſam peregrinam, floribus noctu odorem fundentibus Zanonius ipſe nuncupavit. Accuratiſſimæ imagini, quam ille in ſuperiori libro deſcriptionem apposuit, latinam ad hunc modum fecimus.

E radice hujus herbæ, quæ alba eſt, tenera, & gracilis, rariſque fibris ſtipata, modo unus, modo etiam plures foliorum ceſpites prodeunt, ad ſimilitudinem illius Lychnidis, quæ Seſamoides Salmanticum nominata eſt; ejuſdem pariter formam ſingulis foliis præſeferentibus, niſi anguſtiora eſſent, nitentia, ac majore prædita tum craſſitudine, tum ſoliditate: ex his radici proxima ad extremam partem retuſa ſunt, ac rotundata, tenuiſque limbus, ac perlucidus, argentei coloris eadem circumambit. Multi hinc ſtipites efferuntur ad imam partem incurvi, duorum fere digitorum dimenſionem exæquantes, calami ſcriptorii craſsitudine, cortice viridi, obſoleto contecti. Suprema eorum pars glutine quodam perfuſa cernitur, digitiſque contrectantibus adhæret; quod Lychnidi etiam Seſamoidi appellatæ, multiſque præterea hujus generis ſtirpibus commune eſt. Crebros habet prominenteſque articulos, quibus geminæ ſemper ad invicem oppoſitæ frondes inſiſtunt, a reliquis neutiquam diſſimiles; ex earum vero ſinu novi quidam truduntur ceſpites, unde & ſingulis geniculis confertæ frondes circumpoſitæ apparent. Flores in ſummo fert calycibus prælongis incluſos, brevibuſque petiolis innixos: calyces ipſi tenui & lata membrana conſtant, quæ, ubi ſulcos in longitudinem impreſſos habet, alba eſt, reliqua ex parte viridis. Flores perianthiis adhuc incluſi ochroleuco ſunt vel palleſcente colore, ubi ſeſe pandentes in conſpectum prodeunt, candidi evadunt, ex quinque petalis bifidis conflati. Veſpere poſt ſolis occaſum hi flores aperiuntur, atque ex ipſis idem fere, qui ex Jaſmini floribus, non peræque acutus tamen, odor afflatur; mane orto ſole ita contrahuntur, ut non amplius reviviſcant, eoſque brevi areſcentes fructus vel capſulæ excipiunt ovales, ſeminibus repletæ minutis, rubentibus, & angulatis.

Perennis herba eſt Junio in hortis florens, ſemina vero Auguſto, ac Septembri ad maturitatem ducens.

Lychnis noctiflora, anguſtifolia, odorata Tour. I. R. H. 335.
Licnide ſilveſtre, viſcoſa, peregrina, con fiore più odorato di notte che di giorno Zan. Iſt. Bot. 126.

LY-

LYCHNIS UMBELLIFERA MONTANA HELVETICA.

Agrostemma Flos Jovis. L.

HElvetica hæc Lychnis altitudine eſt cubitali: radicem habet ex multis tenuibus, rotundis, candidiſque fibris conflatam, ex qua grandiuſculus foliorum ceſpes, minoribus aliis ſtipatus prorumpit. Folia iſta magnopere accedunt ad Lychnidem coronariam, craſſiora ſunt autem, ſolidiora, hirſuta, ac virentia. Stipites hinc efferuntur quadrati, albeſcente lanugine obducti, intus cavi, raris, ac prominentibus nodis interſecti, quibus geminæ e regione oppoſitæ inhærent frondes. Caules iſti, quantum vel ex tabula, vel ex Zanoniana deſcriptione colligi poteſt, in ramos minime dividuntur; ſummam autem eorum partem quinque, aut ſex flores occupant in umbellæ ſimilitudinem congregati, & calyce nixi quinquepartito, ſulcis in longitudinem ductis excavato, coſtiſque lanuginoſis compluribus ad decem uſque circumſepto. Flores ipſi ex quinque latiuſculis petalis conſtant, ſubrotundis, ad extremam partem bifidis, rubentis coloris, qualis fere in Mali arboris floribus ſpectatur: medios autem ſtellæ quædam ſpecies exornat, ejuſdem propemodum coloris. Floribus defluentibus fructus ſive capſulæ ſuccedunt longiuſculæ, per maturitatem hiantes, & quinque dentibus in apice inſtructæ, ſeminibus minutis, ac rubentibus fœtæ. Perennis vitæ eſt, Majo, ac Junio florens, ſemina Julio perficiens. *Tab.* 110.

Elegans inprimis hæc eſt, ac venuſta Lychnidis ſpecies, quam Sertorius Antonius Urſatus Patavinus, generis nobilitate, eruditione, ſcriptiſque in lucem editis clarus ad Zanonium miſit: is deinde a Felice Orello Locarnenſi Pharmacopola, homine in ſtirpium perquiſitione verſatiſſimo, ſemina quædam in Valmaſia Helvetiæ monte collecta incerto nomine accepit, ex quibus hæc eadem orta eſt Lychnidis ſpecies; unde etiam cognoſcere potuit, quibus in locis ſponte naſceretur: nuſquam autem a nobis, quamvis id maxime ageremus, conſpecta eſt.

Argumenta haud pauca ſunt, quæ Lychnidem corollariam umbelliferam alpinam Barrelieri (*a*) ab hac ſtirpe diverſam eſſe oſten-

(*a*) *Ic.* 1005.

oſtendant, quod imaginem utriuſque intuenti perſpectum erit. An Zanoniana hæc cum Lychnide coronaria ſylveſtri Caſpari Bauhini congruat, quemadmodum Raius, & Moriſonus ſuſpicati ſunt, res plane nobis eſt incerta, quam Botanicorum conjecturæ facile permittimus.

Lychnis umbellifera, montana, Helvetica Zanoni Tour. I. R. H. 334.
Licnide umbellifera, montana, Elvetica Zan. Iſt. Bot. 128.

LYCHNIS HIRSUTA LUSITANICA ANNUA VISCOSA FLORE DILUTE PURPURASCENTE.

Tab. 111. TEnui hæc Lychnis radice nititur, pauciſque fibris inſtructa; proceritatem unius pedis vel attingit tantum, vel non admodum ſuperat, caule recto conſtans, tereti, & gracili, in multos ramos diviſo. Crebri in his eminenteſque articuli exiſtunt, æquali pene ſpatio inter ſe remoti, quibus gemina, pro Lychnidum reliquarum conſuetudine, e regione oppoſita inſident folia, prope originem copulata, mollia, & hirſuta, virentia, ad extremum retuſa, ac pene rotundata. Flores Majo, ac Junio emicant menſe, in ſpicas quodammodo digeſti, ſæpe ad unam partem converſi, lanuginoſis calycibus fulti, brevibuſque petiolis ſuſtentati: ſunt autem ex quinque petalis compoſiti, roſei coloris, ſubrotundis, ac minime bipartitis, verum, ut clariſſimus Dillenius in hac ipſa deſcribenda ſtirpe animadvertit, leviter dentatis. Fructus ſeu vaſcula ſuccedunt calycibus incluſa, copioſo, fuſco, ac minuto ſemine repleta. Summos habet ramulos, calyceſque hæc Lychnis glutine quodam perfuſos, ut ea fere, quæ prima a nobis propoſita eſt Lychnidis ſpecies. Annua herba eſt in hortis facile ſe propagans.

Semen hujus herbæ a peregrino quodam homine accepit, quum Romæ eſſet, & cum Zanonio poſtea communicavit Petrus Jacobus Aldrovandus Medicus Bononienſis, utrique Artium liberalium Collegio aſcriptus. Ceterum, qui ejuſmodi ſemen Aldrovando dedit, in Luſitania ſe collegiſſe narravit. Nos eandem procul dubio ſtirpem, Luſitanicæ Lychnidis nomine, in Horto Elthamenſi accuratiſſime delineatam invenimus, floribus

bus paulo grandiuſculis, petaliſque dentatis, quæ res in Zanoniana imagine haud ſatis expreſſa eſt.

Lychnis hirſuta, Luſitanica, annua, viſcoſa, flore dilute purpuraſcente.
Viſcago hirta, Luſitanica, ſtellato flore Dill. H. Eltham. pag. 120.
Licnide annua, di Portogallo Zan. Tab.

MALACOIDES BETONICÆ FOLIO.

MAlacoidis effigies a Zanonio tradita longe eſt accuratius, quam in reliquis libris, ſive a Jacobo Barreliero, ſive a primo ipſius inventore Paulo Bocconio delineata. *Tab.* 112.

Cajetanorum fundi in Piſano agro, prope locum Terriccium dictum, hanc ſtirpem gignunt, ubi præterito ſæculo a Bocconio eſt adinventa. Ludovicus Brenius, Lucenſis Medicus ſemina eodem fere tempore ad Zanonium miſit, qui in ſuperiore Hiſtoriæ ſuæ parte Malvam Betonicæ folio nuncupavit; quod fere nomen Bocconius ipſe uſurpaverat. Malacoidis vocabulum a Tournefortio excogitatum eſt, qui propter diſſimilitudinem fructuum, a reliquis Malvis ſegregandam cenſuit.

Radice hæc herba nititur longa, in fibras complures haud ita tenues diviſa. Folia ex ipſa prorumpunt longis petiolis fulta, rotundatis in ambitu, ampliſque dentibus inciſa, Betonicæ foliorum ſimilitudine, at nonnihil ea quidem breviora, piliſque carentia, in ſupina facie lætiore, quam in averſa viriditate prædita. Caules ad cubitalem altitudinem eriguntur, teretes & graciles, ex viridi colore in purpureum vergentes, raris nodis interſecti, quibus breviores etiam anguſtioreſque frondes inſiſtunt. Flores in ſumma emicant ramulorum parte quinquepartiti, virenti calyce, ac multifariam diviſo ſubnixi, ampliores quam in vulgari Malva, eodem propemodum colore, ideſt qui ex purpureo exalbeſcat, venis magis rubentibus diſtincti. Retuſa, ac ſinuoſa extrema quæque ſunt petala, ſi totidem numero ſint quot videntur eſſe: obſcura enim florum conformatio Malvacearum ſtirpium eſt, quos alii pentapetalos ajunt eſſe, alii monopetalos quinquepartitos. Fructus ex multis ſeminibus conſtant proprio involucro occluſis, in orbem neutiquam diſpoſitis, ut in reliquis Malvis, ſed mori ſimilitudine conglobatis, quemadmodum ex imagine ipſa perſpici poteſt: ea vero inprimis cauſſa fuit,

fuit, cur novo hanc nomine appellatam voluerit Tournefortius. Perennis herba eſt, florens æſtate, quam ipſi ſuperiore anno a Piſani Horti Præfecto Angelo Atilio Tillio miſſam accepimus.

Alteram præterea huic perſimilem, ſed minorem a Marco Nannio in Hetruria repertam ſcribit Zanonius, reptantem, floreſque ampliores proferentem: is erat Nannius, quem ad exquirendas ſtirpes in varias Italiæ partes mittere Zanonius conſueverat. De hac vero Malacoidis ſpecie vix eſt quod dicam: videtur plane veriſimile differentiam tantum fortuitam inter hanc & ſuperiorem intercedere.

Malacoides Betonicæ folio Tour. I. R. H. 98.
Malva Betonicæ folio H. R. Bleſ. 285. *Bocc. Rar.* 15.
Malva con foglie di Bettonica Zan. Iſt. Bot. 130.
Alcea Betonicæ folio, flore purpureo violaceo Barrel. Ic. 1189.
Malope foliis ovatis, crenatis, glabris Linn. H. Cliffort. 347. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 357.
Malva con foglie di Bettonica, ſerpeggiante ſeconda Zan. Iſt. Bot. 132.

MALVA SYRIACA PUMILA FLOSCULIS ALBIDIS CAULICULIS ADHÆRENTIBUS.

Tab. 113. FOlia hujus Malvæ, quæ prima e radice funduntur rotunda ſunt, ac dentata, vulgaris Malvæ frondibus longe exiliora, mollia, longiſque petiolis ſubnixa. Caulis hinc teres, rectuſque aſſurgit, palmari altitudine, ramulis haud ſane multis circumſeptus, nonnihil hirſutus, crebriſque articulis diſtinctus: eorum ſingulis frondes inhærent paulo ampliores, ambitu in ſtellæ ſimilitudinem veluti ſinuoſo, minutiſque dentibus inciſo, quemadmodum in vulgari prope Alchimilla. Flores conferti ad eoſdem articulos exiſtunt, albi, rubentibus lineis varii, breviſſimis petiolis ſuſtentati, & calyce quinquepartito comprehenſi: eorum vera magnitudo in Zanoniana tabula ex his colligenda eſt, qui ſtirpi inſidentes ſunt expreſſi; ille alter ſeparatim delineatus per microſcopium auctus eſt, quo intelligi vera illius conformatio poſsit. Singulis floribus, ut in reliquis Malvis, orbiculi ſuccreſcunt complanati, elevatis veluti coſtis, depreſſiſque ſinubus in ambi-

tu

tu inciſi, ex multis ſeminibus conflati axi circumpoſitis, ac proprio tegumento involutis.

Epidauro delata ſunt ad Zanonium iſtius herbæ ſemina, quam noſtris etiam temporibus ſerere in more habemus, annuam, pauciſque ab ortu menſibus, Julio videlicet, florentem, mox vero ſeminibus maturis pereuntem.

Pumilæ vox, qua in hac ſtirpe nominanda Boerahavius uſus eſt, Malvæ convenit Zanonianæ: an vero eadem cenſeri debeat, quam a floribus omnium minimis verticillatim geniculа ambientibus Moriſonus nuncupavit, haud ita certum eſt. Hæc autem, quantum ex ipſius Moriſoni deſcriptione colligi poteſt, qui ad quinque, aut ſex pedes creſcere affirmat, ab ea neutiquam videtur differre, quam in hortis colimus, humana fere altitudine, floribus minimis, & albeſcentibus, ſeminibus innumeris, cum Malva criſpa Joannis Bauhini, niſi folia plana eſſent, ferme congruentem; ut Malvam ipſam foliis criſpis ab ejuſmodi ſtirpe initio profectam, ſuſpicio eſſe poſſit.

Malva Syriaca, pumila, floſculis albidis, cauliculis adhæreſcentibus Boer. Ind. alt. 269.
Malva di Raguſa Zan. Tab.

MALVINDA AMERICANA ANNUA CARPINI FOLIIS CAPSULIS UNICORNIBUS.

MEdia inter Abutilon Malvamque ea eſt, quam Joannes Jacobus Dillenius, ſummus noſtræ ætatis Botanicus (*a*) Malvindam nuncupavit; vix enim conveniens videbatur, poſteaquam Althæam, Alceamque a Malvis, ob leviſſimum diſcrimen ſeponere non dubitaverat Tournefortius, Americanas iſtiuſmodi ſtirpes tantopere diſſidentes cum ipſis connumerare. Nunc eam ſpeciem, quam in veteri Hiſtoria poſuit Zanonius, paucis ex noſtra obſervatione ad illius deſcriptionem adjectis, expediemus. *Tab.* 114.

Malvinda hæc in hortis cubitali eſt altitudine, aſpero caule, ſcriptorio calamo æquali, tereti, ac recto ſubnixa: rami in eo complures inſunt, quorum articulis alterno ordine folia

(*a*) *H. Eltham. pag.* 211.

inhærent dentata, Ulmi, vel Carpini frondibus conſimilia; nonnihil tamen anguſtiora, mollia, ſuperiori facie viridi, averſa autem cinerea ſive albeſcente. Flores in ſummis caulibus, ramiſque longis fulti petiolis exiſtunt, quos nondum patulos, virides calyces quinque angulis diſtincti continent, ut flores illius Campanulæ, quæ Viola pentagonia vulgo nuncupatur. Aperti autem Malvindæ hujus noſtræ flores, quales breviſſimo tempore tribus ferè ante meridiem horis permanent, ex quinque tenuibus conflati ſunt petalis, ad baſim cohærentibus, ac ſinuoſo margine terminatis: eorum color flavus eſt, quem exorienti auroræ Zanonius comparavit. Fructus cuilibet flori ſuccreſcens ex quinque, aut ſex capſulis conſtat longiuſculis, pene triangulis, tenui roſtro ſive aculeo ad verticem munitis: ſemina involucris exempta nitentia ſunt, eadem propemodum, quæ eſt in capſulis, conformatione. Radicem hæc herba tenuem habet, compluribus fibris inſtructam; annua vero eſt, quam ſingulis annis, jacto in terram ſemine, renovare oportet, idque etiamnum fieri in Bononienſibus hortis conſuevit. Americanam eſſe hanc ſtirpem indicio eſt, quod illius ſemina ex præfectura Pernambucenſi Michael Angelus Guattinus Regienſis Capucinus ad Zanonium miſit: Is autem, qui multos eam annos coluerat, obſcuro ſibi, ac ignoto originis loco, Pernambucenſem poſtea Malvam ex eo tempore appellavit.

De cetero id maxime notandum videtur, quod in hac, & duabus præterea Malvindis eodem tempore domeſtico in horto florentibus a nobis obſervatum eſt: eam ſcilicet, quam *Canadenſem Malvam Mori folio* nominavit Tournefortius, haud multo poſt Solis ortum matutinis horis flores expromere; his poſtea occluſis, patulos fieri Malvindæ Zanonianæ uſque ad meridiem flores; tribus denique horis circiter poſt meridiem, illius, quæ a Carolo Plumerio *Malva ulmifolia floribus conglobatis ad foliorum alas* dicta eſt, flores emicare.

Malvinda Americana, annua, Carpini foliis, capſulis unicornibus.
Althæa ulmifolia, ſemine roſtrato H R. Par. 9.
Malva annua, fruticoſa, Pernambucana, di fior giallo Zan. Hiſt. Bot. 132.
Malveola Carpini folio, flore luteo, ſemine roſtrato Heyſt. Deſign. Plant. 18.

MATIPOU SIVE ARBOL TRISTE DE DIA EX INDIA ORIENTALI.

INter Orientalis Indiæ ſtirpes vix aliam notiorem eſſe puto, quam ea, quæ a Garzia ab Orta, & Chriſtophoro Acoſta barbara voce *Parizataco*, Luſitanica vero *Arbol triſte de dia* nuncupatur. Hujus flores candidos eſſe ajunt, jaſminorum ſimilitudine, croceo petiolo, odoremque fundentes jucundiſſimum: nocturnis maxime horis vigere, defluere autem orto ſole, ac marceſcere, eam eſſe cauſſam, cur triſtem hanc arborem appellaverint Luſitani. In primo Horti Malabarici volumine *Maniapumeram* arboris effigies eſt, quæ a Bramanibus dicitur *Pariatacu*, & cum Arbore triſti Garziæ notis pene omnibus convenit: hoc intereſſe videtur, quod nihil de floribus ad ſolis conſpectum decidentibus in Horto Malabarico traditur; quæ res Arnoldo Syeno, qui notas illius libri conſcripſit, haud magni facienda viſa eſt: refert enim Fabricius Mordente Salernitanus a Cluſio memoratus, qui & ipſe in Orientali India peregrinatus eſt, hoc in floribus tantum, quos radii ſolares proxime attingunt evenire. Non igitur mirum quod Matthæus a S. Joſeph, ne ipſe quidem iſtius rei mentionem fecerit, qui tamen in ſuis libris Arborem triſtem eleganti imagine expreſſit, brevique hac deſcriptione complexus eſt. *Tab.* 115.

Iſta arbor vocatur a Naturalibus Matipou, & eſt arbor communis, producens flores albos, craſſos, ſed pes eorum eſt valde flavus, quaſi rubicundus: eo utuntur naturales loco croci Italici. Folia ſunt aſpera; producit ſemina quaſi lentes, duo in qualibet capſula, quæ efformata eſt ad modum cordis. Ejus folia trita cum aqua, & ſaccharo purgationem alliciunt pro mulieribus.

Matipou, ſive Arbol triſte de dia, ex India Orientali.
Arbor malenconico Caſt. Dur. 41.
Arbor triſtis Garz. edit. Cluſ. 225. *Acoſt edit. Cluſ.* 279.
Arbor triſtis Myrto ſimilis C. B. Pin. 469. *Commel. Fl. Malab.* 32.
Maniapumeram Malabaribus, Pariatacu Bramanibus H. Malab. I. pag. 35.
Matipou ovvero Arbore malenconico Zan. Tab.

MESEMBRIANTHEMUM AFRICANUM TRIANGULARE FOLIO LONGISSIMO FRUCTU MULTICAPSULARI FLORE LUTEO MAJUS.

Tab. 116. ASteris aizooidis nomine hanc ſtirpem in ſuperiori libro inſcripſit Zanonius, qui tamen a genere Aſteris multum abeſſe, ex ipſa externi habitus diſſimilitudine intelligebat. Sed neque florem illius vidit uſquam, ac ejuſmodi appellatam nomine a Nicolao Ponchavio acceperat: nondum erat præterea Meſembrianthemi, aut Ficoidis genus inſtitutum, quod paucis deinde poſt annis a Jacobo Breynio, Pauloque Hermanno effectum eſt, multis plantis, quæ nuper ex Africa invectæ fuerant, eo revocatis. Quippe unicam Meſembrianthemi ſpeciem ſuperiores noverant Botanici *Kali Neapolitanum floridum* a Fabio Columna appellatam; reliquæ ex Africa, auſtralique America recentiori memoria in Europam introductæ ſunt. In his autem, quum exorta confuſio eſſet propter multitudinem, Joannes Jacobus Dillenius ſingularum pene imagines in Horto Elthamenſi tradidit, quibus nihil fieri elegantius potuit, & accuratius: multa etiam in hoc ſtirpis genus copioſe eruditeque commentatus. Nos eam ſpeciem, quam notam Zanonio fuiſſe diximus, paucis expediemus.

Eſt autem huic plantæ longa tenuiſque radix, flaveſcens, multis fibris inſtructa. Folia hinc prodeunt complura, prælonga, & anguſta, eadem ratione ac in Stratiote, ſive Aloe paluſtri, quam noſtris temporibus Aloidem plerique nominant, collocata. Huic ſtirpi Bononienſium paludum incolæ Africanam illam perſimilem eſſe affirmat Zanonius; differre autem, quod frondes habeat carinatas, triangulares, ſucci plenas, quodque, cum altera vivere extra aquam nequeat, altera hæc ne imbres quidem crebriores ſuſtinere poſſit. Suſpicatus eſt etiam flores ab ea fortaſſe non diſſimiles hanc ipſam gignere, idque ex literis Batavi Silvercroonii, qui herbam iſtam e Promontorio bonæ ſpei primus acceperat, ad Ponchavium datis colligebat, in quibus tres anguli ineſſe hujus in floribus dicebantur. In Bononienſibus quidem hortis, quamvis id maxime ageret Zanonius, vitriſque eam tegeret, flores tamen nunquam produxit. Quæ autem veriſſima ſit eorum forma, ex prima Centuria Jacobi Breynii cognoſci poteſt, qui huic ſtirpi ſimillimam exhibuit, nihil ut poſtea in

Pro-

Prodromis docuit a Zanoniana iſta, magnitudine excepta, differentem. Salſum hujus herbæ ſaporem eſſe, ait Zanonius, qualem & reliquas habere Meſembrianthemi ſpecies, maritimarum nempe regionum incolas, ſæpiſſime eſt a nobis obſervatum.

Meſembrianthemum Africanum, triangulari folio, longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo, majus Breyn. Prod. 2. 70.
Aſtero aizoide del Capo di buona ſperanza Zan. Iſt. Bot. 35.
Chryſanthemo ſimilis, aizooides, Africana, major, triangularifolia, flore luteo, majore Breyn. Prod. 1. 25.
Ficoides, ſeu Ficus aizooides, Africana, triangulari folio, longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo, major Herm. H. L. Bat. 254.

MESPILO FOLIO ROTUNDIORI FRUCTU NIGRO SUBDULCI TOURNEFORTII SIMILIS FRUTEX.

EXplicatio hujus tabulæ eo nobis difficilior viſa eſt, quod in Zanonianis commentariis vix ullam habuit appoſitam deſcriptionem: tantum notæ quædam extabant, quibus alpium incolam eſſe arbuſculam, neque flores illius, fructuſve maturos a ſe obſervatos Auctor ſignificabat: argumenta eſſe quibus demonſtrari poſſet ad Plinianum Siler eandem referri oportere. Nos autem cum ab externa habitudine, tum a foliorum conformatione hanc eſſe Dioſpyron initio ſuſpicati ſumus, a quibuſdam ita appellatam, quam inter Meſpili ſpecies numeravit Tournefortius: verum diſcrimen fructuum haud levem dubitandi cauſſam afferebat. Dioſpyros enim fructus habet, exiguos illos quidem, pene globoſos, ſed meſpilorum inſtar quinque ad umbilicum pinnis inſtructos: porro autem ejuſmodi pinnis carent baccæ in tabula expreſſæ; in quo tamen picturæ vitium ſubeſſe poteſt. Ego tantiſper Dioſpyro ſimilem vocavi, dum in alpibus arbuſcula reperiatur, quæ ſtirpem a Zanonio depictam omni ex parte imitetur. Dioſpyri flores ex quinque albis conſtant petalis, folia novella, ac tenera, alba lanugine contecta ſunt, vetuſtiora autem glabra, minutiſque dentibus inciſa, quemadmodum in Zanoniana ſtirpe obſervatur. *Tab.* 117.

Meſpi-

Meſpilo folio rotundiori, fructu nigro, ſubdulci Tournefortii ſimilis Frutex.
Siler frutice vero di Plinio Zan. Tab.

MILLEFOLIUM TOMENTOSUM LUTEUM.

Tab. 118. *fig.* 1. IN Zanonianis tabulis exponendis noſtra hæc inprimis conſuetudo fuit, ut communibus pervulgatiſque nominibus uteremur, quod aptius fore, & accomodatius ad perſpicuitatem exiſtimavimus: Zanonius Dioſcoridis verba interpretari aggreſſus ab uſitata nominum ratione ſæpius deflectere coactus eſt. Millefolium itaque cum reliquis Botanicis eam ſtirpem nominabimus, quam ipſe Elichryſum appellare inſtituerat; exiſtimabat enim verum eſſe Dioſcoridis Elichryſum, quandoquidem Elichryſum quoddam ex his, quæ vulgo ita nuncupari ſolent, ad ejuſdem Chryſocomem revocaverat. Millefolium hoc illud ipſum eſt, quod a Caſparo Bauhino luteum tomentoſum dicitur, eo præſertim diſcrepans a vulgari, quod flores aureos gignat, quodque frondes habeat caneſcente lanugine coopertas. Eſt autem in eo poſita vis omnis Zanonianæ conjecturæ, quod Abrotani ſimilitudinem Elichryſo ineſſe Dioſcorides ipſe ſcriptis mandaverit: eam porro ſimilitudinem in vulgaribus Elichryſis deeſſe, in hoc tantum Millefolio haberi oſtendit, quod cum etiam reliquis notis haud parum conveniat, ſumma veriſimilitudine pro Elichryſo Dioſcoridis proferri poſſe cenſet. De Elichryſo autem Dioſcoridis hæc habet, a Marcello Vergilio in latinum translata.

Helichryſon ſunt, qui Chryſanthemon, ſunt etiam, qui & hunc Amaranthum vocent. Romani quemadmodum, & Græci Helichryſum, & Heliochryſum appellant, ſimulacra Deorum eo coronantur. Virga eſt brevis, recta, virens, ſolidaque; folia habet ex intervallo anguſta, Abrotano ſimilia, comam in orbem circumactam, aureum colorem oſtendentem; umbellam circinatam, veluti corymbos areſcentes, radicem gracilem. Naſcitur aſperis locis, & aquoſis convallibus (a).

Millefolii lutei deſcriptionem a multis traditam Zanonius prætereundam cenſuit. Hiſpaniam præcipue, ac Narbonenſem Galliam incolit herba hæc, vivitque etiam in hortis noſtris, delato ex iis locis ſemine: quanquam vero perennis eſt, culturæ tamen neglectu facile areſcit.

Mille-

(a) *Lib. IV. cap.* 55.

Millefolium tomentoſum, luteum C. B. Pin. 140. *J. B. III. lib.* 26. *pag.* 138.
Elichryſum Italicum Camer. Epit. Matth. 788.
Stratiotes millefolia, flavo flore Cluſ. Hiſt. 330.
Achillea lutea, tomentoſa, minor, tenuiſſime laciniata Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1720. *pag.* 323.
Heliochriſo vero di Dioſcoride Zan. Tab.

MIMOSA SPINOSA DE PERNAMBUCA.

MImoſas expoſituri, ſive Aeſchinomenes, aut ſentientes herbas vulgo appellatas, quarum in ſuperiori Hiſtoria tres a Zanonio ſunt traditæ, initium a Pernambucenſi ſpinoſa faciemus, quam & Auctor ipſe reliquis antepoſitam voluit. Peregrino hæc in Bononienſibus hortis nata ſemine, ad bicubitalem crevit altitudinem, ſtipite firmo nixa, circa radicem tereti, reliqua ex parte quadrato, haud fere majori, quam calami ſcriptorii craſſitudine, in ramos complures diviſo. Rami & ipſi quadrati erant, & inflexi, crebriſque aculeis rubentibus ad imam partem verſis muniti: in his nodi frequentes inerant, ſinguliſque hærebant cauliculi, modo binos, modo quaternos foliorum ordines ſuſtinentes, quorum unuſquiſque ex vicenis, triceniſque conſtabat, glabris, nonnihil craſſis, læte virentibus, & conjugatis, Acaciæ Americanæ, quæ in hortis noſtris colitur, ſimilitudine. Zanonius, cui minime ignotum erat ejuſmodi foliorum conformationem, haud ſatis poſſe verbis dilucide expediri, omnem eo contulit induſtriam, ut imaginem traderet accuratiſſimam; ac duabus propterea tabulis hanc ſtirpem exprimi curavit. Cum reliquis pleriſque Mimoſis in eo conveniebat, quod vel ab hominibus contrectata, vel a beſtiis, ceteriſque rebus tacta, vel etiam vento ſubagitata, accedentibus invicem conjunctiſque foliorum ordinibus, ac dejectis ad ſtipitem pedunculis quaſi concidens langueſceret. Flores e ſuperiorum frondium ſinu expromere incipiebat in ſpicas digeſtos; verum haud multo poſtea hiemis vis ſtirpem corrupit. Siliquas habuit Zanonius ex Pernambucenſi regione ad ſe miſſas a Michaele Angelo Guattino Regienſi, ac Dionyſio Carlio Placentino, quo-

Tab. 119. 120.

rum uterque religioſo Capucinorum ordini aſcriptus erat (*a*): quadratæ erant autem ejuſmodi ſiliquæ, longitudine unius digiti, aculeis brevibus inſtructæ, ſinuoſiſque ſeminibus fœtæ. Eorum opinioni Auctor aſſenſit, qui veneni vim in hoc ſtirpium genere ineſſe perhibent, conjectura ex eo ducta, quod refugere videantur hominum contrectationem. Perſpicuum eſt autem ex nulla, quam habeant cum homine repugnantia id fieri, ſed natura ipſius ſtirpis; nam quomodocunque tactis frondibus, aut etiam vento commotis, idem plane contingit, quin etiam veſperi, ut in multis leguminoſis, ſua ſponte concidunt folia, neque poſtea uſque ad Solis ortum reviviſcunt.

Mimoſa ſpinoſa, de Pernambuca Jacobi Zanoni Pluk. Alm. 251.
Mimoſa ſpinoſa, di Pernambuco Zan. Iſt. Bot. 144.
Mimoſa ſpinoſa, Pernambucana Zanoni Tour. I. R. H. 606.

MIMOSA JAMAICENSIS.

Tab 121. 122. Pernambucenſi Mimoſæ, de qua adhuc verba fecimus, altera hæc Jamaicenſis ſubjungenda eſt, haud alio fere nomine in hortis noſtris deſignata: ea vero facilius culturæ aſſueſcit quam ſuperior, ac ſemina etiam apud nos ad maturitatem nonnunquam perducit. Annua eſt herba, unius cubiti, ac ſemiſſis altitudine, caule aſpero, ac viridi, ab ima parte ramos fundente, qui ſi forte ſolo fuerint proximi, emiſsis fibris adhæreſcunt: crebri in ſtipite, ramiſque articuli exiſtunt, hiſque petioli inſident, non modo ſenos ferentes, ſed aliquando etiam octonos foliorum ordines, quæ, licet eadem ratione ſint ac in Pernambucenſi Mimoſa diſpoſita, eorum tamen numerus in ſingulis ordinibus major eſt, ſuntque nonnihil ampliora, & longiora, viridia, ferrugineo margine circundata. Attrectata hæc quoque copulatis invicem ordinibus contrahuntur, ſed lente omnino hoc faciunt, neque flexis ad ſtipitem pedunculis concidunt. Septembri menſe ad ſummam herbæ partem cauliculi exurgunt florum primordia ſuſtinentes, mori inſtar coacervata: haud multo poſt flores ipſi explicantur odorati, brevique, ſuccedentibus ſiliquis, decidunt. Neminem adhuc reperi, qui veram iſtiuſmodi florum con-

(*a*) *De iſtorum Virorum itinere in Congum libellus extat Bononiæ editus anno* 1678.

conformationem accurate expoſuerit: atque ut omittam Zanonium, cujus temporibus non ita hæc ſolebant Botanici ſubtiliter perſcrutari, Tournefortius ipſe in eum errorem inductus eſt, ut Mimoſæ, & Acaciæ flores contra omnium fere leguminoſarum ſtirpium conſuetudinem, monopetalos eſſe crederet: & tamen ex quinque petalis eoſdem conſtare certum nobis exploratumque eſt, quemadmodum nos demonſtraturos, de Aſſitra verba facientes polliciti ſumus. In Mimoſa igitur Jamaicenſi res ita ſe habet.

Flores illius duplicis ſunt generis, fertiles alii, alii vero infœcundi: frugiferi flores extremum thyrſum occupant, ſuntque perexigui, calyce nixi viridi, & quinquepartito, quem ipſum florem eſſe credidit Tournefortius; quippe extrema illius ora in quinque dentes diviſa eſt, quorum limbus rubeſcit. De cetero flos ipſe ex quinque conſtat petalis, æqualibus, ac virentibus, duplo longioribus quam ipſe ſit calyx, ſupra marginem ejuſdem elatis, quique ab eo facile ſeparari queant: ſtamina etiam petalis longiora ſunt, rubenteſque, aut fuſcos apices ſuſtinent. Siliquarum rudimenta in mediis latent floribus, vixque propter tenuitatem a reliquis partibus diſcerni queunt. Porro autem ſteriles alii flores iſtos circumambiunt, nihilque habent præter calycem ſimiliter quinquepartitum, ac prælonga quædam petala, & peranguſta, flavi coloris, quorum etiam quinque ſunt in ſingulis floribus hujus generis; cumque iidem ſint grandiuſculi, omne id, quod thyrſo inſidet, ex ipſis conſtitui videtur: duplex hoc florum genus in Opulo inprimis, aliiſque plantis ineſſe obſervatum eſt. Siliquæ frugiferis ſuccreſcunt floribus, ad extremos cauliculos congeſtæ, ut in Farneſiana Acacia, amplæ, recurvæ, & complanatæ, ſeminibus decem, vel duodecim atris, duriſque, ac nitentibus intus occluſis.

Sertorius Antonius Urſatus Patavinus, nobili ortus genere, cujus eruditionis, ac ingenii ampliſſima extant monumenta, primus in Italiam hanc ſtirpem introduxit; ad Zanonium deinde, alioſque illius temporis Botanicos miſit, a quibus propterea Patavina Mimoſa eſt nominata. Quæ in Horti Malabarici nono volumine *Niti todda vaddi* dicitur huic perſimilis eſt, obeſt autem, quod aquatilis ſit herba: quanquam hanc noſtram copioſa irrigatione gaudere comperimus.

Mimoſa Jamaicenſis Zanoni Tour. I. R. H. 606.

Mimoſa di Jamaica Zan. Iſt. Bot. 149.
Aeſchinomene mitis, vel potius Herba caſta Americana, foliolis Acaciæ latioribus, ſiliquis latis, compreſſis, majoribus Breyn. Cent. 1. 46. *Prod.* 1. 38.

MIMOSA SPURIA DE PERNAMBUCA DICTA MIMOSA ITALICA.

Tab. 123. MImoſæ hanc ſpeciem, ſpuriæ Ægyptiacæ nomine, octavo anno, & quinquageſimo ſuperioris ſæculi accepit Auctor: ea vero a pleriſque ſpuria ob eam cauſſam nuncupata eſt, quod cum reliquis Mimoſis externo habitu, ac florendi ratione perſimilis appareat, nullam tamen ſe ſe contrahendi vim habet, niſi quæ Acaciæ nocturnis horis, multiſque præterea leguminoſis ſtirpibus communis eſt. Hyacinthus Ambroſinus effigiem illius non admodum expolitam tradidit in prima parte Phytologiæ, in altera pollicitus etiam hiſtoriam proditurum. Hac poſtea non edita, mortuoque Ambroſino, notitiam iſtius herbæ accuratiore imagine, ac plena deſcriptione pervulgavit Zanonius, poſtquam, iterum acceptis a Michaele Angelo Guattino ſeminibus, germanam illius patriam non Ægyptum eſſe, ſed Pernambucenſem regionem cognoverat.

Eſt autem eadem pene hujus Mimoſæ, quæ Jamaicenſis antea deſcriptæ altitudo, ſi humus eam pinguis exceperit ac ſubacta, ſin vero exili aridoque ſolo commiſſa fuerit, humilior multo, graciliorque remanet. Stipitem habet ima parte teretem, ſumma angulatum, aſperum, viridem, atriſque maculis perfuſum. Ramos juxta radicem fundit frequentibus articulis interciſos, quibus frondes inhærent in plures ordines diſtributæ, quemadmodum in Jamaicenſi Mimoſa; plures autem, decem videlicet, ſingulis cauliculis aliquando inſiſtunt ordines, ex tenuibus foliis, ac prorſus viridibus compoſiti, ea ſpecie, quæ in tabula expreſſa eſt. Qua parte ſtipiti inhærent cauliculi, pinnulæ exiſtunt aculeatæ, ipſiſque geniculis rubicundæ inſident guttæ, ejuſdem ſaporis cum Saccharo: eo humore effuſo, tanquam rubræ cicatrices ſuperſunt. Thyrſos in ſumma parte hæc etiam profert gemino florum ordine, ſterilium videlicet, ac fœcundorum inſtructos, in quibus eandem conforma-

tio-

tionem obſervavimus, ac in Jamaicenſi; pauciores autem ſunt, exilioreſque, ac petalis conſtant, qui ex his frugiferi ſunt, viridibus; ſterilium enim petala exalbeſcunt: ſtamina fœcundis incluſa flavos apices ſuſtinent. Siliquæ ſimul ternæ, quaternæve ſuccreſcunt floribus, prælongæ, & anguſtæ, quarum color initio viridis eſt, per maturitatem fuſcus, ſeminaque intus continent complura, exigua, ac nitentia, minora, quam in Jamaicenſi Mimoſa antea deſcripta.

Mimoſa hæc omnium facillime culturam fert apud nos, flores extrema fundens æſtate, ac ſemina autumno perficiens. Annua eſt, ac ſemine interdum decidente ſua ſponte in hortis propagatur.

Mimoſa ſpuria de Pernambuca, dicta Mimoſa Italica Zanoni Boer. Ind. alt. II. 56.
Mimoſa Italica, ſive Herba viva ſpuria Hyac. Ambroſ. Phyt. 360.
Mimoſa ſpuria di Pernambuco, detta Mimoſa Italica Zan. Iſt. Bot. 151.
Herba caſta Americana, foliolis Acaciæ anguſtioribus, ſiliquis longis, anguſtis, ſemine quadrangulari Breyn. Prod. 1. pag. 38.
Herba mimoſa non ſpinoſa, λεπτομακροκέρατος, ſeu ſpuria de Pernambuca Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 2. pag. 200.

MORINDA MALABARICA AMPLISSIMO CITRI FOLIO.

MOrindæ vocabulo ad hujuſmodi ſtirpem deſignandam uſi ſumus, quod non æque barbarum eſt, ac Malabarica illa, vel Javanica a reliquis uſurpata nomina. Matthæus a S. Joſeph, cujus induſtriæ debemus hanc tabulam, arborem ipſam ad hunc modum deſcripſit. *Tab.* 124.

Atta arbor ſatis magna eſt, ut noſtra Ceraſa, copioſa, & fœcunda: ultra quod pleniſſime onuſtatur foliis, toto anno dat fructus aſpectu quaſi pineæ, niſi quod capſulæ ſunt, quaſi quadratæ, & coloris magis clari: cortex eſt tenuiſſimus, pulpa alba, quæ tota dividitur in cuniculos correſpondentes diviſioni corticis: unuſquiſque cuniculus ſuum includit ſemen, in medio nigrum, oblongum, durum, ut dactyli oſſiculum. Eſt qualitate frigida.

In primo Horti Malabarici volumine abſoluta hujus arbo-

ris deſcriptio eſt, effigieſque magis, ut videtur, ad veritatem expreſſa.

Morinda Malabarica, ampliſſimo Citri folio Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1722. *pag.* 202.
Arbor conifera, Macandou Javanenſium Bont. Hiſt. Nat. & Med. Ind. 97.
Cadapilava H. Malab. I. pag. 97.
Arbor Indica fructu aggregato, conoide, Cadapilava dicta Rai. Hiſt. II. 1442.
Anta, ovvero Atta arbore Zan. Tab.

MYAGRUM SATIVUM.

Tab. 125. IN vetuſtis quibuſdam Dioſcoridis codicibus de Myagro ſcriptum erat, ſemina illud habere cervicem, aut collum præferentia. In ejuſmodi re aliquid ſubeſſe erroris Interpretes rati, græcam vocem, collum exprimentem altera commutarunt, qua Fœnugræcum vulgatiſſimum herbæ genus ſignificaretur; quam quidem ſententiam & Marcellus Vergilius, & Joannes Ruellius, & Valerius Cordus, & plerique ex ſubſequentibus Botanicis amplexi ſunt; quod nempe abſurdam eſſe crederent colli ſive hominis, ſive animalium cum herbarum ſeminibus comparationem. Hermolaus Barbarus, ac Joannes Baptiſta Egnatius veterem retinendam eſſe dictionem arbitrati ſunt, iiſque aſſenſit Zanonius: neque enim proprie colli figuram Myagri ſeminibus Dioſcoridem tribuiſſe credidit, ſed fructibus; eadem prorſus ratione, qua ſemen Antirrhini vituli naribus ſimile eſſe dixerat. Porro autem eam ſtirpem, quæ pro Myagro Veterum habetur talem eſſe oſtendit, ut, non modo conſimile Fœnugræco ſemen habeat, ſed fructu ſuo cervicem, aut caput alicujus volucris repræſentet. Ita etiam diſſentientes inter ſe conciliari poſſe opiniones interpretum affirmat; Ruellius enim, & Anguillara, quamvis contrariæ ſententiæ faventes, quibuſdam tamen locis colli ſimilitudinem & ipſi uſurparunt. Dioſcoridis verba, quibus Myagrum deſcribitur, hæc ſunt.

Myagron aliqui Melampyron vocant: herba eſt ſurculacea, foliis Rubiæ pallidis, tripedanea: ſemen oleoſum Fœnogræco, (vel collo) ſimile, quod contuſum igni torrent, peruncti ſque virgis ad lucernarum

narum lumina utuntur. Hoc pingui ſcabritias corporis lævigari, atque expoliri conſtat (*a*).

Eam porro ſtirpem, quæ vulgo ſativum Myagrum dicitur, verum eſſe ac germanum Dioſcoridis Myagrum Zanonius exiſtimat; conjectura non a ſeminum figura ducta, ut reliquis placuit, ſed a fructus conformatione, quem, cum volucris capite comparari poſſe oſtendit. Congruere etiam hanc ſtirpem cum Veterum Myagro planum facit, quod magna ex ipſius ſemine olei vis eliciatur; ex quo fit, ut in Ticinenſi agro, aliiſque locis eam ſerere nunc etiam conſuetudo ſit.

Deſcriptionem ſativi hujus Myagri, vulgaris herbæ, & ubique notiſſimæ Auctor prætermiſit: imaginem in tabula effingi voluit, ceteris, quæ antea extabant, ut ipſe inquit, accuratiorem. Graciliorem tamen expreſſit ſtirpem, qualem & ipſi non ſemel in fictilibus vaſis provenientem vidimus: habitior autem fit, elatiorque fœcundiori ſolo commiſſa. Annua eſt herba, folia habens ſubaſpera, luteoſque flores, fructus utriculorum ſpecie, bifariam ſepto diviſos, ſemina exilia, rufa, & olei plena: ſingulis annis apud nos in hortis ſeritur; aliquando etiam in agris reperta, ſemine, ut creditum eſt, cum peregrinis frugibus illuc delato.

In Zanoniana tabula aliarum quoque ſtirpium imagines ſunt, quas ille ad Myagri genus revocandas cenſuit, de quibus omnibus ſeparatim agendum eſt. Exiguus autem ille ramus, floribus carens, qui eſt ad quintum numerum poſitus (*b*), Myagrum, ut inquit Zanonius, repræſentat a Lobelio in Obſervationibus anguſtifolium dictum. De cetero nullam in eo libro iſto nomine herbam reperimus, niſi forte ea fuerit, quam *Thlaſpi effigie Myagrum alterum* appellavit; eademque a Tournefortio *Turritis Leucoii folio* nuncupata eſt, annua herba in hortis noſtris frequens, quæ, cum in Zanoniana tabula vix ita exprimatur, ut cognoſci poſſit, haud quidquam amplius de ipſa proferendum cenſemus.

Myagrum ſativum C. B. Pin. 109.
Camelina, ſive Myagrion Dod. Pempt. 532.
Myagrum Lob. Obſerv. 111.
Myagrum dictum Camelina J. B. II. 892.
Myagrum Turcicum ejuſd. II. 893.

Alyſſon

(*a*) *Dioſc. interpr. Ruel. lib.* 4. *cap.* 102. (*b*) *Tab.* 125. *fig.* 5.

Alyſſon ſegetum foliis auriculatis, acutis Tour. I. R H. 217.
Miagro degli Antichi ſecondo alcuni Moderni Zan. Iſt. Bot. 134.

MYAGRUM HUMILE FRUTICOSUM ROSA HIERICHO DICTUM.

Tab. 125. *fig.* 1. 2. INter Myagri ſpecies eam ſtirpem numeravit Zanonius, quæ Roſa vulgo Hierichuntis appellatur, quo eam nomine duobus tribuſve ab hinc ſæculis peregrinatores quidam ex Orientalibus terris in Europam afferre conſueverunt: quaſi divina illa Eccleſiaſtici verba, quibus plantatio Roſæ in Hiericho celebratur, ad exilem hanc, ſtrigoſam, aſperamque ſtirpem accomodari poſſent. Zanonius quam ſit improbabilis hæc opinio oſtendit, tum quia nulla prorſus eſt huic herbæ ſimilitudo cum Roſis, tum quia longe ab iis locis naſcitur, in quibus olim Hiericho fuit; quum eam ſe tantum in deſertis Arabiæ litoribus reperiſſe Petrus Belonius ſcriptis mandaverit. Ceterum illa Eccleſiaſtici verba non peculiarem aliquam ſtirpem, ſed Roſam ipſam hortorum purpuream denotare ſatis perſpicuum eſſe putat: quod ſcilicet memoriæ a pleriſque ſit proditum totam illius urbis viciniam amœniſſimis roſariis conſitam fuiſſe: Divinam itaque ſapientiam de ſe ita loquentem Eccleſiaſtici Scriptor inducit *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, quaſi Cypreſſus in monte Sion, quaſi Palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio Roſæ in Hiericho.* Quæ omnia myſtica ſignificatione, de Virgine Sanctiſſima Dei Genitrice intelligenda eſſe, Catholicæ Eccleſiæ auctoritate firmatum eſt. Richardus igitur a S. Laurentio in eo libro, quem de Sanctiſſimæ ejuſdem Virginis laudibus ſcripſit, hujuſmodi ratione Eccleſiaſtici verba explicavit. *Maria roſa dicitur, & non quælibet, ſed Hierichuntina, quia in Hiericho naſcuntur roſæ pretioſiſſimæ, habentes centum quinquaginta folia.* Ex quo in eam opinionem Zanonius facile inductus eſt, ut Roſam, cujus in ſacris literis plantatio fuiſſe in Hiericho dicitur, Batavicam eſſe, centifoliam vulgo dictam, ſuſpicaretur.

Porro eam ſtirpem, quæ vulgo Roſa Hierichuntis dicitur, Amomum eſſe alii Veterum crediderunt, quorum pariter ſententiæ Zanonius refragatur. Verum ob fructus conformationem, quo exprimitur quodammodo volucris caput, ad Myagrum

Dioſco-

Dioſcoridis referendam eſſe cenſet; eamque iccirco Myagrum Arabicum nominat: Leonardus quoque Plukenetius ad hanc ſtirpem deſignandam Myagri vocabulo uſus eſt. Camerarius, Moriſonus, ac Tournefortius ad genus eam Thlaſpi ſpectare exiſtimarunt; verum peculiaris illi omnino eſt fructus figura, ut proprio, certoque eam nomine appellare præſtabilius ſit, quod a Carolo Linnæo non multis ab hinc annis factum poſtremo cognovimus. Zanonius deſcriptionem illius attulit nullam, quod ſatis unicuique notam eſſe crederet. Nos etiam haud ſemel in hortis Bononienſibus procreatam vidimus, annuam herbam, ſurculis brevibus, foliis craſſis, caneſcentibus, ac ſinuoſis, floſculis albis, ac tetrapetalis, fructibus bifariam ſepto diviſis, geminis pinnulis ſive auriculis ad ſummam partem inſtructis. Quam ex Orientalibus terris aridam, ac frondibus ſpoliatam afferunt, durior multo ac rigidior eſt, complureſque ramos habet in roſæ ſimilitudinem conglobatos; unde falſum Hierichuntidis Roſæ nomen ductum videtur. Si radix ita exſiccatæ in aquam demergatur, attracto per fibras humore, tota explicatur, rurſuſque ſe in priſtinam ſpeciem conformat, poſtquam ex aqua ſublata eſt.

In eadem tabula Zanonius hanc ſtirpem cum ſativo Myagro delineavit. Ad numerum primum talis expreſſa habetur, qualem ex Arabiæ litoribus Advenæ quidam exſiccatam afferre ſolent; fructibus, ac ſeminibus ſeparatim poſitis. Ad numerum ſecundum ramus ejuſdem herbæ delineatus cernitur frondibus veſtitus; ad ſextum denique numerum (*a*) ignotiſſimæ cujuſdam plantæ imago eſt poſita Roſæ Hierichuntidi vulgo dictæ ſimilis, ex Joannis Bauhini Hiſtoria deprompta; qui de illa memoriæ hæc prodidit (*b*).

Bry fratribus Icon. 4. *part. Ind. Orientalis ſcribentibus: in inſula S. Laurentii plantam Hollandi copioſe invenerunt, & vocarunt Blatterlas, quia nulla folia exacte habeat: teneriores ramulos ſcorbuti curationi adhibuerunt, non ſine effectu.*

Myagrum humile, fruticoſum, Roſa Hiericho dictum Pluk Almag. 248.
Amomum Cordi in Dioſcor. 3. *Hiſt.* 195.
Amomis Dioſcoridis, & Plinii Cæſalp. 56.
Roſa Hierichuntica Cam. Hort. Ic. 41.
Roſa Hierichuntea vulgo dicta C. B. Pin. 484.

Roſa

[*a*] *Tab.* 125. *fig.* 6. [*b*] *J. B. Hiſt. II. pag.* 209.

Roſa Hiericho J. B. II. 209.
Miagro Arabico, detto impropriamente Roſa di Gierico Zan. Iſt. Bot. 238.
Thlaſpi Roſa de Hiericho dictum Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 2. *pag.* 328. *Tour. I. R. H.* 213.
Anaſtatica Roy. Fl. Leyd. Prod. 331.

MYAGRUM HUMILE, FRUTICOSUM, ROSA HIERICHO DICTUM MINUS.

Tab. 126. ABſoluta Roſæ Hierichuntidis explicatione, ad ſtirpem alteram Zanonius perrexit conſiderandam, quæ Roſa pariter Hierichuntica ſylveſtris dicta erat; eam quoque Myagris adjiciendam, propter fructus ſimilitudinem arbitratus. Effigies illius a Joachimo Camerario tradita extabat, qui acceptis a Leonardo Rauvolfio e Syria ſeminibus, in Germaniæ hortos primus invexerat: deſcriptio autem apud ſuperiores Botanicos accuratior nulla erat, ut eam Zanonius ex propria obſervatione conficere optimo jure inſtituerit: ea vero ſic latine a nobis reddita eſt.

Multa in hac ſtirpe e radice truduntur folia ſimul juncta, Myagro ſativo conſimilia, ea magnitudine, quæ in tabula expreſſa eſt, in qua veriſſima totius herbæ menſura deſignatur. Caulis ad palmi unius cum ſemiſſe altitudinem effertur, gracilis, teres, ac firmus, albeſcente cortice obductus. Rari in eo articuli ſunt, non æque inter ſe diſtantes, quibus frondes inſiſtunt ad inferiorum ſimilitudinem conformatæ, anguſtiores, ſubaſperæ, averſa parte albeſcentes, brevibuſque petiolis nixæ. Circa ſummam partem incurvi quidam e foliorum ſinu petioli prodeunt, quibus alterno ordine, nullis plerumque frondibus interpoſitis, floſculi adhærent, perexigui, candidi, ex quattuor petalis conflati, quorum ea tenuitas eſt, ut vix microſcopio diſcerni queant. Hos poſtea cadentes fructus excipiunt pene rotundi, albeſcentes, crebris, minutiſque aculeis hiſpidi: ad verticem unuſquiſque eorum majorem aculeum habet, ceteriſque robuſtiorem, aduncum, roſtri ſpecie, unde ſimilitudo cum avis capite exiſtit: unum, vel alterum ſemen, idque fiſſum, ac ſinuoſum his fructibus includi Zanonius affirmat, ex quo conjici poteſt

poteſt bifariam ſepto eos dirimi. Radix tenuis eſt, pauciſque fibris inſtructa: ſapor is fere, qui in Raphano, aut Siſymbrio percipitur.

Annua eſt herba, Majo florens, Julio fructus perficiens. Semen illius a Joanne Maria Ferro, Veneto Pharmacopæo ad Zanonium miſſum eſt, qui ad ſe Negotiatorem quendam e Sumatra inſula attuliſſe narrabat.

Quod in Roſa feci Hierichuntide, ut Myagris ipſam adjungerem, Zanonii pariter, ac Plukenetii auctoritate permotus, in hac quoque ſtirpe faciendum putavi: neque enim veriſimile illud videbatur, de quo dubitare ſe dixit Tournefortius, Cochleariæ ſpeciem eſſe: quanquam ne ad Myagrum quidem pertinere cenſeo. Sed in re incerta, ac obſcura eam rationem ſecutus ſum, quæ ad Zanonianas tabulas explicandas opportunior viſa eſt. De cetero Myagri nomen ſativi illius, de quo initio dixi, proprium eſſe malim, quam monoſpermi, vulgo ita appellati: ſativum enim a multis jam ſæculis ita nuncupatum eſt, ejuſque oleum in varios medicinæ uſus commendatur. Nec vero tantopere congruit cum Alyſſis, quemadmodum Tournefortio viſum eſt: quin potius, ob diſſimilitudinem externi habitus, omnino ab ipſis ſejungendum exiſtimo.

Myagrum humile, fruticoſum, Roſa Hierico dictum, minus Pluk. Almag. 248.
Roſa Hierichuntica alia Cam. Hort. 147. *Tab.* 42.
Roſa Hierichontea, ſylveſtris C. B. Pin. 484.
Miagro di Sumatra, e di Soria, di ſeme ſpinoſo, ſimile al capo di uccello, impropriamente detto Roſa di Gierico ſilveſtre Zan. Iſt. Bot. 142.
an Cochlearia Orientalis, flore minimo Tour. Coroll. I. R. H. 15.

MYRRHIS SYLVESTRIS SEMINIBUS LÆVIBUS.

MYrrhidis hæc ſpecies, quam alii Chaerophyllis annumerarunt, vulgaris herba eſt apud Germanos: ſed neque in montibus noſtris, neque in ſylvis, quod ſciam, ſponte naſcitur. Zanonius, quum a Jacobo Barreliero Pariſienſi, claro, & nobili *Tab.* 127.

Botanico, ex religioſo S. Dominici ordine, qui tunc Romæ commorabatur, ſemina hujus herbæ accepiſſet, primus eam introduxit in Bononienſes hortos; cumque in Veterum tabulis minus affabre expreſſam cerneret, novam ipſe confici voluit, in qua perampla inprimis hujus herbæ radix, ramuſque foliis, ac floribus, itidemque ſeminibus inſtructus delinearetur: eam nos tabulam in commentariis Auctoris repertam, addita ſtirpis ipſius deſcriptione, in medium adduximus.

Radix hujus Myrrhidis, ubi ad ſummam pervenit magnitudinem, grandis, & ampla eſt, Raphano vulgari æqualis, ex qua complures ab ima parte erumpunt caudæ, tenuibus fibris circumſeptæ: cortice tegitur flaveſcente, aut pullo, cui medulla alba ſubjecta eſt, & ſuccus ex ipſa lacteus, craſſuſque emanat. Complura ex hujuſmodi radice emergunt folia in multas, tenueſque partes diviſa, vulgaris Cicutæ, aut Myrrhidis ſpecie, glabra, ac nitentia, atraque viriditate prædita. Caulis humanam longe ſuperat altitudinem, inanis intus, & cavus, raris nodis, ac tumentibus interciſus, colore ad imam partem ſanguineo, reliqua ex parte viridis, rubentibus lineis varius. Caulis ipſe in ramos dividitur, ejuſque geniculis inhærent frondes tenuiſſime diſſectæ, aliquando in ſummis nodis ex adverſo oppoſitæ, quod paucis admodum umbelliferis ſtirpibus commune eſt. Flores candidos pentapetalos, ac minutiſſimos in umbellæ ſimilitudinem coagmentatos profert; eoſque ſemina longiuſcula, acuminata, gemina, ut in reliquis umbelliferis, ac ſtriata ſubſequuntur. Odor totius herbæ Apio conſimilis eſt, gravior ſi digitis conteratur, qualis fere eſt in Cicuta.

Perennis herba eſt, ac diuturnæ vitæ. In hortis noſtris nunc admodum frequens habetur, umbroſis, humentibuſque locis gaudens, in quibus Aprili, & Majo flores emittit.

Myrrhis ſylveſtris, ſeminibus lævibus C. B. Pin. 160.
Myrrhis Fuchſ. Hiſt. 525.
Chaerophyllum ſylveſtre, perenne, Cicutæ folio Tour. I. R. H. 314.
Mirride latticinoſa, con radice di Rafano Zan. Tab.

MYRRHIS PASTINACÆ FOLIIS LÆTE VIRENTIBUS.

MYrrhis hæc a Tournefortio nuncupata eſt in Corollario, quam in ſuperiori Hiſtoria Daucum Paſtinacæ folio Zanonius appellaverat: rarum, plane, & elegans umbelliferæ ſtirpis genus, a Paulo Bocconio in Sicilia adinventum: illius forma, quantum ex deſcriptione colligitur, iſtiuſmodi eſt. *Tab.* 128.

Frondes e radice complures gignit ad terram inclinatas, longis nixas cauliculis, ac multifariam diviſas, ut in pleriſque umbelliferis, ſolidas, craſſas in ſuperiori facie læte virentes, ac nitidas, in averſa albeſcentes, venis cum a ſe invicem recedentibus, tum iterum concurrentibus notatas, rigidiſque dentibus in margine inſtructas; non multum, ſi de inferioribus ſermo ſit, a minori Tragoſelino diſſidentes. Caulis inter hæc folia cubitalis, aut major extollitur, teres, ac firmus, paucis nodis interſectus, in ramos etiam diviſus, quibus frondes innaſcuntur paulo minores, neque diſſimili a reliquis fabrica, niſi quod in ſummis caulibus poſitæ profundioribus inciſæ dentibus appareant. Flores in umbellas diſpoſitos gerit croceos, ex quinque petalis coagmentatos, quæ umbelliferarum ſtirpium natura eſt: eoſque brevi decidentes ſemina longiuſcula, glabra, octonis angulis diſtincta, ac ubique gemina excipiunt. Radicem habet minori digito æqualem, tenujoris Raphani ſpecie, multiſque veluti annulis inciſam: ſapore eſt acri, & aromatico, neque prorſus injucundo, qualis fere eſt in vulgari Petroſelino. Perennem eſſe ait Zanonius, nec tamen diu ſub hoc cœlo vivere, id quod veriſimum eſſe perſpeximus: quippe non ſemel in hortis noſtris ſemine exorta, ad tertium, quartumve annum vitam protraxit, ac poſtea nullis editis ſeminibus periit.

Myrrhis Paſtinacæ foliis læte virentibus Tour. Coroll. I. R. H. 22.
Dauco Siciliano, con foglie di Paſtinaca Zan. Iſt. Bot. 78.
Sium Siculum Lin. Sp. 362.

NASTURTIUM ORIENTALE FOLIIS INFERIORIBUS MILLEFOLIUM SUPERIORIBUS PERFOLIATAM REFERENTIBUS.

Tab. 129. NAſturtii hæc ſpecies, ubi primum ſemine orta eſt, folia complura gignit, viridia, humi ſtrata, mollia, in tenues lacinias diviſa, Millefolii, vel Chamæmeli non diſſimilia, ea magnitudine, quam tabula repræſentat. Ex his mediis, pubeſcente ſtirpe, caulis exurgit cubitali altitudine, tenuis, & glaber, ad imam partem rubens, multiſque ramis circumſeptus, quem variæ omnino, ac multiformes conveſtiunt frondes; etenim quæ juxta radicem ſunt, vix a primis antea memoratis diſcrepant: has deinceps aliæ ſubſequuntur ſuperiori loco poſitæ, ſic fere diſſectæ, ut in eo Naſturtio, quod ſylveſtre capſulis criſtatis Tournefortius nuncupavit. Ad ramorum divaricationem folia ab his plane diverſa exiſtunt, paucis neque admodum profundis laciniis diviſa; eademque in ſumma herbæ parte, integra uſquequaque, ac ſubrotunda, ramos circumambiunt; non ſic porro ut caulibus per eadem ductis plane concurrant, quemadmodum fit in Perfoliata: tametſi cum ea ſtirpe folia iſtius Naſturtii haud inepte comparavit Tournefortius. Flores minutiſſimos ad extremos ramulos congregatos habet, ex quattuor petalis luteis conſtantes, quos deinde cadentes fructus tenues, ac depreſſi excipiunt, bifariam ſepto diviſi, pauciſque ſeminibus fœti: primis floribus decidentibus, mox deinde ſuccedunt alii, ut longa ad extremum florum ſpica efficiatur. Radix tenuis eſt, pauciſque fibris conſtans: ſaporem habent folia acrem, ut Raphanus, ſemina fere vehementiorem quam Sinapi.

Annua eſt herba, quæ ſeminibus decidentibus Autumno in hortis naſcitur, ac Majo poſtea ſubſequentis anni flores edit; nec multo poſt perfectis ſeminibus perit: acrior hiems aliquando ipſam corrumpit. Quod ſi verno tempore ſata paucis menſibus ad frugem venire coacta fuerit, multo exilior, & gracilior manet, quemadmodum ſæpius experti ſumus. Habuit Zanonius hanc ſtirpem a Philippo Donnino, Magni Hetruriæ Ducis hortorum Præfecto; Tournefortius autem eam ſe apud Armenos in ædium impluviis ſponte naſcentem vidiſſe ſcriptis mandavit (*a*).

Zano-

(*a*) *Voy. Lev. T. III. pag.* 186.

Zanonius id maxime egit, ut oſtenderet hanc herbam verum eſſe Thlaſpi a Dioſcoride, ac Veteribus memoratum; quæ autem vulgo habetur pro Thlaſpi, non diſſimilem quidem ab eo ſtirpem, ſed neque etiam, quod foliis laciniatis careat, eandem prorſus eſſe. Dioſcoridis verba a Marcello Vergilio in latinum translata hæc ſunt. *Brevis, & exigua herba Thlaſpi eſt, foliis anguſtis, digitali longitudine, in terram verſis, in ſummo inciſuris diviſis, & modice pinguibus; caule tenui, duorum dodrantum altitudine, paucis in eo adnatis, & circa caulem fructu, in ſummo modice lato, in quo exiguum ſemen eſt Naſturtio ſimile, diſci figura, ac veluti infractum, unde nomen invenit* (a).

Naſturtium Orientale, foliis inferioribus Millefolium, ſuperioribus Perfoliatam referentibus Tour. I. R. H. 214.
Lepidium foliis caulinis pinnato-multifidis, ramiferis cordatis, amplexicaulibus, integerrimis Linn. H. Cliffort. 331. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 335.
Tlaſpio di Dioſcoride, o ſia Naſturzio de' tetti di Serapione Zan. Iſt. Bot. 191.

NATONGA ACULEATA INDIÆ ORIENTALIS.

BArbaro hæc nomine in tabulis Matthæi a S. Joſeph, ut aliæ pleræque, notata eſt, breviſque imagini appoſita iſtiuſmodi deſcriptio. *Tab.* 130.

Natonga arbor eſt magna, ſpinoſa, habens folia parvula, & rotunda: non habet flores, ſed capſulas, ex quibus egrediuntur fructus rotundi, magni, coloris flavi, corticis duri, ut coccus; ad cujus etiam modum medullam duram continet, quæ exſiccata ad ſolis ardorem ſaporem reddit acidum, ut Tamarindus.

Natonga aculeata, Indiæ Orientalis.
Natonga arbore Indiano Zan. Tab.

NEL-

(a) *Lib.* 15. *cap.* 45.

NELLIKA ACACIÆ FOLIIS FRUCTU MOLLI GLOBOSO.

Tab. 131. NEllika in libris Matthæi a S. Joſeph, de quo ſæpe jam diximus, accuratius fere eſt, quam reliquæ adhuc memoratæ ſtirpes, delineata. Argumento eſt imago ejuſdem arboris in primo volumine poſita Horti Malabarici, inter quam, ac Matthæi tabulam vix ullum diſcrimen intercedit. Nomen etiam haud plane diſcrepat: quippe in eo libro *Nilicamaram* dicitur, ex quo *Nellika*, literarum haud magna commutatione, factum videtur. Hiſtoria hujus arboris in Matthæi commentariis ad hunc modum conſcripta eſt.

Eſt arbor in Oriente vocata Nellika, altitudine mediocri, producens folia parvula, lenia, & oblonga, ut Tamarindi; fructus vero quaſi racematim in foliorum cauliculis appenſos: ſunt autem foris in ſex partes delineati, quibus reſpondent in oſſe incluſo ſex itidem lineæ, ſeu ſpiculi, quorum tres ceteris eminent, in quibus ſemina alba, parvaque includuntur: dum immaturus eſt ſaporem habet aſperum, & agreſtem, & licet re vera talis ſit, poſt guſtum tamen excitat ſaporem placidum, & ſuavem: dum vero maturus eſt, fiunt ex ipſis condita cum ſaccharo, cor apprime corroborantia, & refrigerantia. Exſiccantur, reconduntur, ad fluxus ventris ſiſtendos, facta ex eis decoctione, & epota; & pro quocumque præternaturali fluxu per inferiora facto puto præſentaneum eſſe remedium. Item facta fructuum coctione ſi loco balnei adhibeatur, humores alterati ſedantur, refrigerantur, & extenuantur.

Nellika Acaciæ foliis, fructu molli, globoſo.
Nellika Zan. Iſt. Bot. 154.
Nilicamaram H. Malab. I. pag. 69.
Arbor Acaciæ follis, Malabarica, fructu rotundo, ſemine triangulo Syen. in not. Hort. Malab. I. pag. 70.

OSMUNDA MAJOR AMERICANA FOLIIS DENTATIS.

QUæ in hac tabula Americanæ Oſmundæ imago ſiſtitur ad ſiccum exemplar efficta eſt, quod apud Petrum, & Michaelem Angelum Pierios Lucenſes Pharmacopæos Auctor inſpexit. Peramplum erat folium, cubitali longitudine, latitudine autem palmari, in multas partes diviſum, pinnarum ſpecie, ut in vulgari Oſmunda, omnique Filicum genere: ſingulas autem pinnulas habebat dentatas, Aſplenii frondibus conſimiles, at multo majores. Aderant pariter & ramuli, quibus tanquam racemis capſulæ rotundæ, nigri coloris, coriandri magnitudine inhærebant. His autem perſimiles erant capſulæ quædam aut ſemina, quæ Americanæ Filicis bacciferæ nomine, cum eodem Zanonio Alexander Balamius olim communicaverat, & ex quibus terræ commiſſis nihil omnino procreatum fuerat. *Tab.* 132.

De cetero hanc ſtirpem inter Oſmundas potius, quam inter Filices numerandam eſſe, ex racemis aut ſpicis, quas profert haud obſcure intelligitur.

Oſmunda major, Americana, foliis dentatis.
Felce dell' America, con faccia d' Oſmunda Zan. Tab.

PALMA INDICA FOLIO BICOMPOSITO FRUCTU RACEMOSO.

PAlmæ genus a Luſitanis, Bramanica ut opinor voce, Birli appellatum, quod in ſuperiorem Hiſtoriæ ſuæ partem retulit Zanonius, plane idem eſſe cenſeo, quod in primo Horti Malabarici volumine *Schunda-panæ* vocabulo deſignatur: quandoquidem ſola hæc inter Palmas, de quibus fit mentio a Botanicis, eam habet frondium conformationem, quam Zanoniana exprimit tabula. Imaginem iſtam, nulla deſcriptione adjuncta, Matthæus a S. Joſeph delineavit; Zanonius autem id ſibi præterea narraſſe ſcribit Valerium a S. Joſeph Religioſum hominem ejuſdem ordinis, qui poſtquam ex India deceſſerat, Bononiæ *Tab.* 133.

ali-

aliquandiu commoratus eſt, hanc Palmæ ſpeciem apud Malabares reperiri, ejuſque folia ab incolis illius regionis pro flabellis adhiberi: quod ego in hanc Palmam vix convenire exiſtimo, ſed potius in eam, quæ *Codda-panna* in tertio volumine Horti Malabarici dicta eſt; cujus prægrande folium flabello ſimillimum in ædibus Inſtituti ſcientiarum Bononienſis aſſervatur.

Palma Indica folio bicompoſito, fructu racemoſo Rai. Hiſt. II. 1365.
Palma Indiana, chiamata da' Portogheſi Birli Zan. Iſt. Bot. 159.
Schunda-pana Malabaribus, Birala-mado Bramanibus H. Mal. I. pag. 15.
Palmæ dactyliferæ ſpecies, fructu acerrimo Syen. in not. H. Mal. I. pag. 16.
Schudapanna Indica, folio bicompoſito, flores, & fructus in oblongis palmitibus gerens Ponted. Anthol. 152.

PARCOL INDIÆ ORIENTALIS ARBOR.

Tab. 36. *fig.* 2. PArcol Indiæ Orientalis arbor, in libello Matthæi a S. Joſeph, his verbis deſcripta habetur.

Parcol arbor ſylveſtris lignum habet aſperum, fructus producit parvulos, figura, & guſtu noſtro Hypomelidi ſimiles; ſed parum trigonales, & dulciores: flores emittit pulcherrimos, quattuor foliis compoſitos, ex quorum medio exeunt virgulæ, oblongæ, ſanguineæ: radix eſt multum medicinalis.

Parcol Indiæ Orientalis arbor.
Parcol arbore Indiano Zan. Iſt. Bot. 159.

PHASEOLUS INDICUS FLORE COCCINEO SILIQUIS ANGUSTISSIMIS ET LONGISSIMIS FRUCTU MINIMO.

Tab. 134. PHaſeoli hæc ſpecies eo ſemine in Bononienſibus hortis prognata eſt, quod in Pernambucenſi regione collegit Michael Angelus Guattinus, in religioſo Capucinorum ordine nomen ſuum profeſſus. Zanonius novam eſſe intelligens, facile indu-

ctus

ctus eſt, ut pro altera Hiſtoriæ ſuæ parte ſtirpem reſervaret, ipſamque ad hunc fere modum deſcriberet.

Radice nititur tenui, ex longis albeſcentibus fibris coagmentata, ex qua caules attolluntur ad quattuor cubitorum altitudinem, teretes ac ſtriati, ad imam partem aſperi, ac ſubhirſuti, reliqua ex parte læves, & glabri; qui tametſi prælongi, gracileſque ſunt, vix tamen vicinis ſtirpibus incumbere, atque iiſdem circumvolvi, ut pleræque Phaſeoli ſpecies, neceſſe habent. Multi in iis, frequenteſque nodi occurrunt nullo ordine diſpoſiti, quibus inſiſtunt frondes, ternæ ubique in ſingulis petiolis, pro conſuetudine ſtirpium hujus generis. Sunt autem hæc folia longe minora, quam in vulgaribus Phaſeolis, Trifolii bituminoſi frondibus conſimilia, non adeo acuminata, viridia, ad partem averſam albeſcentia, ac purpureo limbo circundata. Flores in ſpicas digeſtos habet papilionaceos, non eos quidem diſſimiles a reliquis ejuſdem generis, ex amplo vexillo, geminis alis, & carina compoſitos, purpurei rubrive coloris: Ejuſmodi flores ad Solis ortum panduntur, veſpere langueſcentes decidunt, ſuccedentibus in eorum locum ſiliquis tenuibus, & longis, quales in tabula expreſſæ habentur: ſemina minuta ſunt, ac longiuſcula, ad utrumque extremum retuſa, fuſca, lineis nigris, punctiſque notata; nonnulla etiam in his ſunt nigri prorſus coloris: recentium ſapor dulciculus eſt, neque in cibis aſpernandus. Ut reliquæ pene omnes Phaſeoli ſpecies, eodem quo nata eſt anno, perfectis ſeminibus extinguitur.

Huic plane congruentem Phaſeoli ſpeciem inter exſiccatas reliquas ſtirpes Parens meus habet, quam domeſtico in horto multis ab hinc annis vixiſſe meminit, ſemine a Joanne Baptiſta Triumphetto ad ſe miſſo. Quæ autem nota ſemini aſcripta erat, Phaſeolum eſſe ſignificabat a Joanne Georgio Volkamero in Flora Norimbergenſi, Indicum flore coccineo ſiliquis anguſtiſſimis, appellatum.

Phaſeolus Indicus, flore coccineo, ſiliquis anguſtiſſimis, & longiſſimis, fructu minimo Volkam. Fl. Norimb. 328.
Fagiuolo di Pernambuco Zan. Tab.

PHLOMIS NARBONENSIS HORMINI FOLIO FLORE PURPURASCENTE.

Tab. 135. SIderitidem Perſicam odoratam in ſuperiori libro deſcripſit Zanonius, eamque a Sideritide Monſpelienſi, ſive Herba venti Lugdunenſis Hiſtoriæ diſtinguendam cenſuit; tum quia ex Orientalibus terris ſemen iſtius herbæ acceperat, tum quia notis quibuſdam haud plane congruere cum Lugdunenſium deſcriptione viſa eſt. Ceterum quæ in Bononienſibus hortis Herba venti appellata, nobis adoleſcentulis, colebatur, quantum ex ramis, quos adhuc ſervamus colligi potuit, haudquaquam erat a Zanoniana diſſimilis: ut minime veriti ſimus Joanni Raio aſſentiri, qui has ſtirpes inter ſe non differre ſuſpicatus eſt; de qua etiam re Zanonium ipſum ſupremis temporibus dubitaſſe, notæ quædam in adverſariis relictæ, haud obſcure declararunt.

E radice hujus plantæ multa prodeunt folia, palmari longitudine, in ambitu exiguis dentibus inciſa, Balſamitæ hortenſis ſimilitudine, rigida, ac firma, in ſupina facie viridia, ac nitentia, in averſa autem cinerea lanugine cooperta, ex quibus contritis gravis quidam, & reſinæ conſimilis emanat odor. Caules ad duorum altitudinem cubitorum aſſurgunt, quadrati, ad imam partem virides, ad ſummam autem rubentes, & hirſuti, multiſque nodis interſecti; his folia inſident ex adverſo oppoſita, anguſtiora multo, ac longiora iis, quæ prope radicem pullulant; ejuſdemque coloris, at multo rigidiora, ut æneas bracteas quodammodo præſeferant; ſæpe etiam convoluta in ea quam habent flexione facile perſeverant, a qua ſi dimovere quiſquam conetur, ſibi ipſis relicta confeſtim ad ipſam redeunt. Circa nodos caulium præſertim ſuperiores, extremis plerumque exceptis, flores exiſtunt hirſutis calycibus, quinquepartitis, & aculeatis nixi; quorum eadem figura eſt, quæ in Phlomide Tournefortii, quod Verbaſcum etiam Salviſolium nuncupari ſolet. Sunt autem longe minores, extrinſecus hirſuti, ac nonnihil albeſcentes: his poſtea quam deciderunt, ſemina in calycibus quaterna, longiuſcula, ad alteram partem acuminata ſuccedunt. Radicem longam habet ex multis fibris conflatam, adſtrictorii ſaporis. Perennis herba eſt, Junio, ac Julio florens, autumno ſemen perficiens.

Phlo-

Phlomis Narbonenſis, Hormini folio, flore purpuraſcente Tour. I. R. H. 178.
Sideritis Monſpelienſium Hiſt. Plant. Lugd. 1120.
Herba venti, Parietaria Cordi, Sideritidis genus ibid.
Herba venti Lob. Ic. 532.
Marrubium nigrum, longifolium C. B. Pin. 230.
Herba venti Monſpelienſibus J. B. III. Append. 838. *Rai. Hiſt.* 562.
Siderite di Perſia, odorata Zan. Iſt. Bot. 184.
Sideritis Perſica, odorata Zanoni Rai. Hiſt. 562.

PIMPAL SIVE PIPAL INDIÆ ORIENTALIS.

DE hac ſtirpe in commentariis Matthæi a S. Joſeph narrationem iſtam invenimus. *Tab.* 136.

Hanc plantam ob beneficium ab ipſa receptum non omittendam putavi; cum enim ex navigatione maris Perſici, & continua ſalſarum rerum comeſtione, mihi crura plena plagis, & ulceribus aperta eſſent, magna cum moleſtia, hæc ſola mihi applicata plagas purgavit, ſanavitque. Naſcitur prope aquas, vel ut Hedera in parietibus: folia ſunt quaſi Hederæ, & longam habent caudam in ſummitate: multum medicinalis eſt, pro febre, & dolore pedum. Flores vinati ſunt, ſive roſei.

Niſi florum mentio fieret, poſſet quiſpiam ſuſpicari non eſſe hanc arborem ab ea Ficu diverſam, quæ *Arealu* in primo volumine Horti Malabarici nuncupatur.

Pimpal, ſive Pipal Indiæ Orientalis.
Pimpal arbore Indiano Zan. Tab.

PIMPINELLA CANADENSIS SPICA LONGA RUBENTE.

PImpinella hæc Zanoniana, etſi non parum cum ea convenit, quam Jacobus Cornutus in ſtirpium Canadenſium Hiſtoria pertractavit: tamen eas inter ſe differre ex utriuſque deſcriptione haud obſcure colligitur. Altera enim a Cornuto *Tab.* 137.

propoſita, ſpicas longiores habet, gracilioreſque, ac nonnihil acuminatas, viridibus floribus, ſive albeſcentibus refertas: altera, de qua hoc loco ſcribere ingreſſi ſumus, breviores, habitioreſque gignit, ad extremam partem retuſas, purpurei, rubentiſve coloris. Sed & eas inter ſe diverſas eſſe, cum Joncquetus, Moriſonus, ac Tournefortius; tum etiam plerique ex ſubſequentibus Botanicis affirmarunt.

Perampla eſt Pimpinellæ iſtius Canadenſis radix, digiti pollicis craſſitudinem ſuperans, inæqualis, ac nodoſa, ferruginei coloris. Caules ex ipſa ad quattuor fere cubitorum proceritatem attolluntur, calami ſcriptorii, quod ad dimenſionem attinet, dupli, tenues, ac ſtriati, hirſuto cortice, ac rubente contecti. Pauci in his infrequenteſque occurrunt nodi, palmari fere intervallo, præcipue ad imam partem, inter ſe disjuncti. Folia partim e radice pullulant, partim nodis inhærent, lata baſi caulem amplexa, Pimpinellæ ſanguiſorbæ majoris frondibus conſimilia, ex gemino videlicet ordine compoſita, pinnarum ſpecie: quæ quidem conformatio Pimpinellis omnibus communis eſt. Singula porro hæc folia glabra ſunt, ac læte virentia, eleganter dentata, anguſtiora quam in Pimpinella majori, at brevioribus petiolis nixa. Zanonius cum Pimpinella minori comparatione inſtituta, multo ampliores eſſe dixerat, Pimpinellæ iſtius Canadenſis frondes: majorem enim ipſe non viderat, peregrinam in his locis ſtirpem, pauciſque abhinc annis a Parente noſtro in Bononienſes hortos invectam. Caulículos multos in ſumma parte ramulorum fert, ſpicas longiuſculas ſuſtinentes, ex multis denſe congeſtis floſculis coagmentatas: eorum ſinguli fructuum primordiis inſident, ſuntque, ut in reliquis Pimpinellis, quinquepartiti, coloris ex rubro in fuſcum, aut pullum vergentis, copioſis, rubris, brevibuſque ſtaminibus pleni. Unicuique flori, perinde ac in reliquis majoribus Pimpinellis, ſuccreſcit fructus angulatus, & rugoſus, unico ſemine fœtus, iſque raro apud nos maturitatem aſſequitur.

Perennis herba eſt, diuturnæque vitæ, quæ nulla frigoris vi apud nos extingui ſolet. Folia per hiemem corrumpuntur, novaque primo vere quotannis prodeunt: Junio, ac reliquis æſtivis menſibus floret.

Pimpinella Canadenſis, ſpica longa, rubente H. R. Pariſ. 141.
Pimpinella maxima, ſpica longa, rubra H. R. Bleſ. 294.

Pim-

Pimpinella Canadenſis, ſpica longiori, rubra Moriſ. Umbell. 57.
Pimpinella maggiore, ſpicata, di Canadà Zan. Iſt. Bot. 161.
Pimpinella major, ſpicata, Cretica Zanoni Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3. *pag.* 264.
Pimpinella maxima, ſpica longa, rubra ejuſd. ibid.

PIMPINELLA SPICA BREVIORI SEU GLOMERATA.

NOn mediocris huic herbæ cum ſuperiori Pimpinella affinitas eſt, quod ex tabula, ac deſcriptione conjici poſſit: illudque haud ſemel cogitavimus, an forte inter hujuſmodi ſtirpes fortuita quædam, ac minime conſtans differentia intercederet. Nec vero uſpiam a nobis altera hæc ſpecies perſpecta eſt; neque de ipſa certi quidquam afferre poſſumus. Zanonius & formam iſtius Pimpinellæ, & notas quibus a Canadenſi majori diſtinguatur, his pene verbis perſtrinxit. *Tab.* 138.

Proceritas iſtius herbæ non eadem plane eſt, ac ſuperioris; externus vero habitus utriuſque perſimilis apparet. Caulem hæc habet graciliorem, altiuſque ſulcis impreſſum, in quo nodi pariter infrequentes exiſtunt, frondeſque ad eoſdem ſunt poſitæ, haud fere a Canadenſis majoris Pimpinellæ foliis diſcrepantes, non ita lata baſi caulem amplexæ, ſed geminis ad eandem partem dentatis pinnulis inſtructæ: longiores præterea, anguſtioreſque ſunt, recentium amygdalarum ſapore. Flores multo ſerius, ideſt Septembri menſe, in ſpicas congregatos profert: ſpicæ autem breviores ſunt, denſioreſque, ac veluti conglobatæ, ex compluribus floſculis compoſitæ, quorum unuſquiſque quadripartitus eſt, coloris initio quidem albeſcentis, viridi linea per medium ducta: primo deinde is color, quem diximus, in rubentem, poſtremo in fuſcum, aut pullum convertitur: Stamina mediis floribus inſident flava, nigriſque punctis aſperſa. Fructus rudimenta floribus ipſis ſubjiciuntur, hiſque areſcentibus, augeſcunt ad coriandri magnitudinem, pene rotundi, quaternis pinnis muniti: porro autem hi fructus vix unquam apud nos matureſcunt. Radix tenujor eſt, quam ſuperioris, amarior, magiſque adſtrictoria.

Refert Zanonius, vulgarem Pimpinellam, quæ Sanguiſorba dici-

dicitur, ex vino epotam urinas ciere, arenaſque educere, quæ Pimpinellæ ſaxifragæ, ſive Tragoſelini virtus cenſetur; verum ad hæc omnia Canadenſem multo præſtantiorem eſſe, periculo a ſe facto, didiciſſe.

Pimpinella ſpica breviori, ſeu glomerata Moriſ. Umb. 57.
Pimpinella maxima, ſpica brevi, rubra, glomerata H. R. Bleſ. 294.
Pimpinella minore, ſpicata, di Canadà Zan. Iſt. Bot. 163.
Pimpinella minor, ſpicata, Cretica Zanoni Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3. 264.

PIMPINELLA AGRIMONOIDES ODORATA.

Tab. 139. PImpinellis Canadenſibus tertiam Agrimonoidem dictam adjecimus, notiſſimam quidem hac ætate in hortis noſtris plantam, non æque tamen Zanonii temporibus pervulgatam. De natali hujus herbæ loco non conſtat, in Pariſienſi primum, Bleſenſique Horto ſine ulla loci commemoratione nominatæ. Eodem fere tempore a Jacobo Barreliero ſemina illius ad Zanonium miſſa ſunt, qui ænea in tabula ignotæ per id tempus ſtirpis effigiem exprimi curavit; deſcriptionemque ad hunc fere modum confecit.

Radix hujus herbæ minimi prope digiti craſſitudine eſt, rotunda, & contorta, plurimiſque fibris inſtructa. Multa ex ipſa prorumpunt folia, partim erecta, partim humi ſtrata, non diſſimili quidem ratione a reliquis Pimpinellis diſpoſita, multo breviora, quam in Canadenſibus antea deſcriptis, ac pene rotunda, in ſingularem Agrimoniæ ſimilitudinem conformata, mollia, ac ſubhirſuta, ex quibus contritis jucundus quidam emanat odor. Caulis ad duorum, triumve pedum altitudinem ſurgit, hirſutus, teres, ac rectus, in multos ramos diviſus, crebriſque articulis interſectus: eorum ſingulis inſiſtunt frondes neutiquam diſſimiles ab inferioribus, dempta parvitate. Spicas copioſas in ſummis ramulis fert pro ſtirpis ratione exiguas, longiuſculas, ex multis floſculis coagmentatas, quibus purpureæ ſtaminum ſpecie inſident tubæ. Fructus minutiſſimi floribus ſuccreſcunt, angulati, & rugoſi.

Pere-

Perennis herba eſt, ac facile in hortis, cadentibus in terram ſeminibus, ſe propagat, hiemis injurias ferre aſſueta. Majo, ac Junio flores edit: ſemina Quintili ad maturitatem perducit.

Pimpinella Agrimonoides, odorata H. R. Pariſ. 141. *Barrel. Ic.* 632.
Pimpinella Agrimonoides H. R. Bleſ. 294. *Bocc. Rar.* 58.
Pimpinella odorata Zan. Tab.

PINXEVI ARBOR INDIÆ ORIENTALIS FRUCTU IN RACEMOS CONGESTO.

DE Pinxevi Orientalis Indiæ ſtirpe Matthæus a S. Joſeph in hunc modum verba fecit. *Tab.* 165. *fig.* 2.

Pinxevi eſt arbor, quæ habet folia magna, quaſi rotunda, aliquantulum aculeata, plana, non tamen lenia, ſed parum aſpera: floſculos producit parvos, fructus in racemis ſicut uvæ, ex quorum ſeminibus extrahitur oleum, quod eſt optimum pro intemperie frigida.

Pinxevi arbor Indiæ orientalis, fructu in racemos congeſto.
Pinchevi arbore Indiano Zan Iſt. Bot. 160.

PIPER INDICUM VENENATUM.

VEnenatum hoc Piperis genus ab Alexandro Balamio cum eo accepit Zanonius, quem antehac pertractavimus, mortifero pariter Caryophyllo: uterque autem is fructus ex India in Britanniam invectus dicebatur. Ceterum hoc Piper vulgari erat craſſius, atque ad eam partem latius, qua ipſi inhærebat petiolus, cortice nonnihil criſpo, ex luteo in pullum vergente contectum, tribuſque punctis, ad humani capitis oſſium ſimilitudinem, notatum. Haud plura in eo animadvertit Zanonius, qui Ovidio Montalbano Aldrovandi Opera edituro hos fructus dono dedit. Effigies iſtius Piperis in tabula Creticæ minoris Thymeleæ delineata eſt. *Tab.* 167. *fig.* 3.

Piper Indicum, venenatum.
Pepe Indiano, velenoſo Zan. Iſt. Bot. 160.

PLANTAGO GRAMINEO FOLIO MAJOR SPICA MULTIPLICI.

Tab. 140. PLantaginis ea ſpecies, quæ a gramineis foliis nuncupata eſt, in celſiſſimis jugis noſtrorum montium naſcitur, unde etiam in hortos nonnunquam transferri ſolet. Eandem pròpe Scafiolenſem lacum, in extremis finibus poſitum Bononienſis ditionis, ſpicas gerentem multiplices Zanonius adinvenit, effigiemque cum deſcriptione in commentariis reliquit. Porro autem ejuſmodi res monſtri vim habuiſſe exiſtimanda eſt, perinde ac in Dipſaco illo, de quo antea verba fecimus: idque in Plantaginum genere fieri novum non eſt; nam & latifolia ipſa vulgaris a Dodonæo, ac Lobelio ſpicis æque confertis, variis, ac multiplicibus commemoratur: de cetero nihil eſt, quod, excepto ſpicarum numero, Zanoniana hæc Plantago a montana illa majori gramineis foliis diſtinguatur. Frondes huic herbæ ſunt Gramini, aut potius Caryophyllo conſimiles, molliores tamen, pauciſque dentibus inciſæ: caules palmari altitudine, ſpicæ ex viridibus floſculis coagmentatæ, radix prælonga, haud multis fibris inſtructa.

In hortis culta, quanquam perennis vitæ eſt, vix tamen fieri ſolet, ut diu permaneat, alteroque anno ut plurimum extinguitur.

Plantago gramineo folio, major, ſpica multiplici.
Coronopo di ſpica multiplice, alpino Zan. Tab.
Plantago gramineo folio, major Tour. I. R. H. 127.

POINCIANA FLORE PULCHERRIMO.

Tab. 141. POincianæ, ſive Pavonini fruticis ſemen ex Congo Occidentalis Africæ regione, Michael Angelus Guattinus ad Zanonium miſit, qui natam ex eo plantam, Piſi fruteſcentis Æthyopici nomine, in tabula delineavit, ea magnitudine quam noſtro ſub cœlo, paucis menſibus conſecuta eſt: initio quippe hiemis periit, frigore, & im-

& imbribus conſumpta. Mimoſæ habebat frondes, at multo ampliores, geminis, qua cauli inhærebant, aculeis ſeptas: illud autem a Guattino acceperat Zanonius, arbuſculam eſſe humana altitudine majorem, floreſque croceos gignere, Indico Naſturtio, ſive Cardamindo ſimillimos, coccineis intus ſtaminibus plenos. Ex quibus omnibus id veriſſimum eſſe intelleximus, haud aliam hanc ſtirpem eſſe, quam Poincianam, ſive Criſtam Pavonis in prima Centuria Jacobi Breynii, ſextoque volumine Horti Malabarici accuratiſſime deſcriptam, ac delineatam.

Rategal quoque a Zanonio in ſuperiori libro commemorata, eadem Poinciana eſt: idque non modo ex deſcriptione attentius perlecta, ſed ex ipſa etiam tabula, quæ in veris commentariis Matthæi a S. Joſeph continebatur, haud obſcure perſpeximus. Eos commentarios nondum acceperat Zanonius, quo tempore primam edidit Hiſtoriæ partem; ſed libellum tantum, de quo ſæpe diximus, unde etiam effigiem hujus plantæ, ac deſcriptionem proferre neceſſe habuit. Imaginem quidem vitioſe ex commentariis translatam, multo is etiam mendoſiorem fecit, qui ænea in tabula incidit, ut omnem fere ex ipſa Poincianæ, ſive Pavonini fruticis deleverit ſpeciem. Nos autem veram deſcriptionem, quæ *Rategal* Matthæi a S. Joſeph Poincianam eſſe oſtendit, ex ipſius commentariis tranſcripſimus.

Rategal arbor eſt ſatis magna: producit folia ſubdiviſa, ut ſunt quædam Cicera apud nos naſcentia: flores pulcherrimos habet, racematos, multos; e trunco enim prodeunt multæ virgulæ, in quarum ſummitate ſunt quædam foliola viridia, diſpertita ut noſtræ violæ, primum inferius clauſum, cetera totaliter aperta, e quorum medio faſciculus virgularum ſanguinei coloris exit, & una foliolum parvulum cum caule longo, totum criſpum, quod reſpicit contra faſciculum prædictum: e lateribus ſunt quattuor alia folia; omnia rubri coloris, & pulcherrima, pulcherrimo ordine diſpoſita, & in eodem racemo florum naſcuntur interdum aliqui flavi, aliqui rubri, alii partim rubro & flavo colore variegati. Flores ſuſtinent capſulam in ſuperiori parte rubram, in inferiori viridem. Semina dat ut piſa, odore Naſturtii noſtri. Utuntur fructu ad diſſolvendum corpus, & cocta cum aqua ſalſa ſunt optima pro ulceribus malignis, & pulvis ſimiliter idem efficit.

Poinciana flore pulcherrimo Tour. I. R. H 619.
Acacia Orbis Americani altera, flore pulcherrimo H. R. Par. 3.

Rategal arbore Indiano Zan. Iſt. Botan. 167.
Frutex pavoninus, ſive Criſta Pavonis Breyn. Cent. 1. *pag.* 61.
Tſetti Mandarum H. Malab. VI. pag. 1.
Legume della baſſa Etiopia Zan. Tab.

PTARMICA ALPINA MATRICARIÆ FOLIO.

Tab. 142. MOntanum hoc Ptarmicæ genus, quod a ſimilitudine Matricariæ nominatum eſt, ſic fere deſcripſit Zanonius, qui omnium, ut opinor, primus in ſcalarum jugis elegantem hanc ſtirpem obſervavit.

Radix hujus herbæ nodoſa, ac dura eſt, rubente cortice veſtita, plurimiſque fibris circundata. Folia ex ipſa funduntur partim erecta, partim in terram verſa, longis petiolis nixa, multiſque modis inciſa, ac dentata, Artemiſiæ, vel Matricariæ ſimilitudine, ea viriditate, quæ nonnihil exalbeſcat, perfuſa. Caules tres, quattuorve aſſurgunt recti, ad imam partem rubentes, cubitali altitudine, teretes, ac ſtriati, crebriſque nodis interciſi: ſingulis eorum nullo petiolo vel certe breviſſimo, adhærent frondes, ab inferioribus quidem non diſſimiles, at nonnihil anguſtiores, quæque magis ad Artemiſiæ formam acces dant. Flores compoſitos, ac radiatos fert in ſummis caulibus, umbellæ ſive corymbi ſpecie congeſtos: eorum ſinguli ex paucifloſculis conſtant candidis, quinque ſemifloſculis, aut ſex ejuſdem coloris, ad extremum retuſis, ac latiuſculis, circundatis. Semina floribus areſcentibus ſuccreſcunt, ſquamatis calycibus incluſa, ſuntque perexigua, ac nitentia, argentei pene coloris. Perennis quidem illius vita eſt, in hortos autem translata, quum æſtus immodicos ferre nequeat, ad longum tempus non durat, brevique conſumitur.

Zanonium primum fuiſſe diximus, qui in Bononienſium montibus Ptarmicam iſtam reperiret, quemadmodum hæc tabula, ac deſcriptio nunc demum a nobis producta declarat. Poſt mortem illius a Joanne Baptiſta Triumphetto Cive pariter noſtro, Pauloque Bocconio mentio ejuſdem ſtirpis illata eſt, quorum alter ſe in excelſis Mutinenſium jugis, alter in Allobrogicis alpibus ſponte naſcentem vidiſſe, ſcriptis mandavit.

Ptar-

Ptarmica alpina, Matricariæ foliis Triumph. Obſ pag. 83. *Tour. I. R H.* 497.
Ptarmica alpina, Matricariæ foliis Bocc. Muſ pag. 150. *Tab.* 110.
Achillea Matricariæ folio, flore albo Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1720. *pag.* 321.
Tanaceto alpeſtre Zan. Tab.

PTARMICA ORIENTALIS FOLIIS CRISTATIS.

PEregrina eſt in his terris, noſtriſque temporibus plane ignota hæc Ptarmicæ ſpecies, quam pro germano Dioſcoridis Abrotano fœmina, in ſuperiori libro propoſuit Zanonius. Ab Antonino Tanio ex Perſide, aut Syria delatum in Hetruriam illius ſemen eſt: multiſque annis poſtea in Orientalibus eam terris reperit Tournefortius, a quo etiam Ptarmicæ nomine appellari cœpit; cum reliqui ante ipſum partim Abrotanum, partim Heliochryſum nuncupaſſent. *Tab.* 143.

Profert autem hæc Ptarmica multa ad radicem folia, longa, & anguſta, profundis dentibus inciſa, ut in ea propemodum ſtirpe, quæ Lavandula, ſive Stoechas foliis ſerratis nominata eſt: porro hæc eadem folia membratim inſpecta cum diviſionibus ſuis, tum etiam colore, qui ex viridi exalbeſcit, Seriphii Abſynthii frondes quodammodo videntur imitari. Caules habet teretes, duorum, triumve cubitorum altitudine, anguſtioribus foliis, æquali ſpatio inter ſe diſtantibus, nulloque pedunculo nixis veſtitos. Rami in his conferti exiſtunt, ac plerique eorum flores compoſitos, ac radiatos ſuſtinent, corymbi ſive umbellæ ſpecie coagmentatos, quorum umbo, itidemque radii aureo colore micant, ut in floribus lutei Millefolii, de quo alio eſt a nobis loco dictum, quodque pro Elichriſo Veterum habuiſſe Zanonium oſtendimus; ſed flores iſtius Ptarmicæ ampliores ſunt, magiſque ſquamato calyce incluſi. Semen haud fere matureſcit ſub hoc cœlo, ut quibus temporibus in hortis noſtris colebatur, viviradicibus eam propagare neceſſe fuerit. Graciles radices habet, cinerei coloris, multiſque fibris inſtructas. Sapor totius herbæ amarus eſt, graviſque odor, ut in Millefolio nobili, ſive Camphorata. Porro etiam id ſibi Valerium a S. Joſeph

narraſſe ſcribit Zanonius, in Chaldææ, ac Meſopotamiæ agris copioſam eſſe hanc ſtirpem, iiſdemque in locis ad Camelorum pabulum uſurpari.

Ex opinione Zanonii eadem eſt, cum Abrotano fœmina a Dioſcoride his verbis deſcripto.

Abrotanum duum generum frutex eſt, alterum fœmina, quod arboreſcit, albicantibus foliis, inciſuris minimis, Seriphii Abſynthii modo, circa ramulos diviſis; floribus plenum comantibus in ſummo, fulgore auri, veluti corymbis quibuſdam: naſcitur æſtate odoratum, cum gravitate aliqua, & in guſtu amarum, creditурque Siculum tale eſſe (a).

Pro Abrotano fœmina Santolinam plerique vulgarem demonſtrarunt. Zanonius etſi minime inficiatus eſt inter Abrotani fœminæ ſpecies numerari eandem poſſe, veriſſimam tamen eo nomine a Dioſcoride memoratam ſtirpem, non aliam ab iſta eſſe credidit, ob ſimilitudinem, quam habet cum Abſynthio Seriphio: quæ nobis opinio, ſi quidquam hujuſmodi conjecturis tribui poteſt, non uſquequaque improbabilis videtur.

Ptarmica Orientalis, foliis criſtatis T. Coroll. I. R. H. 37.
Heliochryſum Abrotani fœminæ foliis Bocc. Rar. pag. 4.
Abrotano femmina di Dioſcoride Zan. Iſt. Bot. pag. 6.
Achillea lutea, Santolinæ folio, caule incano Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1720. *pag.* 322.
Chryſanthemum Perſicum, Abrotani fœminæ foliis, umbellatum Pluk. Phytog. tab. 160.

PTARMICA INCANA PINNULIS CRISTATIS.

Tab. 144.

QUæ de Abrotano Veterum fœmina Zanonii ſententia fuerit, paulo ante eſt a nobis, cum de ſuperiori Ptarmica ageremus, explicatum. Is vero ſimul atque hoc ſibi viſus eſt confeciſſe, ut Syriacum illud, aut Perſicum ſtirpis genus, Abrotanum eſſe fœmina Dioſcoridis putaretur, demonſtrare inſtituit, Abſynthium Seriphium ita a Matthiolo, ceteriſque Scriptoribus nuncupatum, Abrotanis pariter fœminis, ob ſimilitudinem connumerandum. De cetero, quum ejuſmodi ſtirpem vidiſſet nuſquam, effigiem illius in proprias tabulas neceſſe habuit

(a) *Dioſc. interpr. Marc. Verg. Lib. III. cap.* 26.

buit transferre ex Matthiolo ipſo, qui a Jacobo Cortuſo id genus herbæ, eo quo diximus Abſynthii nomine, acceperat. Apparet profecto imaginem iſtam a Matthiolo ad ſiccum contractumque exemplar effictam, ac propterea minus accuratam exiſtimandam eſſe, floribus præſertim, ſurculiſque carentem. Sed & eadem a Lobelio, Dodonæo, Lugdunenſis Hiſtoriæ Scriptore, Tabernæmontano, Joanne Bauhino, ac Zanonio in proprios libros tradućta, multo, ut fit, mendoſior, ac deterior evaſit; ut jam non Abſynthii genus aliquod, ſed neſcio quid Politricho, vel Trichomani ſimile repræſentet. Rem porro hanc omnem, peregrinationibus in Orientales terras inſtitutis, dilucide explicavit Tournefortius; quandoquidem Ptarmicæ genus adinvenit, cui frondes erant alba tećtæ lanugine, & in complures pinnulas diviſæ; pinnulæ autem ipſæ ad criſtæ ſimilitudinem dentatæ, flores aurei, luteo Millefolio a nobis antea deſcripto perſimiles. Eam ſtirpem floribus carentem cum Abſynthio Ægyptiaco Matthioli, de quo dudum agebamus prorſus convenire intellexit; quod in prima illa imagine ab Auctore propoſita, non obſcura quædam illius lineamenta ſupereſſent: ac nos etiam, qui Ptarmicam iſtam Orientalem in hortis colimus, rem plane ita ſe habere perſpeximus.

Hanc igitur ſtirpem, quod magnopere accederet ad ſuperioris formam, Abrotanum fœminam alterum Zanonius nuncupavit: tertiam denique adjunxit ſpeciem, de qua etiam a nobis pauca ad extremum dicenda ſuperſunt. Joannes Bauhinus unus, quod ſciam, de hac ſtirpe mentionem intulit (*a*) a Rauvolfio ex Orientalibus regionibus miſſa, eamque Origani facie plantam nuncupavit: Zanonius foliorum ſimilitudine, & capitulorum ductus, hanc etiam ad Abrotanum fœminam ſpectare arbitratus eſt; atque in eadem tabula (*b*) cum Abſynthio Ægyptiaco Veteribus dicto, imaginem poſuit ex Joannis Bauhini voluminibus exceptam. Haud ſcio an quiſpiam poſſet jure ſuſpicari, eandem hanc eſſe cum Millefolio Cretico incano Caſpari Bauhini, quod & ipſum a Tournefortio Ptarmicis annumeratum eſt, quodque ob excellentem formam, ac venuſtatem, ſtudioſiſſime coli in hortis noſtris conſuevit.

Ptarmica incana, pinnulis criſtatis Tour. Cor. I. R. H. 37.
Aſſenzio Seriſio d' Egitto Matt. 726.

Abſyn-

(*a*) *J. B. III. pag.* 183. (*b*) *Tab.* 144. *fig.* 2. 3.

Abſynthium Seriphium, Ægyptium Matthioli Hiſt. Pl. Lugd. 944.
Abſynthium peregrinum, ſive Ægyptium Lob. Obſ. 437.
Abſynthium Ægyptium Dod. Pempt. 25. *Tab. Ic.* 3.
Abſynthium Santonicum, Ægyptiacum C. B. Pin. 139.
Abrotano femmina di ſeconda ſpezie Zan. Iſt. Bot. 9.

RAMBA INDIÆ ORIENTALIS ARBOR.

Tab. 154. *fig.* 4. RAmba ex numero earum ſtirpium eſt, quas in Orientali India Matthæus a S. Joſeph delineavit; imagini vero adjunxit hanc deſcriptionem.

Tab. 155. *fig.* 4. *Ramba arbor eſt procera, folia habens oblonga, nervata, ut in figura conſpicitur, coloris viridis; fructus vero habet ſimiles coriandro, ſed in racemis, ſicut uvæ, & ſunt multum ſalutiferi infirmis: folia cocta cum ſale, & ſulphure in aqua omnes plagas ſanant brevi tempore. Succus, vel pulvis de fructibus eſt valde mirabilis pro plagis, gangrænis, & fracturis oſſium.*

Ramba Indiæ Orientalis arbor.
Ramba arbore Indiano Zan. Iſt. Bot. 166.

RAMBORA INDIÆ ORIENTALIS. ARBOR.

Tab 183. *fig.* 2. RAmbora, ſive Rumbera (utroque eam nomine appellat Matthæus a S. Joſeph) his verbis ab eodem deſcripta occurrit.

Rambora eſt arbor ſylveſtris a Luſitanis Pero de matto dicta: hæc habet folia magna, aſpera, & dura magis quam illa noſtræ Ficus, multum nervoſa, præſertim in parte inferiori: fructificat multum non in ramis, ſed in trunco, ubi ex omni parte oriuntur gemmæ, in quibus naſcuntur fructus, ut pomum parvulum lanuginoſum, habentes ſtellam in medio, cum quattuor corniculis: condiuntur in aceto, ſive aqua ſalſa pro uſu cibario; & corvi comedunt in arbore.

Ram-

Rambora Indiæ Orientalis arbor.
Rambora, ovvero Rumbera pianta Orientale Zan. Iſt. Bot. 166.

RICINOIDES INDICA FOLIIS SOLANI.

RIcinoidis videtur ſpecies ea, quam in libello Matthæi a S. Joſeph, ac in ſuperiori parte Zanonianæ Hiſtoriæ, barbara voce, *Stipſdanti* nominatam legimus: quæque in Horto Malabarico parum diſſimili nomine *Nagadanti* appellatur: quin etiam Bramanico eodem *Danti* vocabulo, & Vincentius a S. Catharina Senenſi (*a*) in ſuis itineribus, & Malabarici Horti Scriptores uſi ſunt. Florum quidem conformatio, habituſque externus in cauſſa fuit, ut eam potius ad Ricinoides, quam ad Ricinos, quemadmodum a pleriſque factum erat, revocaremus. Quanquam vero imago hujus plantæ in libello, quem diximus nonnihil depravata ſit, quòd attinet præſertim ad fructus; minime tamen obſcurum videtur *Nagadanti* Horti Malabarici, ac *Stipſdanti* unam eandemque eſſe ſtirpem: deſcriptio talis eſt. *Tab.* 75. *fig.* 2.

Stipſdanti habet folia aculeata, aſpera, & craſſa, valde viridia, flores producens parvulos, albos, & in cacumine radiantes: fructus eſt triangularis, rubicundus, nigricans: radix magna, ſed valde purgativa, ſi cum aqua bibatur: utilis eſt ad hydropicos. Fumus radicis ſumptus per os dentes fortificat, dolorem ſedat, vermes enecat; ex foliis, cum craſſa ſint, ſuccus extrahitur, coquitur, ſpiſſatur ad conſiſtentiam extracti, & ad uſum ſervatur: ex foliis formant Gentiles medicamentum purgans, ſed valde periculoſum ob nimiam caliditatem, aperit venas, & eſt medicamentum mortale.

Ricinoides Indica, foliis Solani.
Stipſdanti arbore Orientale Zan. Iſt. Bot. 190.
Ricinus minor, Indicus, Solani foliis Breyn. Cent. 1. 118.
Nagadanti Malabaribus, Danti Bramanibus H. Malab. X. pag. 151. *tab* 76,
Ricinus Indicus, ſemine ſpadiceo, rubro, minore Commel. in Not. Hort. Malab. X. pag. 151.

RU-

(*a*) *Lib.* 4. *cap.* 8. *pag.* 363.

RUBIA SYLVESTRIS ASPERA RAVENNAS.

Tab. 145. AGreſtis hæc Rubia, in ſylvis Ravennatium naſcens, tenues radices habet, repentes, contortas, multiſque fibris crocei, vel rubri coloris ſubnixas. Earum ex capite complures ſimul efferuntur caules haud plane erecti, ſed ne procumbentes quidem, prope radicem teretes, ac fuſci, deinde quadrati, virides, ac ſulcati, raris ad imam partem geniculis, ad ſummam autem denſioribus interciſi, queis interdum quaternæ, ſæpius quinæ, aut ſenæ frondes ſtellæ ſimilitudine, ut in reliquis Rubiis, circumſiſtunt, initio quidem molles, & glabræ, mox ubi inveteraſcunt brevibus aculeis ſubaſperæ, veſtibuſque prætereuntium adhærentes. E ſuperioribus ramulis Junio menſe ramuli prodeunt perbreves, exiguis foliis non eodem ordine diſpoſitis inſtructi: his flores inſident in racemos quodammodo congeſti, minutiſſimi, & quadripartiti, ut ſæpius obſervavimus; quinquepartitos Auctor ſcribit, quod fieri aliquando potuiſſe minime inficiamur: color eorum viridis eſt, forma eadem, quæ in Rubiæ vulgaris floribus. His poſtea cadentibus baccæ ſuccreſcunt rotundæ, nigræ, & ſucci plenæ, quibus rotundum ſemen, ad alteram partem cavum includitur. Perennis vitæ eſt, magiſque viviradicibus, quam ſemine, raro apud nos matureſcente, propagatur.

Hanc ſtirpem a Rubia ſylveſtri Cæſalpini, ac Bauhinorum Fratrum differre cenſuit Zanonius: alii dubitarunt an forte hoc diſcrimen eſſet fortuitum. Nos utramque ſpeciem, alteram videlicet e Ravennati Pineto, alteram ex Hetruria, qua in regione frequentem provenire ſcribit Cæſalpinus, in publicum Hortum Bononienſem invehi curavimus; compertumque eſt ex Hetruria delatam latiora plerumque habuiſſe folia, ad ſingulos nodos ſæpe quaterna; flores etiam, itemque baccas nonnihil grandiuſculas protuliſſe: Ravennatem autem cum frondes anguſtiores, tum minores etiam baccas, & flores nunquam fere non habuiſſe. Sed & altera ſenſim anguſtioribus foliis ad Zanonianæ iſtius faciem ſpeciemque externam accedere viſa eſt, ut vix quidquam certi a nobis in hujuſmodi controverſia dirimenda ſtatui potuerit.

Rubia ſylveſtris, aſpera, Ravennenſis Zanonii Rai. Hiſt. 486.
Rubbia ſilveſtre, aſpera, del boſco di Ravenna Zan. Iſt. Bot. 167.
an Rubia ſylveſtris, Monſpeſſulana, major J. B. III. 715.

RUTSCHIANA FLORE CÆRULEO MAGNO.

RUyſchianam, ſive Auſtriacam Chamæpitydem, haud plane in his regionibus cognitam ſtirpem, Zanonius hac fere deſcriptione complexus eſt. *Tab.* 146.

Radix huic herbæ copioſa eſt, plurimiſque ſtipata fibris, ex qua caules exurgunt quadrati, cubitali altitudine, ex viridi colore in luteum vergentes, tenues, & glabri, ubique præterquam ad articulos cavi. Articuli ipſi tum alibi, tum præſertim ad imam partem crebri ac frequentes exiſtunt, geminis frondibus e regione oppoſitis inſtructi; quæ folia longa ſunt, & acuminata, Hyſſopi ſimilitudine, mollia, ac viridia, nulliſque villis aſperſa. Permulti ex caule oriuntur rami, anguſtis pariter confertiſque frondibus veſtiti, quorum ſumma quæque pars brevi florum ſpica terminatur. Flores quidem ſinguli longo incluſi ſunt calyce, & quadripartito; ipſi autem galeæ præſeferunt ſpeciem, perampli, haud multum diſſimiles a floribus Brunellæ vulgaris, eleganti cæruleo colore ſpectabiles: his poſtea cadentibus, quaterna in calycibus permanent ſemina, longiuſcula, & angulata.

Perennis herba eſt, quæ ob fibrarum copiam nullo negotio radices agere, ac diu vitam protrahere poſſe in hortis videtur: atqui res ipſa contrarium demonſtrat, ſemel quippe etiam noſtris temporibus nata, antequam flores funderet, atque ad frugem deveniret, æſtivo calore conſumpta interiit. Frigidi eam Germaniæ, Helvetiæque montes gignunt, ex quibus locis ſemina ipſius a Felice Orello Locarnenſi Pharmacopœo ad ſe miſſa, Zanonius ſcriptis mandavit.

Ceterum, quo ad hanc ſtirpem deſignandam Cluſius, Vetereſque uſi fuerant, Chamæpitydis nomine, id minus proprium viſum eſt; propter inſignem florum differentiam. Rectius eam videtur Moriſonus Brunellis annumeraſſe, quod etiam Zanonius ſi alteram ipſe edidiſſet Hiſtoriæ ſuæ partem facturus videbatur.

Nos clariſſimo Boerahavio aſſenſi ſumus, qui a Chamæpity omnino diſcrepantem, haud etiam plane cum Brunella congruentem, novo, ac peculiari vocabulo, Ruyſchianam appellavit.

Ruyſchiana flore cæruleo, magno Boer. Ind. alt. 172.
Chamæpitys cærulea, Auſtriaca C. B. Pin. 250.
Prunella Hyſſopi folio, viridi, amplo flore, cæruleo Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3. *pag.* 364.
Chamæpitys major, cærulea Munt. 475.
Hyſſopus ſpicis interruptis Linn. H. Cliffort. 314. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 323.
Prunella con foglia di Sinſito petreo Zan. Tab.

SALIX PUMILA FOLIO ROTUNDO.

Tab. 147. PErparvula hæc eſt Salicis ſpecies, quæ in Baldo Veronenſium naſcitur monte, neque illius ſurculi humi fere ſtrati dodrantis longitudinem ſuperant. Sunt autem tenues, nodoſi, lenti, flexibiles, in omnem partem fuſi, fibriſque hinc, atque illinc productis terræ inhærentes: cortex eorum glaber eſt, & ferrugineo colore in flavum vergens. Iſtiuſmodi ſurculi hoc tantum præſeferunt arborum naturam, ac fruticum, quod per hiemem integri maneant, gemmis ad ſingulos articulos inſtructi. Ex his porro gemmis frondes verno tempore eliciuntur pene rotundæ, aut nonnihil acuminatæ, molles, argentea lanugine coopertæ, quæ initio quidem copioſa eſt, ex longiuſculis villis coagmentata: hac poſtea decidente, ſupina eorum facies nitida, ac viridis fit, averſa exalbeſcit: autumno, ubi plane conſenuerint folia, viriditate ſpoliantur, luteuſque color ſuccedit. Flores quod attinet, neque ab Auctore deſcripti ſunt, neque uſpiam a nobis conſpecti. Conſentaneum eſt eandem hujus Salicis, ac reliquarum naturam eſſe, quæ dum verno tempore frondes explicant, ſpicas quoque proferunt vel julos, quorum alii ex apicibus, alii ex fructuum primordiis conſtant, ac tubis; non ea tamen ratione, ut una arbor, ſive una planta utriuſque generis ſpicas ferre ſoleat; quæ enim floribus gignendis aptæ ſunt, fructibus in perpetuum deſtituuntur: alteras ex his mares, alteras fœminas Botanici appellant: ac flores quidem in maribus brevi

dila-

dilabuntur, fructus autem uſque ad maturitatem aliquot menſibus permanent. Id ipſum veriſimile eſt in montana hac Salice evenire, quam cum Zanonius æſtivo, autumnalique tempore in Baldo monte conſpexerit, florum, qui jampridem evanuerant, deſcribendorum copia non fuit. Fructus quidem in tabula delineatos cernimus, tenues, & longiuſculos, in graciles ſpicas congeſtos, ſeminibus fœtos exilibus, candida, & copioſa lanugine per totum aerem volitante, ut in omni Salicum genere, obvolutos.

In Baldo monte muſcoſis, humidiſque locis gignitur, ubi eam reperit Zanonius anno ſuperioris ſæculi quarto, & ſexageſimo, minime quidem novam; nam & a Joanne Bauhino, & ab aliis fortaſſe deſcripta extabat: imaginem tamen illius accuratiorem effingi curavit. Eodem ex loco etiam quadriennio ab hinc ad nos allata, culturam ſub hoc cælo non ſuſtinuit.

Salix pumila, folio rotundo J. B. I. 217.
Salix pumila, latifolia 1. *Cluſ. Hiſt.* 85. *J. B. I.* 216.
Salix alpina, pumila, rotundifolia, repens, inferne ſubcinerea C. B. Pin 474.
Salix alpina, pumila, folio rotundo, non crenato, Mart. Cat. Pl. Mont. Bald. 17.
Salice ſerpeggiante, di foglia larga Zan. Tab.

SANTOLINA SUBVIRIDIS ET GLUTINOSA.

SAntolinæ a Botanicis complures memoratæ ſunt, paucæ ita deſcriptæ, vel delineatæ, ut ſatis a reliquis internoſci poſſint. Quæ foliis minus incanis nominatur, a Caſparo Bauhino, Cluſio, ac Dodonæo ſecundum vulgarem poſita, haud fere dubium eſt, quin cum ea conveniat, quam in Zanoniana tabula expreſſam tradimus, hac etiam ætate in hortis noſtris communi; etſi fateri cogimur quibuſdam eam notis non plane congruere; quod in cauſſa fuit, ut Zanonius Indicæ nomine acceptam, novam cenſeret, atque in hunc modum deſcriberet. *Tab.* 148.

E radice, quæ nonnihil craſſa eſt, multiplex, & contorta, plurimos gignit caules, ramoſque cubitali altitudine, non plane erectos, longe, lateque in omnem partem fuſos, ad imam partem ligneos, ad ſuperiorem autem teneros, & caneſcente cortice obductos. His denſæ inhærent, copioſæque frondes, longiores

quam in Santolina vulgari, ac fere molliores, eadem propemodum forma, quattuor videlicet denticulorum ordinibus circa eundem nervum diſpoſitis, color earum dum primum erumpunt caneſcit nonnihil, ſed brevi deinde viriditas conſequitur. Flores ad ſimilitudinem vulgaris Santolinæ compoſitos gignit, ac floſculoſos, nullis radiis circundatos, ſquamato calyce incluſos, longiſque cauliculis inſidentes: color eorum, ubi aperti fuerint, haud quidem croceus eſt, ut in vulgari Santolina, ſed penitus albus, aut palleſcens: ſingulis tantum floſculis apices, vaginæ ſpecie, inſident flavi. Floribus areſcentibus ſemina inter capitulorum ſquamas matureſcunt, tenuiſſima, atrique coloris. Odorem habet hæc Santolina non ita vehementem, ut vulgaris, ac pene jucundiorem: molliores rami, ſi contrectentur, glutinoſo humore perfuſi apparent: perdiu vivit in hortis, neque difficili indiget cultura. Alexander Balamius nobilis Britannus, cum Venetiis commoraretur, quarto, & ſexageſimo ſuperioris ſæculi anno, ſtirpem hanc, Santolinæ Indicæ nomine, ad Zanonium miſit, ſumma tum ſibi conjunctum familiaritate.

Santolinam minus incanam Caſpari Bauhini, glutinoſam dixit Vaillantius, idque cohæret cum his, quæ a Zanonio, & a nobis obſervata ſunt: quod vero eandem conjunxerit cum Abrotano fœmina viridi tenuifolio Hiſpanico Barrelieri, haud ſatis probare poſſumus. Quippe exiliorem hanc ſtirpem, ut eſt a Barreliero delineata, brevioribuſque foliis, quam vulgaris Santolinæ, a Michelio quondam ad nos miſſam in hortis colimus, ex albo vireſcentem, floribuſque modo croceis, modo ſulphureis. De Santolina autem Bauhiniana, longioribus eam frondibus inſtructam eſſe quam vulgarem, omnes conſentiunt.

Santolina ſubviridis, & glutinoſa Vaill. Mem. Acad. Pariſ. Ann. 1719. *pag.* 311.
Santolina altera Dod. Pempt. 269.
Abrotanum fœmina 2. *Cluſ. Hiſt.* 341.
Abrotanum fœmina, foliis minus incanis C. B. Pin. 137.
Santolina foliis minus incanis Tour. I. R: H. 461.
Abrotano femmina falſo, Indiano Zan. Tab.

SAPINDUS FOLIIS COSTÆ ALATÆ INNASCENTIBUS.

SApindi fructus a Joanne Antonio Cavazzio Montecuculenſi, ex religioſo Capucinorum ordine (*a*) Bononiam perlati, in horto Zanonii eam ſtirpem procrearunt, cujus hic frondes delineatas, varias, ac multiformes exhibemus. Porro iſtius arboris notitiam Botanici etiam habuerant Zanonio vetuſtiores, quippe qui, nucularum ſaponariarum nomine, illius ſemen ex auſtrali America acceperant: ſaponariæ autem nuculæ iccirco appellatæ ſunt, quod earum cortex in aqua maceratus ſpumam agit, ſaponiſque vice in locis natalibus uſurpatur. Ceterum hi fructus magnitudine ceraſa haud ſuperant, ſuntque rotundæ figuræ, qua petiolo inhærent nonnihil prominentes; eorum cortex durus, ac plane oſſeus eſt, externa ſuperficie criſpa, ac pulla, interior autem buxei coloris, ac venis tenuibus varia: is cortex unicum ſemen laxius obvolvit, ut eo incluſum reſonet, globoſum, nitidum, coloriſque prorſus nigri, præterquam ad eam partem, qua adhæſerat cortici, nam ibi exalbeſcit. Globuli iſti perforati, ac filo per eos ducto, ut de Lachrymæ Job ſeminibus diximus, ad numerandas preces adhiberi ſolent. *Tab.* 149.

Haud ita multis ab hinc annis Joannes Carolus Amadeus Medicus Bononienſis, herbarum diſciplinæ peritiſſimus, a Religioſo viro ejuſdem ordinis ac Montecuculus, ex Congo pariter reduce Sapindi fructus accepit, eoſque Parenti meo dedit, quo perfamiliariter utebatur. Tunc etiam arbuſcula hæc Bononiæ prognata, paucis menſibus eam aſſecuta eſt magnitudinem, quam attigerat Zanoniana ætate: nec vero diutius in his terris vivere ſolet, hiberno ſemper frigore ipſam corrumpente. Frondes adhuc retinet idem Parens meus exſiccatas, plane congruentes cum his, quæ a Zanonio depictæ ſunt, Terebinthi inſtar conjugatas, anguſtiores, magiſque acuminatas, media etiam coſta pinnis ſive membranis utrinque productis veſtitas: fructus, quales a Zanonio deſcripti ſunt, in Ædibus Inſtituti ſcientiarum aſſervantur.

Sapin-

(*a*) *Joannes Antonius Cavazzius, Montecuculus a Patria dictus, Hiſtoriam Congi, Angolæ, & Matambæ deſcripſit, quæ Italico ſermone edita eſt Bononiæ, anno* 1687.

Sapindus foliis coſtæ alatæ innaſcentibus Tour. I. R. H. Append. 659.
Nuculæ ſaponariæ, non edules C. B. Pin. 511.
Saponariæ ſphærulæ arboris Filicifoliæ J. B. I. 312.
Quity Piſ. 162.
Prunifera, ſeu Nuciprunifera fructu ſaponario, orbiculato, monococco, nigro, Americana Pluk. Phytog. tab. ccxvii. fig. 7.
Prunifera racemoſa, folio alato, coſta media membranulis utrinque extantibus donata, fructu ſaponario Sloane Cat. Jam. 184. *Hiſt. Jam.* 131.
Felce del Congo, arbore Zan. Tab.

SCABIOSA MAJOR FLORE EX CÆRULEO PURPUREO AMPLIORE ET CONGLOBATO.

Tab. 150. SCabioſa, quam a floribus cæruleo purpureis Tabernæmontanus nominavit, a vulgari Scabioſa, quæ officinarum dicitur, his præcipue notis diſtinguitur: quod minus hirſuta ſit, ac ſæpe in hortis culta penitus glabra evadat, quod frondes profunde inciſas, vix unquam integras habeat, quod pene atra illius viriditas ſit, medio foliorum nervo albeſcente, quod flores denique globoſos gignat, in purpureum magis, aut rubrum, quam in cæruleum colorem vergentes, floſculiſque externis minoribus circundatos: Semina vix quicquam differunt, ut eam propterea Vaillantius inter Scabioſas proprie ſic dictas rectiſſime numeraverit. Vulgaris quidem illa, & officinarum Scabioſa in his terris ſponte non gignitur, neque eam quiſquam viderat apud nos, priuſquam, ſemine ex Germania accerſito, in hortis Bononienſibus coli, Parentis noſtri ſtudio cæpiſſet; quos cum paucis ab hinc annis inviſeret Michelius, homo in diſquirendis ſtirpibus exercitatiſſimus, tunc a ſe primum conſpectam Scabioſam vulgarem officinarum faſſus eſt. Pharmacopolæ urbis noſtræ Scabioſa majori capitulo globoſo Caſpari Bauhini fere communiter utuntur. Quæ autem a Tabernæmontano, ut diximus, ſpecies commemorata eſt, ea cum in urbi proximis nemoribus, tum etiam in excelſis montibus naſcitur. Paulus Bocconus in Cimone monte Mutinenſis ditionis eam reperit multo humiliorem, exilioremque, ac novam ſpeciem eſſe cenſuit: Porro autem hanc ipſam, & Vaillantii auctoritate, & obſervatione

tione diuturna certum nobis eſt, haud quaquam differre a Scabioſa illa Tabernæmontani, quam eodem habitu in ſterilibus locis naſcentem vidimus, quo eſt a Boccono delineata. In iiſdem Cimonis jugis hæc eadem a Zanonio obſervata eſt, paucis ad radicem frondibus, flore amplo conglobato, viridibus foliis intermixto, qui nullo caule fulciebatur; ac ejuſmodi forma in tabula expreſſa habetur.

Scabioſæ hæc ſpecies perennis eſt, Junioque menſe floreſcit.

Scabioſa major, flore ex cæruleo purpureo, ampliore, & conglobato. *item*
Scabioſa major, flore ex cæruleo purpureo Tab. Ic. 158. Tour. I. R H. 464.
Scabioſa hirſuta, multifida, alpina, repens Bocc. Muſ. part. 2. pag. 22. tab. 6.

SCORPIURUS PERENNIS VIRIDIORIBUS FOLIIS.

SCorpiuri nomine id genus herbæ deſignavit Moriſonus, quod Veteres quidem Echium Scorpioides dixerant, proximi autem noſtræ ætati, accuratioreſque Botanici, Lithoſpermum, ſive Heliotropium nominaverunt. Nobis autem cum peculiaris habitus videtur hujuſmodi ſtirpibus ineſſe, ut proprio, certoque nomine appellari debeant, tum Scorpiuri vox ad exprimendam ſpicarum formam aptiſſime excogitata. Scorpiuri duo habemus ſponte naſcentia apud nos genera, alterum quidem annuum, alterum perenne: utrumque pro temporis, locique differentia in ſumma varietate poſitum. Annuus in agris pene omnibus, hortiſque etiam intra urbem gignitur; iſque veris initio, ac locis apricis perexiguus floret, brevique, perductis ad maturitatem ſeminibus, exareſcit; idem ſi humido in ſolo, lociſque umbroſis prognatus fuerit, ſerius adoleſcit, fitque multo procerior; ex quo etiam pene inducti fuimus, ut duas eſſe inter ſe diſcrepantes annui Scorpiuri ſpecies exiſtimaremus: & is quidem nihil ad Zanonianam pertinet hiſtoriam. Perennis autem Scorpiurus, & ſæpiſſime in paludibus, & aliquando etiam in montibus naſcitur: in paludibus peramplus eſt, foliis non ita *Tab.* 151.

hir-

hirſutis, ſubaſperis tamen, ac plerumque nitentibus; quo habitu, ac ſpecie cum perſæpe appareat, ſitque ab omnibus delineatus, nulla erat cauſſa, cur eum Zanonius in tabula expreſſum vellet: ac mihi quidem, anno hujus ſæculi triceſimo, paludes agri Bononienſis cum Brunone Tozzio Vallumbroſano Abbate perluſtranti talis occurrebat. Annis autem proxime elapſis, perlata hæc herba eſt ad nos procerior quidem, ſed hirſuta, ad vulgaris annui Scorpiuri accedens ſimilitudinem, grandiuſculis tamen floribus cum eo conveniens, qui in paludibus naſcitur; affirmabat autem, qui attulerat in locis quidem humidis, ſed non plane irriguis inventam eſſe; idque etiam Zanonius memoriæ prodidit in ea narratione, quam alteri tabulæ adiecit, Scorpiurum perennem hoc habitu, quo diximus, referenti. Flores ubique in hac ſtirpe iidem ſunt, in ſpicas digeſti, ſcorpii caudæ inſtar a ſummo incurvas, & reflexas, unde Scorpiuri nomen ductum eſt: color eorum cæruleus eſt, & elegans, mediumque habent flavum umbilicum, nitentia deinde ſemina, ac nigra calycibus reconduntur. Floribus aliquando eſt candidis; qualem in montibus Simo Macchiavellus adinvenit herbarum doctrinæ, quemadmodum refert Zanonius, maxime addictus: cujus viri memoriam eo libentius proſecuti ſumus, quod eadem ex gente doctiſſimum hominem nominare poſſumus, nobiſque conjunctiſſimum, Alexandrum Macchiavellum, publicum juris interpretem, qui & in noſtra facultate haud exiguam adoleſcens navavit operam, ac vel nunc etiam tantum in eadem hæc ſtudia temporis confert, quantum ipſi a juris explicandi munere, aſſiduaque inveſtigatione antiquitatis conceditur.

Scorpiurus paluſtris, perennis, viridioribus foliis Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3 *pag.* 451.
Echium Scorpioides, paluſtre C. B. Pin. 254.
Echium ſcorpioides, ſoliſequum, flore majore, cæruleo J. B. III. 589.
Lithoſpermum paluſtre minus, flore cæruleo, Tour. I. R. H. 137.
Heliotropium minus, anguſtifolium, paluſtre, ſeu glabrum Boer. Ind. alt. 191.
item
Lycopſis montana, cærulea, ſeu Bugloſſum minimum montanum Barrel. Ic 404.
Myoſotis ſcorpioides, latifolia, hirſuta Merr. Pin. Britann. 82.

Alſi-

Alſine, ovvero Orecchia di topo alpina, maggiore Zan. Tab.
item
Scorpiurus paluſtris, perennis, flore albo.
Echium ſcorpioides, paluſtre, flore niveo C. B. Pin. 254.

SCORPIURUS PALUSTRIS PERENNIS MINOR ET HUMILIOR.

ALtera hæc Scorpiuri perennis ſpecies, ſeu fortuita potius, ut opinor, varietas, in montibus noſtris reperta eſt a Zanonio; longe exilior ſuperiori, tenuibus foliis, pene glabris, quarum vix ullæ caulibus inhærebant; cæruleis pariter floribus, magnitudine, ac forma haudquaquam a ſuperiori diſcrepantibus. Talem nos quoque in montibus agri Bononienſis juxta Labini amnis fontes, ac prope quandam ſcaturiginem aliquot ab hinc annis invenimus; ex quibus locis translata in Hortum publicum, nonnichil quidem procerior facta eſt, minime tamen ad eam pervenit magnitudinem, qua Scorpiurus paluſtris eſſe ſolet: ac nondum certo conſtare nobis potuit, an verum, & conſtans diſcrimen inter hujuſmodi plantas intercedat. *Tab.* 152.

Scorpiurus paluſtris, perennis, minor, & humilior.
Orecchia di topo alpina, minore Zan. Tab.

SEDUM MAJUS MONTANUM DENTATIS FOLIIS.

SEdi hæc ſpecies naſcitur in montibus, majori Sempervivo, quod in tectis colitur, perſimilis: frondes ei quippe ſunt craſſæ, & ſucci plenæ, in roſæ ſimilitudinem congeſtæ. Eo a vulgari differt, quod minor ſit, ac ſubhirſuta, rigidiſque villis ad foliorum margines inſtructa, ut ea quodammodo videri poſſint dentata. Caules e medio ceſpite complures efferuntur hirſuti, pauciſque foliis veſtiti, flores in ſummo gerentes a Sempervivo majori haud ſane diſſimiles, multifariam ſectos, ſingulis petalis albeſcentibus, ac purpurea linea in longum ducta notatis: *Tab.* 153.

tatis: fructus ex multis conſtant ſiliquis conglobatis, minutiſque ſeminibus fœtis. Flores edit Junio, ſemina Auguſto ad maturitatem veniunt, ac nullo negotio, egreſſis e majore ceſpite fibris, noviſque hinc ſtirpibus genitis, propagatur.

Zanonius, quibus eam in montibus viderit non commemorat: ex multis autem notis eam eſſe ſuſpicamur, quam Joannes Bauhinus *Sedum latifolium, flore albicante, minus, magis dentatum* nominavit.

Sedum majus montanum, dentatis foliis C. B. Pin. 283.
Cotyledon altera, ſecunda Cluſ. Hiſt. lxiii.
Sedi latifolii, flore albicante minor ſpecies, magis dentata J. B. III. 689.
Sempervivo di più cauli, alpino Zan. Tab.

SENNA ORIENTALIS FRUTICOSA SOPHERA DICTA.

Tab. 154. 155. TOſſunda ſive Caſcunda in commentariis Matthæi a S. Joſeph, ac in ejuſdem libello delineata, nihil prorſus differt a Sophera Proſperi Alpini, notiſſima Indiæ utriuſque, ac Ægypti ſtirpe, quam Volkamerus, & Boerahavius Sennis annumerarunt; id quanquam ex veteri Zanoniana imagine obſcurius apparet, ſatis tamen, ut opinor, ex ea tabula colligitur, quam pro altera Hiſtoriæ editione, ex veris Religioſi illius viri commentariis ductam, interque ceteras repertam, nunc primum exhibemus; cui tamen arboreum veluti truncum falſo affinxit Sculptor. Deſcriptio ſtirpis a Matthæo conſcripta iſtiuſmodi eſt.

Frutex eſt circiter quinque cubitorum altitudine: flores producit flavos, quinque foliis compoſitos, inſtar violæ: folia vulgari Parietariæ ſimilia ſunt, poſt flores ſiliquas profert phaſeolis ſimiles, in cacumine tamen curvas, in quibus ſunt circiter octo ſemina, dura, oblonga, & lenia: foliorum decoctio partum accelerat, foliaque trita cum Sinapi ventris doloribus medentur.

Sennæ hæc ſpecies haud ſemel in hortis noſtris culta ad cubitalem tantum crevit altitudinem, floreſque extrema proferens æſtate, raro ad maturitatem ſiliquas perduxit.

Sen-

Senna Orientalis, fruticoſa, Sophera dicta Boer. Ind. alt. II. 57.
Sophera Alp. de Plant. Ægypt. 83.
Galegæ affinis Sophera dicta C. B. Pin. 352.
Ecapatli altera Hernand. 376.
Toſſunda, ſive Caſunda Zan. Iſt. Bot. 201.
Ponnam tagera H. Mal. II. 101.
Sophera Indiæ Orientalis Breyn. Prod. 1. 51.

SERPILLUM ITALICUM SATUREJÆ PERENNIS FOLIO.

VAria ſunt apud nos Serpilli genera, partim foliorum magnitudine, & forma, partim etiam odore inter ſe diſcrepantia. Hoc a reliquis diverſum, in monte majore Forocornelienſis agri reperit Zanonius, a nemine deſcriptum: neque enim ex veteribus Serpillis aliud erat huic ſimilius, quam Pannonicum tertium a Cluſio memoratum; & ab hoc tamen diſtinguendum videbatur, quemadmodum utriuſque deſcriptiones, & imagines conferenti perſpectum erit. *Tab.* 156.

Zanonianum hoc radice longa nititur, craſſa, multiſque fibris circumſepta. Caules ex ipſa oriuntur complures per terram ſparſi, in multos ramos diviſi, graciles, rubentes, brevique lanugine ad imam partem obducti: in his frequentes admodum inſunt articuli, quorum ſingulis gemina inſident folia, e regione oppoſita, longa, anguſta, rigida, & acuminata, Saturejæ perennis ſimilitudine, paucis utrinque villis ad baſim inſtructa. Flores in ſummis ramulis fert conglobatos, qui extremum plerumque in ſylveſtribus locis nodum occupant; in hortis autem ad articulos paulo inferiores exiſtunt, ex quibus etiam ſpica, ut in reliquis Serpillis, efformatur. Flores iſti Julio emicant menſe, hirſutis calycibus incluſi, ex albo ipſi rubentes, purpureis conſperſi punctis, eademque figura quæ in reliquis hujus generis plantis ineſſe ſolet: his poſtea cadentibus quaterna ſuccedunt exigua, & rotunda ſemina.

Sterilibus locis, aridiſque Serpilli hæc ſpecies provenit; qui autem ramuli terram attingunt, fibris ad genicula productis, eidem adhæreſcunt; unde & facile hæc herba viviradicibus propagatur. Folia per hiemem non corrumpuntur, odo-

remque habent jucundum, Juniperi baccas quodammodo exprimentem.

Serpilli nos ramulo paucis ab hinc annis donavit ex Apulia redux Michelius, quod in illa regione invenerat: erat autem plane congruens Zanonianæ huic deſcriptioni, niſi quod flores habebat in ſpicam digeſtos, quales etiam hoc Imolenſe in hortis ferre, Zanonius ipſe minime inficiatus eſt. Exiſtimabat autem Michelius, Botanicus, qui tum erat omnium conſenſu peritiſſimus, novam eſſe eam ſtirpem, & a Serpillo Pannonico tertio Cluſii non mediocriter diſcrepantem.

Serpillum Italicum, Satureiæ perennis folio.
Serpillo con foglie di Satureja minore Zan. Tab.

SESAMUM VERUM.

Tab. 125. *fig.* 3. 4. PAuca omnino ſunt, quæ de Veterum Seſamo nos dicere oporteat: quum enim de Lachryma Job ageremus, quæ prima fuerit Zanonii ſententia de Seſamo, & quibus eam de cauſſis defenderit, ſatis aperte, ut opinor, declaravimus. Nempe ex obſcuris quibuſdam Theophraſti verbis collegerat, Arundinaceas frondes Seſamo eſſe debere, floreſque ex petalis minime conſtantes: quæ omnia ſane ad Seſamum, vulgo ita dictum, nulla ratione accomodari poſſunt. In eam itaque opinionem venerat, ut Lachrymam Job verum eſſe, ac germanum Priſcorum Seſamum cenſeret; quod vero Seſamum a pleriſque dicitur, id eſſe potius Myagri ſpeciem. Theophraſti poſtea ſententiis accuratius, ut æquum erat, ac diligentius perpenſis, haud obſcure tandem intellexit, eam ſtirpem, quæ nunc etiam ab Ægyptiis *Sempſem* dicitur, ideſt Orientale Seſamum, ab ea non differre, quam eodem Seſami nomine Theophraſtus, Vetereſque appellaverant. Duæ ſunt autem in Zanonianis tabulis Seſami imagines; altera nempe Orientalis, Africani ſeu Braſilienſis altera ex Guillielmi Piſonis Hiſtoria translata. Porro autem vir nobiliſſimus, idemque eruditiſſimus Hans Sloane, ſummus Botanicus, Regiæque Londinenſis Academiæ Præſes, in ea, quam olim edidit, Jamaicenſium ſtirpium enumeratione, quum eam inſulam in America poſitam diligentiſſime perluſtraſſet, Braſilienſe

illud

illud Seſamum ab Ægyptio, & Orientali haudquaquam differre ſine ulla dubitatione aſſeveravit.

Seſamum verum Cam. Hort. Ic. xliv.
Seſamo Matt. Ital. 434.
Seſamum Odon. in Theophr. 116. *J. B. II.* 896. *C. B. Theat. Bot.* 524. *Riv. de irreg. monop.*
Seſamum Veterum C. B. Pin. 27. *Sloan. Cat. Jam.* 60. *Hiſt. Jam. I.* 161.
Sempſem Seſamum Alp. de Plant. Ægypt. 100.
Miagro dell' Egitto detto impropriamente Seſamo Zan. Iſt. Bot. 140.
Schitelum H Malab. IX. pag 105.
Digitalis Orientalis Seſamum dicta Tour. I. R. H 165.
item
Gangila, ſive Seſamum Africanum Piſ. 211.
Miagro Africano, chiamato ſecondo alcuni del Braſile Zan. Iſt. Bot. 142.

SOLANUM SPINOSUM MAXIME TOMENTOSUM.

PErmultæ Solanorum ſpecies in Botanicorum libris memoratæ occurrunt: hæc autem Zanonianis temporibus pro nova eſt habita, quam ille a Præfecto hortorum Magni Hetruriæ Ducis Angelo Donnino, octavo anno, & quinquageſimo ſuperioris ſæculi accepit: eandem poſtea Bocconus Florentiæ a ſe conſpectam meminit, a quo etiam brevis illius deſcriptio imagini adjuncta, in rariorum ſtirpium libello pervulgata eſt. *Tab.* 157.

Ad humanam prope altitudinem Solani hæc ſpecies adoleſcit, caulemque habet pollici digito æqualem, caneſcente obductum lanugine, ac multis aculeis infeſtum: is deinde in complures ramos divaricatur, in quibus articuli, non admodum frequentes, exiſtunt; his vero amplæ inhærent frondes, multiplici flexu in ambitu ſinuoſæ, denſo tomento obductæ, aculeiſque præſertim in averſa facie parvulis munitæ. Flores circa ſtirpis faſtigium tenuibus inſident ramulis, hirſutis primo calycibus, & lanugine contectis incluſi, deinde vero patuli, & quinquepartiti, quemadmodum in reliquis Solanis: color eorum cæruleus eſt, ut Borraginis flores aliquantulum imitentur: differunt autem

autem hoc præcipue, quod majuſculi ſunt, quodque flavi apices mediam partem occupant, poſtremo quod eorum color in purpureum nonnihil vergit. Poſtquam flores deciderunt fructus rotundi ſuccreſcunt, Hederæ baccis æquales, initio quidem virides, mox flavi, & ſucci pleni, compreſſiſque ſeminibus fœti. Radix illius tenuibus fibris, copioſiſque eſt nixa.

Perennis vitæ hoc Solanum eſt, hiberniſque menſibus, modo ſit reconditum, frondes retinet; quanquam in his terris difficulter conſervari poſſit. Alterum eſt huic perſimile, quod nunc etiam in hortis colimus, a Joanne Baptiſta Triumphetto deſcriptum, ac delineatum; idque non modo fructuum magnitudine, quos ceraſis æquales gignit, ſed etiam humilitate ſua a Zanoniano differt.

Solanum ſpinoſum, maxime tomentoſum Bocc. Rar. Pl. 8.
Solatro pomifero ſpinoſo Zan. Tab.

SOLANUM SPINIS CARENS MELONGENÆ FACIE FRUCTU ROTUNDO.

Tab. 158. SOlani hæc ſpecies a Philippo Donnino ad Zanonium miſſa eſt, qui præfecturam quoque hortorum Magni Hetruriæ Ducis, poſt Angelum fratrem geſſit. Hæc nobis eſt pro non deſcripta, illiuſque hiſtoriam e Zanonianis commentariis ad hunc modum deſcribimus.

Radix huic herbæ tenuis eſt, innumeris prope fibris circumvallata. Caulis ad palmarem ſurgit proceritatem, rectus, glaber, ac nitens, virenti cortice tectus: rari in eo adſunt articuli, quibus frondes inſident amplæ, brevibus petiolis ſuſtentatæ, ſpiſſæ, ac molles, in ſupina facie virides, in averſa nonnihil albeſcentes Melongenæ vulgari forma perſimiles, eam vero magnitudinem nunquam ſuperantes, quæ in tabula exprimitur. Flores ad alas foliorum exiſtunt modo ſingulares, modo gemini, eidem pedunculo hærentes, calyce quinquepartito nixi: ſunt etiam flores ipſi quinque angulis inciſi, flavis apicibus in medio prominentibus, ut in ea Solani ſpecie, de qua proxime verba fecimus. Cadentibus poſtea ejuſmodi floribus ſuccreſcunt fructus, ſimilitudinem habentes exigui pomi, vitello gallinacei

nacei ovi æquales, initio virides, mox flavi, minutiſque ſeminibus, lentium inſtar compreſſis, fœti. Tota prorſus hæc herba aculeis caret.

Annua eſt hæc Solani ſpecies, cujus flores Auguſto menſe, prodeunt, fructus Novembri matureſcunt. Si quis eam forte inter Melongenas recenſere velit, nihil pugnaverim; ſola enim fructuum magnitudo inter Melongenas, multaſque Solani ſpecies diſcrimen aliquod afferre videtur: fructus autem in Zanoniana hac ſtirpe ea mediocritate ſunt, ut quorſum referri debeat incertum relinquatur.

Solanum ſpinis carens, Melongenæ facie, fructu rotundo.
Solatro pomifero non ſpinoſo Zan. Tab.

SOLANUM INDICUM FRUCTU ROTUNDO FOLIO SINUOSO ET ACULEATO.

DUæ ſunt Orientalis Indiæ ſtirpes e Solanorum genere, quas in ſuis commentariis, Zambal nomine, Matthæus a S. Joſeph toties a nobis memoratus deſignavit; earum alteram ad hunc modum deſcripſit. *Tab. 26. fig. 2.*

Zambal eſt frutex in ſtipite, & in foliis aculeos oblongos habens; folia fert dentata quernorum modo: in ſummitate ramorum habet gemmas triangulares, florem trifolium, cærulei coloris, fructus rotundos, avellanarum magnitudine: naſcitur in campeſtribus. Ejus ſemina ſunt valde minuta, & plana, quorum virtus eſt pro dentium dolore, ſuperpoſita ferro ignito, acceptoque fumo per os.

Solanum Indicum, fructu rotundo, folio ſinuoſo, & aculeato.
Zambal Indiano, ovvero Ringhini primo Zan. Iſt. Bot. 208.
an Solanum pomiferum, fruteſcens, Africanum, ſpinoſum, nigricans, foliis profunde laciniatis H. L. B. 575. Pluk. Phytogr. tab. 226. fig. 5. Almag. 351.

SOLA-

SOLANUM INDICUM FRUCTU ROTUNDO FOLIO SINUOSO CAULE ACULEATO.

Tab. 159. ALtera Solani Orientalis, ſive Zambal ſpecies his verbis deſcribitur.

Eſt & alius frutex huic ſimilis, dictus Bulingella de matto, qui naſcitur in petroſis locis, & ejus radicibus utuntur pauperes pro ligno comburendo: flores habet cæruleos, ſed magnos, nec eſt aculeatus in foliis: fructus ſunt multo majores illo ſupradicto, ad modum malæ inſanæ noſtræ, ex radicibus hujus fruticis extrahitur oleum pretioſiſſimum pro vulneribus.

Solanum Indicum, fructu rotundo, folio ſinuoſo, caule aculeato.
Zambal, ovvero Ringhini ſecondo Zan. Iſt. Bot. 208.
an Solanum incanum, Chinenſe, minus, ſpinoſum, floribus parvis, pene umbellatis Pluk. Phytogr. tab. 62. *fig.* 1. *Almag.* 351.

SONCHUS EPIDAURICUS ANGUSTIFOLIUS REPTANTE RADICE.

Tab. 160. EPidaurico ſemine apud Zanonium elegans hæc Sonchi exorta eſt ſpecies, quam ille, a nemine commemoratam cernens, in alteram Hiſtoriæ ſuæ partem conferre inſtituerat; formamque ipſius, & habitum externum, ac ceteras proprietates tali deſcriptione complexus eſt.

Altitudinem hic Sonchus exæquat, nonnunquam etiam ſuperat cubitalem, recto nixus caule, tereti, & cavo, crebriſque nodis interſecto: eorum ſingulis frondes inſident longiſſimæ, & peranguſtæ, nullis in ambitu laciniis, nulliſque dentibus inciſæ, geminis ad baſim pinnis, ſive auriculis caulem amplexæ, ex viridi albeſcentes, tenuiſſimo quodam polline, ut in vulgari Soncho aſperſæ. Flores compoſiti, ac ſemifloſculoſi prope faſtigium exoriuntur, ſquamatis calycibus incluſi, ex innumeris conſtantes ſemifloſculis, aurei coloris, odorem ab eo neutiquam diſſimilem fundentes, qui e Caryophylli floribus emanat. His brevi defluentibus, ſemina minuta pappiſque inſtructa ſuccedunt. Radix

dix craſſa eſt, multiplex, & reptans, novam ubique ſobolem procreans, ex qua folia erumpunt haudquaquam ab iis diverſa, quæ cauli innaſci diximus; hoc dempto, quod nonnihil breviora ſint, exiguis nonnunquam aculeis ad marginem inſtructa. Tota hæc herba lacteo ſucco, & amaro eſt plena.

Perennem eſſe ipſe oſtendit propagationis modus: Junio florere, ac Julio tradit Zanonius, a quo unice, quod ſciam, deſcripta eſt. Quoniam autem hic Sonchus cum eo inprimis ſimilitudinem habet, quem Caſpar Bauhinus anguſtifolium maritimum in Prodromo nuncupavit, illius quoque folium, & capitulum tabulæ adjectum eſt, quo differentia utriuſque fieret manifeſta. Eam porro ſtirpem in maritimis locis haud longe a Ravennatium ſylvis reperit Zanonius: ego autem in Venetis litoribus paucis ab hinc annis conſpexi, cum una eſſent mecum Leonardus Seslerius Medicus herbarum doctrinæ perſtudioſus, & Joannes Jacobus Zannichellius, a quo Hiſtoria ſtirpium eorundem litorum edita eſt: Julio & ipſa florebat, inque locis potiſſimum ſalſo humore irriguis naſcebatur.

Sonchus Epidauricus, anguſtifolius, reptante radice.
Condrilla di Raguſa ſerpeggiante Zan. Tab.

STACHYS CRETICA MINOR ARGENTEO SALVIÆ FOLIO ANGUSTIORE.

IN Bononienſibus hortis jamdudum coli cœpit elegans quædam Stachydis ſpecies, noſtris etiam temporibus aliunde ad nos miſſa: ea quidem a Scriptoribus haud ſatis aperte deſignata occurrit; in Zanonianis autem commentariis Tabula quædam reperta eſt, qua ejuſmodi ſtirpis effigies exprimitur, nulla addita deſcriptione, Stachydis tantum Creticæ nomine aſcripto. Porro autem a Stachyde Cretica Caſpari Bauhini differt hæc foliorum brevitate, palmaris enim longitudinis eſſe debent in Bauhiniana; ac tales in ea profecto vidimus, quam pluribus ab hinc annis Michelius ad nos miſit exſiccatam, Creticæ nomine, a vulgari Stachyde, quæ Germanica dicitur, haud multum diſcrepantem. Altera hæc igitur Stachys Cretica minor appellabitur, quoad nomen aliud eidem convenientius reperiatur. *Tab.* 161.

Folia habet e radice prodeuntia multo anguſtiora, quam vulgaris Stachydis Germanicæ dictæ, ac breviora, Salviæ vulgaris magnitudine, minutis dentibus in margine inciſa, ſubcriſpa, mollia, & argentea lanugine cooperta. Caules ad unius pedis altitudinem aſſurgunt, quadrati, raris nodis interſecti, geminiſque ad eorum ſingulos frondibus inſtructi. Flores ad foliorum alas congregati articulos circunſtant, hirſutis calycibus incluſi, purpurei coloris, minores quam in Stachyde vulgari: ſemina pro conſuetudine ejuſmodi ſtirpium in calycibus quaterna ſuccreſcunt.

Perennis eſt diuturnæque vitæ: hanc ſi floribus nondum expromptis quiſpiam intueatur, haud ita facile ab ea ſtirpe internoſcet, quæ Stachys Italica minor dicta eſt. Flores illius lutei ſunt in ſpicas congeſti, non ejuſdem formæ, ac reliquæ Stachydes, ut multi eandem eſſe cenſeant, quæ *Sideritis Cretica tomentoſa*, & *candidiſſima* a Tournefortio nominata eſt; quibus nos etiam libenti animo aſſentimur: habuimus enim Lutetia Pariſiorum ejuſmodi Sideritidis ſemen, ex quo ea planta nata eſt, quam in hortis Bononienſibus Stachydem minorem Italicam nominabant, ante illam Tournefortii Orientalem peregrinationem: rarum profecto, & elegans ſtirpis genus, difficiliſque apud nos culturæ. Ceterum dum floribus caret a Zanoniana hac Stachyde, cum foliis anguſtioribus, nullis propemodum dentibus inciſis, tum denſiore, quo obducta eſt, tomento diſtinguitur.

Stachys Cretica, minor, argenteo Salviæ folio, anguſtiore.
Stachi di Candia Zan. Tab.

STRAMONIUM FEROX.

Tab. 162. STramonium hoc ferox, ita ob fructus aculeos dictum, Daturæ ſpinoſiſſimæ Cochinenſis nomine, in ſuperiori Hiſtoria Zanonius nuncupavit. Stramonii quidem, ac Daturæ nomine eaſdem deſignari ſtirpes nemo ignorat: fecit autem, ut altero potius uteremur Botanicorum recentis memoriæ, inprimiſque Tournefortii auctoritas, a quibus ejuſmodi ſtirpes Stramonia potius, quam Daturæ appellatæ ſunt.

Hæc autem, de qua verba facere aggredimur, a vulgari illa

illa ſpecie, quæ longo fructu, & ſpinoſo eſt, habitu externo haud multum diſcrepat, niſi quod humilior eſt, denſioreſque ramos habet, & magis in latitudinem diffuſos. Unicus e radice ſtipes exoritur, craſſus, teres, & glaber, ad infimam partem rubens, de cetero viridis, albiſque punctis reſperſus. Is ubi ad mediocrem altitudinem crevit, in complures ramos divaricatur, hi rurſus in alios, ut peramplum ſpatium unius ſtirpis umbra opacari ſoleat. Folia articulis inhærent nonnihil craſſa, & lævia, ex viridi albeſcentia, eadem propemodum figura, qua ſunt vulgaris Stramonii modo antea memorati frondes, at longe minores, haud ita profundis ſinubus in ambitu inciſa, ac veluti circumroſa, quemadmodum Tabula oſtendit, ad veritatem accuratiſſime efficta. Flores Auguſto menſe ad ramorum divortia exiſtunt, calyce quinquepartito fulti, longe minores quam in reliquis Stramoniis, quorum ne dimidiam quidem magnitudinis partem exæquant: color eorum eſt albus, extima ora angulata, ut in vulgari, cum quo etiam id commune habent, ut veſpere aperti, mane claudantur, haud amplius patuli futuri: fructus duplo majores fiunt, quam is, qui in Tabula expreſſus cernitur, ovo pene gallinaceo æquales, virides, maculis purpureis dum matureſcunt infecti, longis, robuſtiſque aculeis muniti; qui plerumque ſingulares ſunt, nonnunquam etiam uno, vel altero breviori ad baſim ſepti. Hi fructus Octobri menſe, aut etiam Novembri in quattuor partes ſcinduntur, ſeminibus compreſſis, aſperis, nigris, & ſinuoſis fœti. Radix alba eſt, multis fibris conſtans: folia contrita gravem tetrumque odorem fundunt.

Annua eſt herba, breviſque vitæ, extremo plerumque vigens autumno: in hortis etiam ex deciduo ſemine interdum naſcitur. Ex Orientali India delatam ferunt: quandoquidem illius ſemen ad Zanonium miſit is, qui Mediolani inter Carmelitas Excalceatos pharmaceuticam faciebat, Michael a S. Eliſæo, qui a religioſo homine ejuſdem ordinis prope Cochinum Malabariæ urbem lectum narrabat. Hoc etiam addebat, ſe ab eodem accepiſſe veneni vim ejuſmodi ſemini ineſſe, ac modica ejuſdem portione cibis admixta ſtuporem, furoremque induci; ſanari autem ita affectos coctis Melongenæ fructibus. Eſt quidem Stramonii genus omne maleficum, quod Chriſtophorus Acoſta, & Proſper Alpinus multis exemplis confirmarunt, neque ab eorum pravitate longe abſunt Solani, quæcunque ſint ſpecies, ac Me-

longenæ ipſæ, tametſi apud nonnullos coctæ ſint pro eſculentis: atque iccirco minus veriſimile videtur, conveniens medicamentum ad Stramonii venenum ab iiſdem ſuppeditari.

Quam ſe Bononienſi in agro Zanonius vidiſſe refert Stramonii ſpeciem, eandem cum vulgari illa fructu longo, & ſpinoſo eſſe certiſſime aſſeverare poſſumus. Hæc ibi ſua ſponte nata caulem habet purpureum, floreſque ex albo in cæruleum vergentes; in hortis autem aliquando, & viridi eſt caule, & candido flore: an ſemper hæc fuerit eorum locorum incola, an ſemine aliunde invecto univerſam illam paludibus vicinam planitiem repleverit incertum eſt. Botanici quidem Scriptores, Indicæ originis eſſe ſtirpem, uno ore, & conſenſu omnes affirmant.

Stramonium ferox Bocc. Rar. 50. *Tour. I. R. H.* 119.
Solanum fœtidum, pomo grandiore, ſpinoſiſſimo H. R. Pariſ. 168.
Datura di Coccino ſpinoſiſſima Zan. Iſt. Bot. 76.

TEUCRIUM FRUTICANS BÆTICUM MINORE FOLIO.

Tab. 163. TEucrii hæc ſpecies in Hetruria prope Senas a Zanonio reperta, ac nunc etiam in hortis Italiæ frequens, a Teucrio Bætico quod a Cluſio deſcribitur haud multum ſane diſſimilis videtur. Diſcrimen autem idque ſatis conſtans intereſſe non modo animadvertit ipſe Zanonius, ſed recentiori etiam memoria Joannes Jacobus Dillenius; qui Elthamenſi in Horto duas Teucrii Bætici ſpecies Cluſiano perſimiles, ab eo tamen diſtinctas, imaginibus appoſitis, connumeravit; notaſque omnes, quibus internoſci cum inter ſe, tum a Bætico ipſo Cluſii poſſent, accuratiſſime perſecutus eſt: earum altera congruit cum Zanoniana ſtirpe, quod ex hac deſcriptione facile intelligitur.

Teucrium itaque Senenſe ſuffrutex eſt duorum triumve pedum altitudinem haud multum ſuperans: ſtipites in eo, ac ramuli quadrati prorſus fere caneſcunt, gignuntque ad ſingulos articulos gemina folia ex adverſo oppoſita, Oleæ fere inſtar frondium rigidiuſcula, brevia, acuminata, in ambitu nonnihil ſinuoſa, in averſa parte candida, in ſuperiore autem ex atro viridia,

dia, ac nitentia. Flores æſtivis menſibus ad foliorum alas emergunt gemelli, patulo calyce, & quinquepartito nixi, Chamædryos floribus conſimiles, ampliores, ac ſubcærulei, inferiori tantum labro in quinque partes diviſo, & concavo præditos; ſtaminibus prælongis ſuperioris labri locum occupantibus: ſemina poſt ſingulos flores in calycibus quaterna, ut in reliquis ejuſdem generis ſtirpibus, matureſcunt.

Elegans, ac pervenuſtum hoc Teucrii genus hibernum frigus apud nos haud facile ſuſtinet: quamvis memoria teneam in locis meridiano Soli expoſitis, hieme præſertim leniore, ad alterum annum perſtitiſſe.

Zanoniana tabula ſtirpem exprimit contractiorem, anguſtioribus inſtructam foliis, qualis fere natalibus in locis reperiri ſolet.

Teucrium fruticans, Bæticum, minori folio Dillen. H. Eltham. pag. 379.
Teucrio ramoſo Italiano Zan. Tab.

THLASPI EPIDAURICUM GLAUCIS FOLIIS FLORE PURPURASCENTE.

THlaſpi hoc Raguſeum, ſive Epidauricum a Zanonio dicitur, quod ex viciniis illius civitatis in Bononienſes hortos invectum fuerit; brevem autem humilemque herbam eſſe refert, caule tenui conſtantem, foliis non admodum frequentibus, craſſis, & glaucis veſtitam; ad eoſdem articulos interdum geminis, quod in hoc ſtirpium genere perraro accidere ſolet: flores ad extremos ramulos primo in umbellas, deinde in ſpicas congeſtos emicare, tetrapetalos, ex albo rubentes, lineis purpureis varios; fructus lævęs bifariam, ut in vulgari Thlaſpi, per maturitatem dividi. *Tab.* 164.

Thlaſpi parvum ſaxatile Caſpari Bauhini non multum differt ab hoc Zanoniano: ac omne fortaſſe diſcrimen a culturæ varietate petendum eſt. Herbula in ſaxorum rimis ſponte naſcens, vix ad cultiora loca transferri poteſt, quin aliqua ratione externa illius facies mutetur: quanquam ſi exili ſolo, & macro commiſſa fuerit, priſtinam brevitatem, externumque habitum retinet, foliis anguſtis, & crebris veſtita, tumque etiam diutius per-

perſeverat: ſin vero pingui humo, & ſoluta excipiatur, id quod experientia didicimus, paulo fit procerior; frondeſque longo intervallo diſiunctas, latiuſculas, a Telephio Imperati non multum diſſimiles gignit: flores, ac ſemina celeriter profert, hiſque perfectis, quaſi annua eſſet, ſæpiſſime extinguitur; de cetero perennis, diuturnæque vitæ. Zanoniana quoque tabula ita exprimit radicem Thlaſpi Epidaurici, ut annua planta eſſe videatur.

Thlaſpi Epidauricum, foliis glaucis, flore purpuraſcente.
an Thlaſpi parvum, ſaxatile, flore rubente C. B. Pin. 107.
Lithothlaſpi quartum carnoſo, rotundo folio Col. I. 279.
Tlaſpi di Raguſa Zan. Tab.

THLASPIDIUM FRUTICOSUM LEUCOII FOLIO SEMPER FLORENS.

Tab. 165. SIngulare habetur hoc Thlaſpidii genus, quod hieme potiſſimum vigeat, ac floreat, hibernum propterea a multis Thlaſpi nuncupatum. Zanonius in Bononienſes hortos primus hanc ſtirpem intulit, ex quo ſcilicet Andreas Veſtrius Piſis pharmaceuticam faciens, herbarumque doctrinæ ſtudioſus, ſemen, ut ajebat, ex Perſide allatum cum ipſo communicavit: etſi propinquioribus in locis hanc ſtirpem reperiri conſtat; Paulus enim Bocconius prope urbem Panormum in Sicilia eam gigni, non diſſimulanter affirmavit.

E radice hujus Thlaſpidii complures exeunt ſurculi, ad imam partem procumbentes, inflexi, ac foliis prorſus carentes, deinde vero erecti, unius pene cubiti altitudinem exæquantes, crebriſque frondibus longis, ac retuſis, Leucoii lutei figura, craſſis, viridibus, & glabris inſtructi. Flores in ſummis ramulis, umbellæ inſtar diſpoſitos, extremo autumno proferre incipit, gradatim ſe ſe aperientes, ex quattuor petalis minime æqualibus conflatos, externis nempe duobus longioribus, itidemque amplioribus; quæ quidem diſparitas in iis floribus, qui extimo in ambitu umbellarum poſiti ſunt, evidentius apparet: odor his floribus tenuis, nec injucundus eſt, color autem candidus non raro purpurei quidpiam admixtum habens. Ceterum hibernis adhuc menſibus florere perſeverat in conclavibus, & cellis repoſi-

poſitum; neque enim hiemem ſub hoc cœlo, aeri expoſitum perferre poteſt: ſummis tantum frigoribus pauliſper conquieſcit, quanquam id ſecus Zanonio viſum eſt; lætiſſimum vero illi florendi tempus eſt, quod in ver ex hieme inclinat. Vere ipſo, defluentibus floribus, quibus prope innumeris operiebatur, priſtinam ex parte venuſtatem amittit; tametſi flores aliquos proferre non modo hoc tempore, ſed etiam æſtate non deſinat, hinc Thlaſpidium ſemperflorens a Tournefortio appellatum. Fructus apud nos raro maturitatem aſſequuntur, ii vero ſic diviſi bifariam ſunt, ut gemini appareant, tenues, & compreſſi, exili utrinque ſemine fœti.

Perennis herba eſt, quæ viviradicibus, & ſurculis haud ægre propagatur; perpetuæ frondis, & hiberni floris gratia inter coronarias ſtirpes numerata.

Thlaſpidium fruticoſum, Leucoii folio, ſemper florens Tour. I. R. H. 214.
Thlaſpi latifolium, platycarpon, Leucoii foliis Bocc. Rar. 55.
Tlaſpio fruticoſo di Perſia, con foglie di Keiri, di fiore odorato Zan. Iſt. Bot. 196.
Thlaſpi fruticoſum, umbellatum, Perſicum, foliis Leucoii inſtar ſempervirentibus Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 2. 296. *Pluk. Almag.* 366.
Iberis foliis cuneiformibus, obtuſis, integerrimis Linn. H. Cliffort. 330. *Roy. Fl. Leyd. Prod.* 336.

THYMELÆA SUPINA LIGNOSIOR CRETICA INGRATI ODORIS MAJOR.

QUæ duæ ſtirpes, Oleandri Cretici nomine, in ſuperiori parte Zanonianæ Hiſtoriæ memoratæ occurrunt, ſi quidquam ex tabularum inſpectione aſſequi poſſumus, Thymeleæ ſpecies habendæ ſunt; quod inprimis declarat floris quadripartiti, baccarumque ratio; deinde etiam gravis ille, teterque odor haud obſcure videtur eam pravitatem denotare, quæ Thymelæarum propria eſt. Rarum profecto in hoc genere eſt frondes habere ad eoſdem nodos copulatas, & oppoſitas; hoc autem quantumcunque id eſt, nullum attulit Plukenetio impedimentum, *Tab.* 166.

tum, quominus utramque ſtirpem Thymelæis adjungeret.

Major ex his, quemadmodum refert Zanonius, e radice perenni, reptante, multiſque nixa fibris, complures ſurculos profert palmari altitudine, teretes, graciles, & incurvos, lignea pene firmitate. Ex his rami frequentes denſique pullulant, in omnem partem fuſi, ſi terram forte attigerint fibris productis inhærentes. Folia prominentibus articulis gemina ex adverſo oppoſita innaſcuntur, longa, utrinque acuminata, ſimilitudine Herniariæ illius vulgaris erectæ, quæ Centumgrana a Cæſalpino dicta eſt, craſſiora tamen, atræque viriditatis, tenuibus venis, aut lineis notata. Flores in ſummis ramulis multi ſimul juncti exiſtunt rubentes, ea figura, quæ diligentiſſime in tabula expreſſa eſt, ſimiles fere, ut Zanonius ait, Nerii vulgaris floribus, ſed longe minores, in quattuor tantum partes extrinſecus reflexas diviſi, albis ſtaminibus, purpureis apicibus, rubriſque ligulis præditi. Singulis floribus baccæ ſuccreſcunt perexiguæ, in ſpeciem pyri conformatæ, initio quidem virides, deinde vero per maturitatem purpureæ, unico fœtæ ſemine, eoque longiuſculo, quale eſt Convolvuli pennati ſeu Quamoclit ſemen.

Amarus huic ſtirpi ſapor, fœduſque ineſt odor, dolorem capitis inducens, ab eo non diſſimilis, qui e Dracunculi majoris emanat floribus; quin etiam oculorum ardorem hac ſtirpe excitari, eandemque contrectatam reſpirationi officere Zanonius perhibet; atque ex his omnibus conjecturam facit haud ſane improbabilem, veneni vim in ipſa reſidere.

Erant Zanonii tempore, qui ex Creta inſula, erant qui Epidauro delatam crederent: veriſimile utrumque ipſi viſum eſt, quod non multum diverſa earum regionum temperatio ſit. Joannes Raius in maritimis regni Neapolitani eam ſe reperiſſe ſcriptis mandavit.

Thymelæa ſupina, lignoſior, Cretica, ingrati odoris, major Pluk. Almag. 367.
Leandro di Candia, fruticoſo, maggiore, fetido Zan. Iſt. Bot. 114.
Oleander Creticus, fruticoſus, major, fœtidus Zanonii Rai. Hiſt. Append. II. 1919. *Syllog. Stirp. extr. Brit.* 189.
Nerium ſuffrutex Antirrhini folio, putens, floribus carneis H. Cathol. 152.

THYME-

THYMELÆA SUPINA LIGNOSIOR CRETICA INGRATI ODORIS MINOR.

ALtera hæc in medium veniat Thymelææ ſpecies, quam ſuperiori perſimilem, ut refert Zanonius, eodem quoque nomine appellandam putavimus. Nihil eſt autem, quod veteri deſcriptioni ex noſtra interpretatione luminis afferri poſſit; has quippe ſtirpes nuſquam omnino vidimus: ac minoris eo difficilior tractatio eſt, quod neque in tabula flores, fructuſve delineati apparent, neque a reliquis Scriptoribus quidquam de ipſa memoriæ proditum reperitur. Quæ igitur e Zanonio didicimus, hic breviter ſubjungemus. *Tab.* 167.

Radice nititur contorta, ac reptante, tenuibus fibris inſtructa: ſurculi nullo pene ordine ex ea pullulant complures, teretes, & inflexi, eadem firmitate, quam in ſuperiori Thymelæa ineſſe diximus, in multos ramos divaricati, crebriſque articulis interſecti. His vero inhærent frondes modo ſingulares, modo geminæ, & oppoſitæ, circa ramorum faſtigium confertæ, anguſtiores, quam in altera ex his Thymelæis, viriditate magis palleſcente coloratæ, aliquantulum craſſæ, nitidæ, rariſque villis ad marginem aſperſæ, Paronychiæ Hiſpanicæ a Cluſio deſcriptæ nonnullam præſeferentes ſimilitudinem. Flores non amplius tres quattuorque ſimul juncti ad extremos ramulos apparent, a ſuperioris Thymelææ floribus non diſſimiles, at multo breviores, rubri pariter, ſeu potius illius coloris, qui in Perſicæ arboris ineſt floribus. Baccæ ubi maturitatem aſſecutæ fuerint, haud multum a cognatæ ſtirpis fructibus diſcrepant. Tetrum hæc etiam, gravemque odorem fundit, non obſcuro veneni indicio.

Culturam hæc Thymelææ ſpecies, etſi perennis eſt, ſub hoc cœlo non facile ſuſtinuit, ac ne ad alterum quidem annum Zanoniano in horto vitam protraxit.

Thymelæa ſupina, lignoſior, Cretica, ingrati odoris, minor Pluk. Almag. 367.
Leandro minore, fruttifero, di Candia Zan. Iſt. Bot. 117.
Oleander minor, frugifer, fœtidus, Creticus Zanonii. Rai. Hiſt. Append. 2. 1918.

TITHYMALUS PERSICUS LINARIÆ FOLIO REPTANTE RADICE.

Tab. 169. NOnnullas hic habemus Tithymalorum ſpecies e Zanonii commentariis recenſendas, quas ille omnes ad eam diem incognitas arbitrabatur. Nunc ab ea ſpecie exordiemur, quam ab Antonino Tanio ex Perſide invectam, ad hunc modum deſcripſit.

Radix huic ſtirpi longe, lateque reptans, copioſam fundit ſobolem: Ex ea multi aſſurgunt caules tenues, & erecti, graciles, virentes, crebriſque foliis nullo ordine hærentibus veſtiti: ſunt autem ejuſmodi frondes longæ & anguſtæ, Linariæ vulgaris, aut Cypariſſiæ Tithymali frondibus perſimiles, ſpiſſiores, firmioreſque, glabræ, ac lacteo ſucco plenæ: ſurculorum faſtigio ejuſdem generis foliorum corona inſidet, ex qua complures oriuntur cauliculi floribus onuſti. Flores ipſi geminis ad baſim latiuſculis foliis ex adverſo oppoſitis ſepti, ut in reliquis Tithymalis exiſtunt, concavi, in quattuor partes retuſas diviſi, colore ex viridi in flavum inclinante. Fructus adhuc teneri extra florem prominent, ut in pleriſque Tithymalis, iiſque areſcentibus adaugentur, ac Septembri maturitatem aſſequuntur, tribus angulis definiti, totidemque ſeminibus pene rotundis albeſcentibus fœti. Herbam quacunque ex parte incideris, lacteus ſuccus copioſus profluit. In his regionibus haud ægre duraſſe refert Zanonius, at noſtris temporibus plane ignota eſt planta, nec tamen a Cypariſſia Tithymalo permultum abeſſe videtur.

Tithymalus Perſicus, Linariæ folio, reptante radice.
Titimalo di Perſia, con foglie di Lino Zan. Tab.

TITHY-

TITHYMALUS SICILIENSIS OLEÆ FOLIO CAULE TUMENTE.

PErſico Tithymalo, de quo dudum verba fecimus, hunc alterum Sicilienſem adjunxit Zanonius, quem Paulo Boccono claro Botanico acceptum referebat. Is autem, qui Siciliæ ſtirpes, ſi quæ minus cognitæ videbantur, diligentiſſime in ſuis libris perſecutus eſt, nullam de hac ſtirpe mentionem fecit: ut ſuſpicari quis poſſet, iccirco, quod nova non eſſet, præteritam a Boccono. Nobis haud ullam reperire contigit Tithymali ſpeciem, quacum perfecte congruat; modo eam formam perpetuo retineat, quæ Zanoniana deſcriptione, & imagine expreſſa eſt. *Tab.* 168.

Altitudo huic herbæ eſt, quemadmodum refert Zanonius, cubitalis: caules rotundi, & leviter inflexi, ad ſummam partem tumentes, articulis crebris, diſparili intervallo ſejunctis, referti. Folia ſingulis inhærent longa, & anguſta, Oleæ frondibus conſimilia, mollia, & ſucci plena; ſuccus autem, ut in omnibus Tithymalis lacteus eſt, cutemque, ſi forte ipſi diutius inſideat, exurens. Medii cujuſque ſtipitis faſtigium folia iſtis nonnihil longiora, & ampliora circumſtant, coronæ ſpecie: flores autem virides, & quadripartiti in ſummis cauliculis ſparſi exiſtunt, foliis brevioribus, ac pene rotundis, e regione oppoſitis ad baſim nixi. His fructus deinde ſuccedunt tribus angulis inciſi, qui numerus quoque incluſorum ſeminum eſt. Radix eandem, ac medius caulis craſſitudinem habet, fibræque eam tenues, & copioſæ circumſtant. Perennis eſt, ac in multum tempus durans, novos quibuſque annis ſurculos emittens.

Tithymalus Sicilienſis, Oleæ folio, caule tumente.
Titimalo di Cicilia, con caule tuberoſo Zan. Tab.

TITHYMALUS CRETICUS ALYPI FOLIO.

Tab. 170. TErtius hic e Zanonianis Tithymalis oriundus ex Creta insula, quod Alypo ſimiles frondes habeat, Tithymalus Creticus Alypi folio nominatus eſt. Radice nititur longa, flexibili, & contorta, tenuibus fibris munita. Caulis altitudinem cubiti attingit, in complures ramos divaricatus, tenuis, & glaber, ex viriditate rubens, lignea pene firmitate. Rariores in eo, quam in pleriſque Tithymalis articuli, rara perinde etiam folia, nullis petiolis nixa, longa & anguſta, ad ſimilitudinem foliorum Alypi proxime accedentia; at neque ita ſolida, neque ita ſpiſſa. Corona eſt in ſummis ramulis latiuſcularum frondium, ex qua deinde cauliculi floſculos ſuſtinentes expromuntur: eſt autem color his floribus luteus, eademque ac in ceteris hujus generis ſtirpibus figura: ſingulas partes, in quas ora dividitur, retuſas quidem habet, non autem lunæ decreſcentis inſtar ſinuoſas. Fructus deinde ſuccreſcunt tripartiti, grandiuſculi, & hiſpidi, rotundis ſeminibus, ac lævibus fœti.

Ramos hujus ſtirpis inter commentariorum paginas exſiccatos forte invenimus: eoſque a reliquis Tithymalis, quos antea cognitos habebamus, differre exiſtimavimus. Is qui a Fabio Columna, Epithymi fructu, appellatus eſt, niſi quod exilior eſſet, ac ſtrigoſior, ab hoc minus quam ceteri diſſimilis videbatur.

Tithymalus Creticus, Alypi folio.
Titimalo di Candia, con foglie di Alipo.

TITHYMALUS ANGUSTIFOLIUS ASPER MONTIS DIVI JULIANI.

Tab. 171. QUartæ hujus Tithymali ſpeciei in S. Juliani monte juxta Piſas repertæ, a Thoma Belluccio, & Chriſtiano Mentzelio commemoratæ, imaginem, ac deſcriptionem in commentariis poſuit Zanonius, qui exſiccatum illius exemplar ab eodem Belluccio acceperat. Complures hic Tithymalus e radi-

ce

ce ſurculos fundit rubentes, contortos, flexibiles, ſæpe ad imam partem foliis deſtitutos, aſperos, ac ſtrigoſos, ut quodammodo aculeati videri poſſint; aculei autem nihil ſunt aliud niſi veteres rami, excuſſis foliis, obdureſcentes. Folia novellis inhærent longa, & anguſta, in locis natalibus Saturejæ frondibus paria, in hortis multo majora, glauca, paucis ad imam partem, ubi etiam latiuſcula ſunt, dentibus inciſa. Ramuli qui flores edunt haud multi ſunt, ii vero quinque foliorum coronam ſuſtinent, longe reliquis ampliorum, cui flores ipſi non diſſimiles a ceteris hujus generis innaſcuntur, ex viridi colore in luteum vergentes. Fructus ut in omnibus Tithymalis tripartiti.

Hanc eandem ſtirpem ad nos miſit ab hinc triennio Angelus Atilius Tillius Piſani Horti Præfectus, exilem, rigidam, aculeatam, Zanonianæ imagini prorſus reſpondentem; ſed brevi deinde cœpit miteſcere cultura, mollioreſque ſurculos, itemque latiores frondes progignere. Poſtremo rem prope incredilem videre nobis contigit, quam niſi certiſſima experientia firmatam proferre veriti eſſemus: ea ſcilicet brevi tempore foliorum amplitudo, & umbellarum extitit, ea partium conformatio, ut ſerratum Tithymalum Dalechampii, ſive Myrtitem Valentinum Cluſii planiſſime exprimeret; nulluſque dubitandi locus ſupereſſet, quin eadem omnino planta, pro locorum diſcrimine, diverſam adeo ſpeciem, externumque habitum præſeferret.

Tithymalus anguſtifolius, aſper montis S. Juliani.
Eſula minima montis S. Juliani Belluc. Ind. H. Piſ. 23.
Eſula minor, fruteſcens, ſpinis longis, horridis Mentz. Pugill.
Eſula lignoſa, procumbens, pungentibus ramis Till. Cat. H. Piſ. 59.
item
Tithymalus characias, folio ſerrato C. B. Pin. 290.
Tithymalus myrtites, Valentinus Cluſ. Hiſt. clxxxix.

TODDA VADDI.

INter eas ſtirpes, quarum folia & moventur tacta, & contrahuntur, hæc etiam eſt, quam *Todda vaddi* Malabares nominant, non modo a Mimoſis, quibuſcum ſentiendi vim, ſeu potius imaginem ſenſus communem habet, ſed ab omni leguminum genere remotiſſimam. Chriſtophorus Acoſta, ac plerique *Tab.* 131. *fig.* 2.

rique Botanici illius ætatis, qui Orientalem Indiam perluſtraverant, herbam hanc vivam, aut etiam ſentientem appellarunt: effigiem accuratam ex commentariis Matthæi a S. Joſeph depromptam tradidit Zanonius, cum ea, quæ in Horto Malabarico paucis poſt annis edita eſt, planiſſime congruentem. Nos ad verum exemplar deſcriptionem confecimus, quod exſiccatum quidem, ſed omni ex parte perfectum, aliquot ab hinc annis ad Parentem noſtrum ex Batavia miſſum eſt.

Radix huic herbæ gracilis, & longiuſcula eſt, multis ad imam partem tenuibus fibris inſtructa. Ex hac duodenæ, fortaſſe etiam plures, emergunt frondes, quarum ſingulæ ex multis particulis conſtant, eidem nervo geminato ordine inhærentibus, ad infimam partem minoribus, deinde gradatim ad ſummam uſque amplioribus, in ſupina facie viridibus, glabris, nonnihil incurvis, ut in Lonchitide, valde confertis, nullaque ad extremum poſita imparem earum numerum faciente. E medio foliorum ceſpite tres, quattuorve thyrſi efferuntur, graciles, & hirſuti, quinque, aut ſex floſculos ſuſtinentes, calyce pariter hirſuto, & quinquepartito nixos; flores ipſi grandiuſculi ſunt, & flavi, in quinque partes diviſi; an totidem petalis diſtinctis conſtent cognoſci non potuit. Malabarici Horti ſcriptor, rubram notam ſingulis florum foliis inſcriptam refert; ſed in noſtra plantula jamdudum evanuit propter vetuſtatem: fructus pene rotundi ſunt, minutis ſeminibus fœti. De hac eadem ſtirpe Matthæus a S. Joſeph ad hunc modum verba fecit.

Mirabilis herba invenitur in regionibus Malabaris, vocata a Naturalibus Tota vari: ob oculos ibidem mihi venit die octava S. Jo: Baptiſtæ anni 1657. *Parvula herba eſt, habens folia quaſi Tamarindorum, lævia, aliquo pacto lanuginoſa: flores itidem parvulos producit, colore flavos, & in interiore foliorum lineis rubris depictos; odore autem ſuaviſſimo, ac ſi eſſet odor pyrorum maturorum perfecte olentium: ſimiliter producit ſemina valde parvula. Mirabilis videtur ſane, ac ſi ſenſum aliquem haberet, & animali polleret virtute; nam ſi leviter tangatur, & digitis attrectetur, moventur folia, & ad invicem inter ſe clauduntur: ſi vero ramulus leviter palpetur, ille tantum movetur, & per inferiora clauditur; ſi tota planta fortiter tangatur, tota movetur, & clauditur.*

Quod reliquum narrationis eſt prætermittimus; ea quippe verboſior eſt, inepta quædam de virtutibus hujus herbæ, & vix credibilia ediſſerens, ex falſis, ut videtur, Barbarorum opinionibus ducta.

Todda

Todda vaddi H. Malab. IX. 33.
Herba viva Acoſt. edit. Cluſ. 290. *Hiſt. Lugd.* 1915.
Herba viva foliis Polypodii C. B. Pin. 359.
Herba ſentiens, & pudica Bont. 119.
Totta vari, forſe Mimoſa del Malabar Zan. Iſt. Bot. 199.

TOPPI HERBA INDIÆ ORIENTALIS.

IN libello Matthæi a S. Joſeph deſcriptio hujus ſtirpis his verbis expreſſa habetur. *Tab.* 165. *fig.* 3.

Toppi habet folia magna, ut Laurus, lucida, in ſuperiori parte viridia, ſed ſubter parum lutea, cum acuminibus minutis, colore nigro: eſt planta valde longa, & naſcitur in mari; ex cujus undis litora replentur foliis, & fructibus. Eſt duplicis ſpeciei, ſed in foliis ſunt ſimiles, quæ nullum habent nervum, niſi unum in medio, ſuntque multum mollia, quæ tota franguntur, & in diverſas partes dividuntur: ſolum diſtinguuntur in fructibus, quorum unus eſt ut pyrum, etiam in colore ſimile, cum quinque auriculis foliaceis retro flexis, quæ adhærent fructibus, in quibus inſerta eſt longa fiſtula, quæ, dum fructus matureſcit, cadit, & eſt plena lanugine velluto magis delicata. Alius vero fructus habet parvum calycem ad inſtar poculi, qui poſtea dilatatur, & dividitur in ſeptem radios, in medio quorum eſt parvus fructus rapæ noſtræ ſimilis. Eſtur ſale conditus, vel aqua ſalſa: valet ad reprimendum ſanguinem, ac etiam pro contuſionibus, & aliis ſimilibus effectibus utuntur illa ſupradicta lanugine. Cortex plantæ partim eſt rubra, partim eſt lutea, qua utuntur ad tingendum colore rubro obſcuriſſimo.

Toppi herba Indiæ Orientalis.
Toppi erba marina, Indiana Zan. Iſt. Bot. 198.

TOZZIA ALPINA LUTEA ALSINES FOLIO RADICE SQUAMATA.

Tab. 172. EUphraſiis genere eſt proxima, quam Petrus Antonius Michelius haud multo ab hinc tempore Tozziam nominavit: herba in ſummis alpium jugis, excelſiſque montibus vigens. Zanonius, quod iſtiuſmodi ſtirpem non nimis accurate a ceteris expreſſam cerneret, ne a Fabio quidem Columna, etſi omnium fere diligentiſſimo in hoc genere, novam hanc ipſe effigiem delineari juſſit, ceteris adhuc pervulgatis longe anteponendam; ſi Michelianam forte excipias, eo tantum nomine præſtantiorem, quod, floſculis ſeparatim depictis, minutiſſimas quaſque eorum partes ante oculos ponat.

Tozzia palmarem altitudinem, vel non multo majorem aſſequitur: radicem teretem habet, multis exilibus ſquamis longiuſculis coopertam, ex qua unicus exurgit caulis, iiſdem prope terram ſquamis circumſeptus, ibi etiam rotundus, reliqua ex parte quadratus, ac frequentibus nodis interciſus. Folia ad ſingulos articulos copulata, geminique itidem rami e regione poſiti exiſtunt; ſunt autem ejuſmodi frondes teneræ, & glabræ, paucis in ambitu dentibus inciſæ, eadem prope figura, ac in Veronica illa vulgari annua, quæ Chamædryos folio appellatur. Flores Majo menſe, ac Junio e foliorum ſinu prodeunt, longis petiolis hærentes, quinquepartiti, crocei, purpureiſque punctis conſperſi, ſumma elegantia, ac venuſtate. His deinde fructus rotundi ſuccreſcunt, ac perexigui, minutiſſimis ſeminibus fœti.

Nullam ex genere Euphraſiæ ſtirpem, neque ex affinibus novimus, quæ culturam in hortis ſuſtinere poſſit; non ſeminibus, quæ annuæ ſunt, non reliquæ viviradicibus propagantur. Hæc autem ea teneritate eſt, ut ne integra quidem, & incorrupta ex montibus transferri queat. In locis igitur natalibus lectam, & exſiccatam tantum conſpeximus.

Tozziæ nomen huic ſtirpi a Michelio, ad perpetuam commemorationem Brunonis Tozzii Florentini, Vallumbroſani Abbatis datum eſt; in quo homine tantum extitit ſemper Naturalis Hiſtoriæ, inprimiſque herbarum diſciplinæ excolendæ ſtudium, ut ne nunc quidem ſumma ſenectute (*a*) a montibus peragrandis, exqui-

(*a*) *anno ætatis* 86.

exquirendiſque ſtirpibus conquieverit: & ea quidem, quæ vel nova invenit, vel obſcura illuſtravit, quoniam ipſe nihil edidit, Botanicorum monumentis teſtata ſunt. Præclare igitur fecit, ac ſapienter Michelius, qui tanti viri ingenium immortalitate digniſſimum, ea laude, quæ Botanicorum maxime propria eſt, decorandum putavit.

Tozzia alpina, lutea, Alſines folio, radice ſquamata Mich. Nov. Gen. pag. 21.
Anonyma Fratris Gregorii, radice Dentariæ Col. part. 2. 49.
Euphraſia lutea, radice ſquamata C. B. Prod. 111.
Euphraſia lutea, Alſinefolia, radice ſquamata C. B. Pin. 234.
Euphraſia lutea, radice ſquamata Bauhini; ſive Anonyma radice Dentariæ Columnæ Park. Theat. 1329.
Dentaria Buguloides, radice globoſa, ſquamulis myodontoideis, alpina Mentzel. Pugill. tab. 9.
Eufragia con radice ſquamata Zan. Tab.

TULIPA FLORE PLENO CENTIFOLIA PRÆCOX.

TUlipam flore multiplici, ac vario Euſtachius Canutus, primus ex noſtris, coluit in hortis ſuburbanis, quos habebat omni florum genere inſtructiſſimos. Is quum intima uteretur Zanonii conſuetudine, eumque elegantiores undique ſtirpes intento animo conquirentem cerneret, novæ iſtius Tulipæ imaginem ſua manu delineatam ad ipſum attulit, quam in libris, quos editurus erat, ſi opportunum videretur, pervulgaret. Zanonius hominis liberalitatem minime aſpernatus, tabulam ab eo acceptam in alteram Hiſtoriæ ſuæ partem reſervavit. *Tab.* 173.

De cetero hæc Tulipa neque bulbi ratione, neque foliorum a vulgari illa diſcrepat, quam in hortis habemus, mirifica varietate colorum inprimis ſpectabilem. Omne videlicet diſcrimen flores afferunt, ex quamplurimis acuminatis, anguſtiſque petalis coagmentati, coloris purpurei, vel rubri, viridi ac luteo ſumma venuſtate admixti. Tres ex unico bulbo, & caule productos flores effigies demonſtrat, quod me non admodum frequenter in Tulipis vidiſſe memini, niſi bulbum forte, &

ipſum multiplicem ſoboles feciſſet: etſi minime ignoro, ejuſmodi Tulipas plures ex unico etiam ramo flores progignentes a Cluſio, ceteriſque Botanicis commemoratas.

Tulipa flore pleno, centifolia, præcox Boer. Ind. alt. II. 139.
Tulipano di fior pieno Zan. Tab.

VERBASCUM PEREGRINUM MINUS PERENNE ET RAMOSUM.

Tab. 174. IGnota eſt his temporibus Verbaſci hæc ſpecies, quæ Zanonianis in hortis quondam colebatur, delato, ut fama erat, e Sumatra inſula ſemine. Ea vero quattuor plerumque cubitorum proceritatem attingebat: caule pro ſtirpis altitudine gracili, ac firmo, caneſcente lanugine veſtito. Folia e radice haud multa promebantur, eadem forma, ac in Symphyto tuberoſo, mollia, albo tomento obducta, longiſque pedunculis, quod fere alienum eſt ab hoc ſtirpium genere, ſuſtentata. Quæ autem frondes ſummæ ramorum parti floribus vacuæ inſidebant, eæ magna ex parte petiolis deſtituebantur, a reliquis non diſſimiles. Flores in ramos diſtributi eadem propemodum ratione apparebant, ac in Verbaſco illo vulgari, quod a Papaveris corniculati foliis nominatum eſt, ſex nempe, aut ſeptem ad eoſdem articulos, brevibus intervallis inter ſe diſtantes, conſociati, mollibus & hirſutis calycibus nixi. Flores ipſi erant perampli, lutei, & quinquepartiti, ſtaminibus aurei coloris intus poſitis; ſuavemque odorem fundebant, ut Leucoii lutei flores. De fructu, aut ſemine nihil in commentariis Auctoris ſcriptum invenimus; tantum perennem eſſe ſtirpem, ac diuturnæ vitæ.

Verbaſcum peregrinum, minus; perenne, & ramoſum.
Verbaſco di Sumatra Zan. Tab.

VERBENA URTICÆ FOLIO CANADENSIS.

CAnadenſis Verbena in hortis noſtris ad humanam aliquando altitudinem accedit. Radix illi multiplex eſt, copioſiſque inſtructa fibris, ex qua modo unicus, modo alter, ac tertius caulis erumpit, prope terram ex albo purpureus, reliqua ex parte viridis, quadratus, nodiſque haud ita frequentibus interciſus. Eorum ſingulis folia inſident gemina, e regione oppoſita, Verbenarum omnium, quas quidem noverimus ampliſſima, hirſuta, rugiſque aſpera, Urticæ foliis cum magnitudine paria, tum etiam figura, at nonnihil rotundiora, in ambitu dentata, vix unquam profundis ſinubus inciſa; ſi pauca excipias ad infimam ſtipitis partem, in quibus utrinque auricularum quædam ſpecies interdum deprehenditur. Frondes eædem in ſummis caulibus, ramiſque anguſtiores ſunt, faſtigium autem permultæ occupant ſpicæ, graciles, & incurvæ, ex multis floſculis gradatim ſe aperientibus conflatæ: eorum quiſque calyce exiguo nititur, eſtque albus, & quadripartitus, ut in Verbena vulgari: quo decidente bina in calycibus matureſcunt ſemina, longa & acuminata, lutei coloris. *Tab.* 175.

Perennis herba eſt hibernum apud nos frigus tolerans, quod complurium annorum uſus nos docuit. Zanonius hanc ſuis temporibus tum primum huc importatam, ut hieme recondi poſſet, in vaſis fictilibus educabat; quo etiam fiebat, ut brevior evaderet; neque enim cubito, & ſemiſſe altiorem a ſe conſpectam ſcriptis mandavit.

Verbena Urticæfolia, Canadenſis H. R. Pariſ. 183. *Tour. I. R. H.* 200.
Verbena Urticæ folio H. R. Bleſ. 321.
Verbena con foglie di Ortica, di Canadà Zan. Iſt. Bot. 203.

VIOLA MONTANA LATIFOLIA FLORES EX RADICE SEMINA IN CACUMINE GERENS.

Tab. 176. VIola hæc a Zanonio in ſylvis reperta eſt, juxta montem præſidii quondam nominatum; in quo Sanctiſſimæ Dei Genitricis imago a S. Luca, ut a Majoribus accepimus, depicta, ſumma a nobis colitur religione: locus tria millia fere abeſt a Civitate. Ibi etiam haud ſemel hanc ſtirpem vidimus, inque Hortum publicum inferri curavimus. Herbam ipſam ante Zanonii ætatem vix memoraverat quiſquam, niſi forte, ut Clariſſimus Dillenius arbitratus eſt, obſcuram illius mentionem Mauritius Hoffmannus intuliſſet. Dillenius ipſe noſtris temporibus primum in Giſſenſi Catalogo, deinde in Elthamenſi Horto copioſe hanc ſtirpem, accurateque pertractavit.

Radicem habet gracilem, modo albam, modo rubentem, aut fuſcam, multis fibris ſubnixam. Martio menſe pullulant folia pene rotunda, latis dentibus, ac retuſis in ambitu inciſa, Violæ Martiæ vulgaris frondibus conſimilia, at lætioris viriditatis, ac penitus glabra, ut ſunt Violæ caninæ folia. Flores eodem tempore cum foliis exoriuntur, ex quinque petalis conflati, ſimilitudine Violæ martiæ, nonnihil majores, pallenteſque, eodem colore, ac in Viola canina, & arboreſcente dicta. Flores iſti propriis e radice cauliculis efferuntur, iiſque fructus vel nunquam ſuccreſcunt, vel perraro. Profert autem non multo poſt ex eadem radice caules, ad palmarem altitudinem ſurgentes, binis terniſque in ſummo foliis inſtructos, inter quæ flores exiſtunt a ceteris diſſimiles, ex calyce tantum, ſtaminibus, apicibus, ac fructuum rudimentis compoſiti, petalis omnino deſtituti, ut ne florum quidem præſeferant ſpeciem: fructus vero ex his quam maxime fiunt grandiuſculi, tribus angulis retuſis circumſcripti, ſeminibuſque lævibus milio æqualibus pleni: maturitatem adepti, ſeminibus exilientibus, trifariam dividuntur.

Perennis herba eſt, ſed folia per hiemem amittit; neque ut martia Viola ſobole ad radicem propagatur. Zanonius autumno florentem ſe vidiſſe ait, id vero a nobis nunquam obſervatum eſt: quin etiam in Horto Bononienſi flores quos dixi-

mus

mus ſteriles, & coloratos raro profert; virides autem, petalis carentes, & fœcundos copioſiſſime.

In parte inferiori tabulæ flores delineati ſunt Violæ martiæ vulgaris, petalis fere æqualibus, & fimbria quadam exornatis inſtructi, quales Zanonio ſemel occurrerunt; neque dubitare poſſumus, quin hæc varietas caſui ſit aſcribenda.

Viola montana, latifolia, flores ex radice, ſemina in cacumine ferens Dill Cat. Plant. Giſſ. 56. H. Eltham. 408.
Viola montana, ananthes, ſtamine perpuſillo, luteo, cui capſula obtuſa triangula ſuccedit Maur. Hoffm. Fl. Altdorff. Delic. Hort. 63.
Viola alpina, apetalos, foliis rigidis, rotundis, amplis Rupp. Fl. Jen. 274.
Viola marzia montana Zan. Tab.

VIOLA MONTANA TRICOLOR ODORATISSIMA.

IN ſummis Apennini jugis Violæ hæc ſpecies perelegans naſcitur, flores modo luteos gignens, modo cæruleos, modo ex utroque colore, ac denique etiam ex albo varios. Ea minime ignota fuit ſuperioris ævi Botanicis, quorum plerique ob varietatem colorum, quam diximus, in duas ipſam ſpecies diſtribuerunt. Joannes Bauhinus, homo in his rebus ſumma intelligentia, unicam eſſe rectiſſime exiſtimavit. *Tab.* 177.

A Viola tricolore non multum diſſimili eſt habitu, perennis tamen vitæ, cum ea ſit annua, foliis anguſtis, confertis, minuſque dentatis inſtructa. Flores longis petiolis hærentes, grandiores ſunt, quam in reliquis violis, multiplici varietate colorum, ut diximus, ſpectabiles. Imagines hujus ſtirpis a Veteribus traditæ vix unquam longum illud calcar exprimunt, quod pleriſque floribus a tergo eſt: illud quidem non ſemper adeſt, ſæpiſſime tamen, cum in ea, quæ cæruleos flores, ac varios, tum in ea, quæ luteos gignit, a nobis obſervatum meminimus. In Zanoniana tabula ſcite admodum hæc Viola delineata eſt, floreſque cum iis, de quibus diximus, calcaribus repræſentati.

Frigidis locis, humidiſque gignitur, quibus aſſueta culturam in hortis per diuturnum tempus ferre nequit, ſed altero anno,

no, vel ad ſummum tertio, nullis editis floribus, extinguitur.

Viola montana tricolor, odoratiſſima C. B. Pin. 199. *Tour. I. R. H.* 420.
Viola montana, lutea, grandiflora C. B. Pin. 200. *Tour. I. R. H.* 420.
Viola montana tertia, ſive tricolor Cluſ. Hiſt. 310.
Jaceæ tricoloris, ſive floris tricoloris genus flore luteo, & purpureo magno, repens, non annuum J. B. III. 548.
Viola montana, cærulea, tricolor, folio ſubrotundo, crenato Barrel. Ic. 692.
Viola montana, lutea, ſubrotundo, crenato folio Barrel. Ic. 691.
Viola alpina di più colori Zan. Tab.

VITIS IDÆA FOLIIS OBLONGIS ALBICANTIBUS.

Tab. 178. IN Baldo Veronenſium monte Vitis Ideæ ſpecies gignitur, ab ea, quæ noſtrum Apenninum incolit, quæque anguloſa a Joanne Bauhino dicta eſt, multum diſcrepans: hanc vero etſi a multis delineatam, ac deſcriptam, nova imagine Zanonius repræſentari voluit, quod in reliquis Botanicorum tabulis haudquaquam flores expreſſi eſſent: florentem autem ipſe vidit in horto ſtirpem, quam ex Baldo deportaverat.

Palmarem non aſſequitur hæc Vitis Idæa altitudinem, lentiſque ſtipitibus, contortis, ac rubentibus nititur; qui productis fibris, & humo, ſi forte eam attigerint, defixi, novam ubique ſobolem fundunt. Porro autem ejuſmodi caules in multos ramos divaricati, flores primo explicant vere, in breves quodammodo ſpicas diſtributos, tumentes, globoſos, Lilii convallium, vel potius Arbuti floribus ſimiles, candidos, circa oram rubentibus notis conſperſos, in quibus nigri apices albis inſidentes ſtaminibus reconditi ſunt. His floribus integris, neque corruptis in terram decidentibus, baccæ totidem ſuccreſcunt; eodem etiam tempore, evolutis gemmis, frondes apparent, ſi forma ſpectetur Arbuti pariter conſimiles, at longe minores, neque ita ſolidæ, in ambitu tantum dentatæ, ac molliter hirſutæ, in averſa facie ex viridi albeſcentes: autumno priuſquam decidant earum color in

rubrum

rubrum commutatur. Baccas ex floribus gignit majuſculas, initio virides, poſtea rubentes, denique nigras, ſeminibus fœtas nonnihil auſteri, nec plane injucundi ſaporis. Eas porro ſe in locis natalibus Zanonius vidiſſe ait; neque enim in horto, editis floribus ſuperſtitem habuit.

Vitis Idæa foliis oblongis, albicantibus C. B. Pin. 470.
Vitis Idæa fructu nigro J. B. I. 519.
Vitis Idæa Cluſ. Hiſt. 61.
Uva d' Orſo di Galeno Zan. Tab.

ULBA INDIÆ ORIENTALIS.

ULbam ex ineptiſſimis illis Saladini Artafæ imaginibus Matthæus a S. Joſeph delineavit, addiditque hanc deſcriptionem. *Tab.* 118. *fig.* 3.

Ulba eſt radix, quaſi ſimilis Ireos, vel Acori, in extremitate dividitur; facit radices parvulas, circum foris eſt rubra obſcura, ſed intus rubicundiſſima, eſt grati odoris aromatici; habet folia longa, & parva; ſed emittit quattuor veluti cornua ſimilia illis Caſſiæ, ſed non ita magna, colore qui inter nigrum rubeſcit, & intus habet liquorem, vel paſtam teneram, quaſi ſimilem melli hiſpano, gratiſſimam guſtui, & ſuaviſſimam odoratui; eſt res potentiſſima. Illius virtus in quacunque infirmitate interna, vel externa; eſt antidotum ſecuriſſimum in peſte, & cunctis venenis: talis eſt ejus virtus, ut in priſtinum revocet unum, cui defecerint ſenſus: magni æſtimabatur ab eodem Domino.

In eadem tabula cum luteo Millefolio Ulbæ iſtius effigies habetur.

Ulba Indiæ Orientalis herba.
Ulba pianta Orientale Zan. Tab.

URTI-

URTICA MAXIMA RACEMOSA CANADENSIS.

Tab. 179. CAnadenſis Urtica, quam primus omnium in Bononienſes hortos intulit Zanonius, perennis herba eſt, radice multiplici, & contorta, in omnem partem fuſa, plurimiſque fibris humi defixa. Caules ex ipſa efferuntur cubito altiores, ſcriptorii calami craſſitudine, prope radicem teretes, deinde angulati, neque ita crebris articulis diſtincti. Folia ſingulis inſident ampla, quam in vulgari Urtica rotundiora, quod attinet ad formam conſimilia, nonnihil hirſuta & mollia, nulliſque aculeis infeſta, ut impune ea liceat contrectare. Auguſto menſe e ſummo erumpunt flores in racemos congeſti, ut in Urtica vulgari, minuti, virides, ac muſcoſi, quorum ſinguli, ſi quis eos attentius contempletur, quinquepartiti apparent, multiſque intus ſtaminibus pleni: his poſtea arefactis ſemina pene rotunda, compreſſa, membraniſque virentibus obvoluta matureſcunt. Non arbitror ſexus diſtinctionem in hac ſtirpe, ut in pleriſque Urticis haberi: cum flores ipſius conſideratius inſpicere in animo eſſet, haud mihi licuit facere, herba ipſa ſuperiori anno, quo obſervare inſtitueram perdita. De cetero frigoris vim non pertimeſcit, multiſque annis durat, ſi opaco fuerit, humidoque ſolo commiſſa.

Zanonius hanc ſtirpem peculiari deſcriptione complexus eſt, eandemque delineatam voluit; quod narratio tantum perbrevis, eaque non ſatis accurata, apud Moriſonum; effigies autem prorſus nulla iis temporibus extaret: quin etiam imagini, quam in Oxonienſi Hiſtoria pervulgavit poſtea idem ipſe Moriſonus, Zanoniana hæc tabula multum præſtat.

Urtica racemoſa, Canadenſis, H. Reg. Bleſ. 223.
Urtica Canadenſis, racemoſa, mitior, ſive minus urens Moriſ. Hiſt. Oxon. part. 3. *pag.* 434.
Urtica racemoſa, di Canadà Zan. Tab.

UTRICARIA VEGETABILIS ZEYLANENSIUM BANDURA CINGALENSIBUS DICTA.

DUæ ſunt Orientalis Indiæ ſtirpes ex commentariis Matthæi a S. Joſeph in ſuperiorem librum a Zanonio deſcriptæ, quarum alteram Phyllon Indicum mas, alteram vero fœminam nuncupavit; vetuſtis nominibus jam inde ab ipſo Dioſcoride, ac Theophraſto uſurpatis. Quæ de mare adnotavit Matthæus hæc ſunt. *Tab.* 180.

In Inſula Sailani verſus auſtrum reperitur planta, ſeu herba ſerpens ſuper terram, habens folia ſicut illa cujuſdam plantæ naſcentis juxta mare, in arenario, quæ vocatur pes capræ. Iſta planta turpe eſt dicere, quod genus fructus producat, qui lingua Luſitanica vocatur membrum virile, propter ipſiſſimam formam, & ſimilitudinem; ſed quia talis planta tenuis eſt ad ſuſtentandum talem fructum, qui ſuperat longitudinem palmi & amplius, junctis teſtibus, ceteriſque naturalibus, ſeu neceſſariis ad formandam membri virilis formam: antequam aperiatur capſula, ſeu locus in quo talis fructus producitur, emanant a pede fructus tres vel quattuor radices, quæ terræ defixæ poſſint deſervire ad ſuſtentandum talem fructum, eundemque ad talem magnitudinem pervenientem valeant alere, aut alimentum præbere.

Non paucas habeo conjecturas, quibus hanc ſtirpem haud uſquam a Matthæo conſpectam, ſed ex auditione tantum deſcriptam, ac delineatam affirmare poſſim: certe imago illa, quam reperi, dum ejuſdem commentarios pervolutarem, non omni ex parte a Zanonio in ſuas tabulas translata, nihil prorſus veriſimilitudinis habebat. Ceterum ejuſmodi erat, ut huic narrationi occaſionem præbuiſſe arbitrarer Utricariam illam, ſive Banduram Zeylanenſem a Plukenetio, & Hermanno, ceteriſque memoratam: erratumque tantum in eo eſſe, ut quæ frondium propria ſimilitudo erat, ea fructibus aſcriberetur.

De altera ſpecie Matthæus hæc habet *Tab.* 181.

Eſt & alia planta etiam inhoneſta, ſicut & iſta, quæ ſpeciem repræſentat fœmineam, habens folia ſicut Karambola, & floſculum itidem, eſtque frutex altitudine fere duorum aut trium cubitorum, repræſentans veneris immunda verenda.

Quod Karambolæ ſimilem eſſe hanc ſtirpem acceperit Matthæus,

thæus, ex ea videtur arbuſculæ nunquam a ſe obſervatæ imaginem effinxiſſe. Karambola autem Indiæ Orientalis arbor eſt minime ignota, eſculentis fructibus, quæ *Tamaratonga* in Horto Malabarico appellatur (*a*).

Ex his omnibus, ut opinor, perſpicuum eſt vix ullam iſtarum imaginum, ſeu deſcriptionum habendam rationem eſſe, eaſque omnes pro vanis fortaſſe, ac commentitiis repudiandas; in quibus ſi maxime veritas eluceret, tamen eas ſtirpes a Phyllis Antiquorum diſtinguendas putarem. Dioſcorides enim utrumque Phyllon ad hunc modum complexus eſt, haud fere quicquam a Theophraſto diſſentiens.

Phyllon, quod Elæophyllon vocant, in ſaxoſis naſcitur duum generum eſt. Quod autem Thelygonum appellant, uvas habet floribus Oleæ ſimiles, pallidiores tamen: foliis itidem Olivæ eſt, caule tenui, brevi, radice exili. Florem album profert, ſemen papaveris majuſculum. Sed Arrhenogonum, cetera huic ſimile, ſolo fructu diſtat; habet enim racemoſum quiddam deflorentibus Oleis non diſſimile. Arrhenogonon potu, maſculi ſexus facere partus, ut Thelygonon fœminei proditur. Horum Crateuas auctor eſt, ſed hujuſmodi hiſtoria tenus mihi produxiſſe viſum eſt (*b*).

Utricaria vegetabilis Zeylanenſium, Bandura Cingalenſibus dicta Pluk. Almag. 394. Phytog. tab. 237. fig. 3.

Foglio, ovvero Phillo maſchio Indiano Zan. Iſt. Bot. pag. 92. tab. 36.

Bandura Cingalenſium, Gentianæ Indicæ ſpecies Amm. Char. edit. 1701. pag. 287.

Badura planta Zeylanica, in foliorum extremo folliculum peniformem expanſum habens: priapus vegetabilis vulgo Herm. Muſ. Zeyl. 16.

Nepenthes Zeylanicum, flore minore, Breyn. Prod. edit. 1739. pag. 85.

Planta mirabilis deſtillatoria Grimmii in Miſcell. Nat. Curioſ. Ann. 1. Dec. 2. pag. 363.

Foglio, ovvero Phillo femmina Indiano Zan. pag. 92. tab. 37.

XV-

(*a*) *H. Malab. III. pag. 51.* (*b*) *Dioſcor. ex interpr. Ruell. Lib. 3. cap. 120.*

XYLON BRASILIANUM

BRaſilianum Xylon haudquaquam in his terris hiemis vim ſuperare poteſt: octavo tantum anno, & ſexageſimo ſuperioris ſæculi ad humanam pene altitudinem crevit. Caudicem habuit pollici digito æqualem, ex viriditate purpureum, minutis maculis, nigriſque reſperſum, ex quo copioſi rami, & patuli in omnem partem diffundebantur. Frondes ad ſingulos articulos exiſtebant multiformes, modo integræ ac pene rotundæ, modo tripartitæ, modo etiam in quinque partes diviſæ, ampliores quam in Goſſipio vulgari, Staphidiſagriæ, vel Platani ſpecie, læte virentes, pauca lanugine in averſa tantum parte obductæ. Flores nullos, fructuſque ante hiemem protulit, hiberno ut diximus frigore extinctum. Semina a Michaele Angelo Guattino acceperat Zanonius, ſeptena ſimul juncta, ea ſpecie quæ in tabula exprimitur, candida lanugine, ut in vulgari Xylo, obvoluta. Nonnulla ex his communicavit cum Joſepho Fornionio Imolenſi propinquo ſuo, cujus habuerat amitam in matrimonio, homine in cultura ſtirpium florumque exercitatiſſimo: nataque apud ipſum Imolæ arbuſcula procerior quidem evaſit, peræque autem extremo autumno nullis editis floribus contabuit. Narrabat Zanonio Stephanus Ravennas Capucinus, qui annos quattuordecim in Pernambucenſi regione vixerat, hanc ſtirpem in quinque, aut ſex ulnas aſſurgere, trunco humanum brachium exæquante, floreſque amplos gignere, campanæ ſimilitudine, quinquepartitos, flavi coloris: his deinde fructus ſuccreſcere candida lanugine, ac ſeminibus quæ antea deſcripſimus fœtos. Floris effigies, quam affert Zanonius, dupliciter vitioſa eſt, quod Convolvulo ſimillimum exprimat, quodque fructui extrinſecus impoſitum: utrumque a Goſſipii natura alieniſſimum. *Tab.* 182.

Goſſipii Braſiliani nomine hanc ſtirpem Joannes Bauhinus commemorat, ac de ea quoque Marcgravius, Piſo, & Lerius mentionem intulerunt. Lerii quidem verba hæc ſunt. *Arbores Bombacem ferentes abundant in Braſilia; mediocris ſunt altitudinis; flores campanulis ſimiles ferunt, luteos inſtar Cucurbitarum, vel Citrullorum. Fructus maturus accedit ad figuram Fagi, qui in*

quattuor etiam partes finditur. Bombax Cotton Americanis dictum Ameni-jou ex iis pendet, magnitudine parvarum pilarum, in medio grana nigra, simul arcte juncta renem exprimentia, fuba non crassiora, nec longiora. Hoc mulieres sylvestres colligunt, & filum ex eo parant pro suis lectis.

Semel noſtris etiam temporibus natum hoc Goſſipii genus, eundem quem Zanoniana ætate exitum habuit: an idem ſit cum Xylo arboreo Caſpari Bauhini dubitari poteſt.

Xylon Braſilianum J. B. I. 347.
Ameni-jou arbre portant le cotton de Lery. pag. 169.
Aminiiu Braſilienſibus, Luſitanis Algodon, & frutex Algodaon Goſſipium Marcgrav. 59.
Aminiiu, ſive Goſſipium Piſ. 186.
Bambagia di Pernambucco arborea Zan. Iſt. Bot. 40.
Goſſipium arboreum, ex Pernambuco Domini Zanoni Breyn. Prod. I. 37.
Goſſipium Braſilianum, flore flavo Herm. Prod. Parad. Bat. 337.

ZAMBUL ORIENTALIS INDIÆ ARBOR FOLIO ANGUSTIORI.

QUam Orientalis Indiæ populi *Zambul* arborem vocant, Corno mari affinem esse scribit Matthæus a S. Joseph. Zanonio magis etiam, quam vulgaris Cornus, Theophrasti descriptioni congruere visa est, ut eandem esse Cornum marem illius Auctoris suspicaretur. Ceterum, vel prorsus ignorasse hanc arborem Theophrastum verisimile est, vel si, ut alias quasdam Indiæ stirpes, notam habuisset, patriam ipsius præterituram non fuisse. Zambul quidem ita describitur. *Tab.* 183.

Zambul arbor satis magna, habet folia oblonga, plena, dura, nervosa, fructus producens ad instar Corni nostratis, coloris inter rubrum, vel sanguineum, & nigrum, suntque saporis acidi; ossa vero olivarum instar. Cortex contusa, & ex ea decoctio facta alvum sistit.

Zambul Orientalis Indiæ arbor, folio angustiori.
Zambul arbore Indiano, ovvero Corniolo maschio di Teofrasto Zan. Ist. Bot. 207.

ZAMBUL ORIENTALIS INDIÆ ARBOR LATIORE FOLIO

ZAmbul arboris altera est species, frondes habens latiores, magisque acuminatas; fructus olivis persimiles. Descriptionem illius in commentariis Matthæi a S. Joseph nullam prorsus invenimus. *Tab.* 184.

Zambul Orientalis Indiæ arbor, latiore folio.
Zambul secondo Zan. Tab.

ZINGIBER CYPERO COGNATA HERBA.

Tab. 118. *fig.* 2. ADjuncta eſt Millefolii lutei tabulæ Zingiberis effigies, ex quo radix depromitur Pharmacopolis notiſſima, crebroque tum in medicamentis, tum in ciborum condimentis uſurpata. Ceterum quæ ibi cernitur imago ex tabulis neſcio quibus Matthæi a S. Joſeph excepta, magnopere depravata eſt, & a vera hujus ſtirpis conformatione aliena. Appoſitam invenimus narrationem ad hunc modum ſcriptam.

Zingiber Chinenſe habet truncum quattuor circiter digitos longum; flos rubicundus, aliqualiter olens, multorum foliorum complicatorum, ad modum fructus Pini, floſculos continens, altum, rotundum, oblongum, in cujus medio eſt papilla, truncus eſt quaſi Lilii. Habet folia ut Arundo, ſed non tam oblonga, odore ejuſdem Zingiberis, multum multiplicata, dum radix ad maturitatem provenit exſiccantur folia; cum ſaccharo paratur Conſerva de Zingibere tenello & viridi, optima pro ſtomacho.

Zingiber Cypero cognata herba Cord. *Hiſt. Plant.* 203.
Mangaratia, ſive Zinziber. Piſ. 227.
Zinziber fœmina ejuſd. Mant. Arom. 190.
Inſchi, vel Inſchi-Kua, Ale Bramanibus H. *Malab.* XI. *pag.* 23.
Zingiber Rai. Hiſt. 1314.
Zenzero della China Zan. Tab.

Extre-

Extremæ hujus Operis Tabulæ brevis explicatio.

POſtquam ſtirpes omnes a Zanonio deſcriptas perſecuti ſumus, reliquum eſt ut explicationem illius tabulæ afferamus, quam in poſtrema univerſi operis parte extra ordinem collocavimus, nihil admodum, quo herbarum diſciplina illuſtrari poſſit, continentem. Eſt autem in ea forma quædam haud inelegans nidorum ex arbore pendentium expreſſa, quos Indiæ Orientalis volucres quædam fingere perhibentur, Pardales nominatæ. Matthæus a S. Joſeph Religioſus Carmelita Excalceatus, de quo ſæpiſſime mentionem fecimus, in commentariis ſuis memoriæ hæc prodidit (*a*). *Tab.* 185.

Artificioſiſſimi nidi ad arbores penſiles, & ad tecta domorum ſunt, quaſi tenuiſſimo ſerico texti, qui ex coccorum filis fabricantur: mas extra eſt, fœmina vero intus, operante roſtro: ex una parte eſt locus ſecurus, & fortius textus pro ovis, ex alia parte tuba longitudine duorum, vel trium palmorum, tam tenuis, ut perluceat; ex qua inferiori parte ſolum avibus patet ad nidum aditus, deſinens in filum tenue, ne aqua deſuper commoretur, altera camera intus eſt, ut maſculus locum habeat, dum fœmina fovet ova, & tam bene ſunt efformati, ut ruſtici ſumant aliquos magnos ad caput cooperiendum. In inſula Chirmandel, quia ibi non ſunt fila, ſive materia apta pro nidificando, aves in petris dant octo vel decem ova: roſtro illa confringunt, minutim componentes cortices cum ſubſtantia ovi, qua parum ad ſolem exſiccata, conſtruunt fortiſſimos nidos, & camerulæ pro unoquoque fiunt.

Haud multum ab ejuſmodi nidis diſſimilis ille eſt, qui in rerum naturalium theſauro Bononienſis Inſtituti ſcientiarum repoſitus aſſervatur, ex Palmarum itidem fibris contextus; figura autem non plane reſpondet. Quin etiam noſtro ſub cœlo avicula eſt, quæ nidos ex arboribus pendentes conſtruit: Remiz eam Poloni, noſtri homines aptiſſimo vocabulo *Pendulinum* nominant. Taliuſmodi nidos e Salicum, ac Populorum, ſive etiam Typharum lanugine confectos ſic deſcripſit Aldrovandus, ut

(*a*) *Zan. Iſt. Bot. pag.* 21.

ut eoſdem Pari caudati eſſe crederet; veram avem eorum fabricatricem ignoravit, quam nos in Bononienſium paludibus conquiſitam, ac inventam, ſeptimo idus Januarias primi anni, ac triceſimi hujus ſæculi Academiæ Inſtituti Scientiarum obtulimus, deſcriptione, & imagine in ejuſdem Tabulario relicta. Tunc etiam planum fecimus Pendulinum avem, etſi ad Paros accedat, quod roſtri figura declarat, tamen a Paro caudato magnopere diſtinguendam eſſe; multaque inſuper adjecimus, quibus nullam Pendulini apud Veteres imaginem, ac ne mentionem quidem, niſi confuſam extare comprobaremus. Sermonem autem, quem tum temporis habuimus, in ejuſdem Academiæ commentariis editum iri arbitramur.

APPEN-

APPENDIX.

QUod ab inchoata hujus Operis editione ad finem ejuſdem interceſſit ſpatium, novis animadverſionibus locum dedit, noviſque obſervationibus: paucas hic recenſebimus, vel ad emendationem eorum quæ dicta ſunt, vel ad explicationem neceſſarias.

In Vita Zanonii. pag. 1.

Bernardinum Zanonium Regienſem, qui Societatis Jeſu Sacerdos fuit, natum eſſe dixi anno 1533; non conſtat mihi utrum eo ipſo anno, an proximo; conjecturam enim ex eo cepi, quod Societati aſcriptus fuerit anno 1563, ætatis 30.

pag. 7.

Jacobus Roſpilioſius Cardinalis, cujus ipſi vidimus datas ad Zanonium literas, Clementis IX. P. M. non fratris nepos fuit, ſed fratris filius.

pag. 1 *Operis.*

Abſynthium ſcripſi, non *Abſinthium*, ſecutus eos qui ab incolis quondam Thraciæ *Abſynthiis* hanc vocem repetunt: V. Robertum Stephanum de Lat. & Græc. nom. Arb. &c. Sed hanc ſignificationem paucis probatam video; mallem igitur cum pleriſque *Abſinthium*.

pag. 7.

Michaelem Angelum Tillium ante paucos menſes mortuum poſui: id verum fuit quo tempore primæ hujus libri paginæ imprimebantur, jam biennium & amplius præteriit; mortuus eſt enim die 13 Martii anni 1740.

pag. 12.

De Acetoſa ſcutata, ac de hortenſi Romana, quaſi de duabus plantis egi ſeparatim: ſed ex cultura utriuſque certior ſum factus eas inter ſe non differre ut ſpecies, hortenſiſque Romanæ amplitudinem a ſolo pinguiori repetendam eſſe.

pag. 41.

Petrum Natum Piſani Horti Præfectum Forovibienſem fuiſſe affirmat Seguierius in Bibliotheca Botanica. Ego hujus Viri patriam Florentiam dixi, quod ex epiſtolis quibuſdam ab eo ad Zanonium datis colligi videbatur; ſed fieri potuit ut erraverim in conjectura: diuturnum certe domicilium, ſi minus

originem, Florentiæ habuit; profectus inde ad Hortum Piſanum, ut eſſet ſucceſſor Thomæ Belluccii Piſtorienſis, quem anno 1671 conſtat eſſe mortuum.

pag. 47.

Betulam pumilam a Zanonio deſcriptam eandem eſſe ac vulgarem certo mihi videor comperiſſe.

pag. 50.

Bignoniæ tetraphyllæ ſiliquas vidi anno præterito Bononiæ maturas: graciles erant, nonnihil compreſſæ, palmari circiter longitudine, ſeminibus fœtæ tenuibus, utrinque alatis, ut in reliquis Bignoniis.

pag. 54.

Buebendæ nomen in Tabula nullum eſt, quod in veteri tamen Italica editione non deeſt: ſed quod eſſet hæc Tabula ceteris nonnihil longior, inferior illius pars, qua continebatur nomen, reſecta fuerat juſſu Auctoris: neque hoc vitium ante impreſſionem Tabularum animadverſum eſt.

pag. 110.

Ramulum ſiccum Zanonianæ Euphraſiæ nactus ſum, in quo dentata non apparent folia, flores autem ita contracti ſunt, ut eorum figura ſatis diſtincte cognoſci nequeat. Hoc ſi forte evenit Fabio Columnæ, qui Euphraſiam ſuam exſiccatam & ipſe vidit, non mirum quod Linifoliam dixerit, & a naturali forma alienam delineaverit. Poteſt igitur Plukenetii ſententia vera eſſe, qui Euphraſiam Linifoliam Columnæ ab ea quæ foliis tricuſpidatis eſt non diſtinguendam putat.

pag. 120.

Gentiana etiam obſoleto flore a Zanonio delineata cum purpurea majore Cluſii convenire videtur prorſus: recentiſſimæ obſervationes in hac me ſententia confirmarunt.

pag. 130.

Jacea vel Serratula Zanoniana palmaris quidem eſt aut bipalmaris in montibus, in hortis etiam cubitalis aut major; ubique tamen longe humilior Serratula vulgari.

pag. 178.

Phlomidis Narbonenſis flores purpurei coloris ſunt, extrinſecus hirſuti, ac nonnihil albeſcentes.

pag. 185.

In Tabula Poincianæ, quum locus vacuus ſupereſſet, florem hujus plantæ incidi curavimus, in libello Matthæi a S. Joſeph

Rate-

Rategal nomine delineatum: idem eſt qui magis etiam depravatus exprimitur in Tabula 154, & 155.

pag. 204.

Brevitatis ſtudio omiſi quæ de Seſamo dicere inſtitueram: V. pag. 137. Seſamum Veterum non eſſe diverſum a Seſamo vulgari ex variis Theophraſti locis colligitur, qui ſimul omnes legi poſſunt in continuam ſeriem diſpoſiti a Cæſare Odono. V. Odon. in Theophr. pag. 116.

pag. 209.

Stachys Cretica, quam in hortis colimus, haud plane congruere videtur cum Zanoniana, quippe magis hirſuta eſt, ac tomentoſa, raroque margines habet foliorum circumroſos. Si duæ fuerint ſpecies, incertum relinquitur quid ſentiendum ſit de Zanoniana.

pag. 221, & *pag.* 199.

Inter cetera ſynonyma Tithymali montis S. Juliani, & Scabioſæ flore conglobato nomen Italicum Zanonianæ Tabulæ ponendum eſt, utrobique caſu prætermiſſum. Sunt etiam paucæ quædam Tabulæ, quæ numeris ad marginem deſcriptionum poſitis non reſpondent: nempe Tabula 51, 52, & 67, figuræque aliquot in Tabula 154, 155, & 167; verum ex indice Tabularum in fine Operis deſcribendo confuſio omnis facile tolletur.

Reliqua errata verborum, literarum, interpunctionum, quæ partim ſcribendi feſtinatione, partim typorum vitio imprudentibus nobis invitiſque exciderunt, Lectorem rogamus, ut ſua æquanimitate benignus condonet. Nos ea, quæ plane manifeſta ſunt, & ex quibus proclivior lapſus, aut gravior offenſio metui poteſt, in extrema Voluminis pagina cum ſuis emendationibus de more collegimus.

Vidit D. Paulus Philippus Premoli Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro SS. D. N. Benedicto XIV Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 26 Januarii 1741.

IMPRIMATUR

F. Thomas Maria de Angelis Inquiſitor Generalis S. Officii Bononiæ.

	Pag.	Lin.	Errata.	Emendationes.
In Epiſt. dedic.	2.	18.	cæpiſti	lege cœpiſti. Et ſic aliis in locis.
	5.	17.	accomodatiſſimus	l. accommodatiſſimus. Et ſic ubique.
In Vita Zanonii	1.	19.	ditiones	l. ditionis.
	10.	32.	Bartholomeus	l. Bartholomæus.
In Præfat.	1.	29.	*ſuppellectilem*	l. *ſupellectilem*. Et ſic p. VI. l. 31.
	4.	17.	*Hyerichuntide*	l. *Hierichuntide*.
In Opere	8.	30.	Appenini	l. Apennini. Et ſic alibi.
	15.	4.	etiamſi	l. etiamſi cum.
	16.	29.	Pharmacopæus	l. Pharmacopœus. Et forte alibi.
	44.	25.	Ex hoc	l. Ex hoc ceſpite.
	49.	29.	ſarmentorum	l. ſutculorum.
	50.	2.	acuminata	l. acuminatæ.
		3.	ſinuoſa ac veluti auriculata	l. ſinuoſæ ac veluti auriculatæ.
		10.	) earum	l. eorum.
	58.	9.		
	59.	30.	eæ	l. ea.
	61.	7.	radicem eſſe	l. radicem ait eſſe.
	77.	6. & 27.	Jacobeæ	l. Jacobææ. Et ſic pag. 133.
	80.	14. & 30.	Altheæ	l. Althææ. Et ſic pag. 82.
	84.	27.	, ſed longe minores	l. ; ſed longe minora.
	100.	28.	ortus	l. orta.
	105.	8.	ut flores bifidi	l. ut flores cum petalis bifidi.
	115.	24.	definitione, alteri	l. definitione poſuit, & alteri.
	124.	33.	Heſperidem	l. Heſperis.
	129.	37.	ſolida ſint ac ſubaſpera	l. ſolidæ ſint ac ſubaſperæ.
	153.	8.	Boerahavius	l. Boerhaavius. Et ſic ubique.
	155.	5.	ea	l. eam.
	161.	18.	quique	l. quæque.
	174.	30.	*follis*	l. *foliis*.
	181.	32.	Fructus	l. Fructuum.
	183.	ult.	Thymeleæ	l. Thymelææ. Et ſic pag. 215.
	186.	21.	acces	l. acce-
		23.	pauci-	l. paucis.
	194.	26.	eorum	l. earum.
	201.	10.	foliis	l. frondibus.
		16.	nonnichil	l. nonnihil.
	209.	32.	tales	l. talia.
	211.	12.	, at longe minores	l. ; at longe minora
	213.	5.	præditos	l. præditi.
	218.	20.	florem	l. flores.
	230.	16.	Ideæ	l. Idææ.

INDEX PLANTARUM

SECUNDUM ITALICA TABULARUM NOMINA.

	pag.	Tab.
Abrotano femmina di ſeconda, e terza ſpezie.	190	144
Abrotano femmina falſo Indiano.	196	148
Abrotano femmina vero di Dioſcoride.	188	143
Abrotano maſchio vero di Dioſcoride.	4	2
Acetoſa Alpina ſerpeggiante.	11	7
Acetoſa dentata perpetua di Tanger.	10	6
Acetoſa di Raguſa.	6	3
Acetoſa Romana ortenſe.	12	8
Acetoſa ſagittata alpina.	9	5
Acetoſa tubercolata con panicola ſparſa.	8	4
Akaſond ovvero Akſon arbore.	13	9
Aladiul.	87	14
Albu.	112	14
Alſine alpina con foglie di Anagallide prima.	14	10
Alſine alpina ſeconda.	15	10
Alſine alpina terza.	16	10
Alſine ovvero Orecchia di topo alpina maggiore.	201	151
Ambutua legno.	62	41
Anta ovvero Atta arbore.	164	124
Arbore dove pendono nidi d' Uccelli Indiani.	239	185
Archam arbore Indiano.	21	14
Ardabar pianta Orientale.	26	23
Arna ovvero Ana Vareca.	24	16
Aro Orientale.	27	173
Artemiſia variegata.	24	17
Arti ovvero Aldum dell' Iſola di Solor.	25	18
Aſſenzio Serifio vero di Dioſcoride.	4	1
Aſſitra ovvero Arbore di S. Tommaſo.	33	20
Aſtero aizooide.	157	116
Aſtero annuo odorato di Candia.	39	24
Aſtero di Raguſa con foglie di Verbaſco.	35	21
Aſtero di Virginia.	36	22
Bacchion arbore Orientale.	43	27
Bakeli arbore Orientale.	43	28
Bambagia arborea di Pernambuco.	236	182
Bettonica alpina ſerpeggiante.	46	30
Betula alpina Bologneſe.	48	31
Biaga pianta Orientale.	48	99
Blattaria di Dalmazia annua.	51	34
Bonduc frutice Indiano.	53	35
Borragine murale con fiore odorato di Candia.	55	37
Borragine ſilveſtre annua di Candia.	56	38
Borragine ſilveſtre di Candia con fior roſſo cremeſino.	58	39
Botri Americano.	76	50
Braba di Dioſcoride.	23	15
Buebenda pianta Orientale.	54	36
Bulilla.	59	81
Bupleuro alpino perenne anguſtifoglio.	60	40
Butua ovvero Brutua.	62	41
Canna fiſſa di Plinio.	29	19
Canna fiſſa di Ravenna.	32	19
Canna Indiana arborea.	41	26
Canna viva del Perù.	31	19
Carda arbore Indiano.	64	183
Cardamina alpina paluſtre ſerpeggiante.	67	45
Cardilla.	67	26
Cardo con foglia di Leucoio peregrino.	68	46
Cece Indiano arboreo perpetuo.	28	13
Ciano con foglie dentato alpino.	89	61
Ciano con foglie intiere alpino, e caule alato.	88	60
Ciano Perſiano odorato maggiore.	91	62
Cicoria annua di Candia fetida.	127	89
Citiſo di Candia purpureo.	91	63
Citiſo umbellato.	92	64
Clematide tetrafilla Americana.	50	33

	Pag.	Tab.
Colutea Scorpioide ovvero Endico Africano.	18	12
Condrilla di Ragusa serpeggiante.	209	160
Coronopo di spica multiplice alpino.	184	140
Crisantemo acquatico di Pernambuco.	49	32
Crisantemo con caule alato di Candia.	86	58
Crisantemo di Candia annuo con fiore di due colori.	77	52
Crisantemo perpetuo Cretico.	78	51
Crisocome di Dioscoride.	102	71
Curcuma vera o Cipero Indiano di Dioscoride.	87	59
Datura di Coccino spinosissima.	212	162
Dauco con foglia di Pastinaca Siciliano.	171	128
Dauco con foglia di Sofia Siciliano.	71	48
Digitale Indiano.	99	69
Dissaco grande Indiano.	98	68
Doronico con foglia di Bistorta.	134	97
Ebulo di Candia con foglie incise.	101	70
Eringio vero di Dioscoride.	107	74
Erismo vero di Dioscoride.	109	75
Eruca alpina serpeggiante.	105	73
Eruca Indiana con foglie di Tanaceto.	104	72
Eruca Persiana con foglie intiere.	126	88
Eufragia con radice squamata.	225	172
Eufragia saffatile con foglie larghe lanceolate.	111	76
Fagiuolo primo di Pernambuco.	177	134
Falangio di Virginia con foglie larghe.	80	53
Felce del Congo arbore.	198	149
Felce dell'America con faccia d'Osmunda.	175	132
Fico dell' Indie Orientali.	111	77
Fragaria arborea con fiore erbaceo.	115	78
Fragaria Inglese con fiore mezzo pieno.	113	78
Fulfel.	117	154
Garofano Indiano velenoso.	69	167
Genziana maggiore con fior odorato alpina.	121	82
Giassoan pianta Orientale.	136	99
Giglio con fiore fogliosо piramidale.	143	105
Ginestra arborea di Candia con foglie perpetue.	45	29
Ginteghinta arbore Indiano.	122	83
Globularia serpeggiante alpina.	123	84
Helenio maggiore di Virginia.	84	56
Helenio minore di Virginia.	85	57
Heliantemo di Ragusa.	124	85
Heliocriso vero di Dioscoride.	159	118
Helxine Cissampelo di Dioscoride.	82	54
Jacca arbore Indiano.	128	90 91
Jacea con capo spinoso annua di Persia.	133	96
Jacea di Candia.	64	42 43
Jacea di Portogallo perpetua.	130	93
Jacea incana di Ragusa.	129	92
Jacea serpeggiante con fiore triplicato.	132	95
Igli d'Ende terra dell'Isola di Solor.	134	98
Kanadi.	135	81
Karante pianta Orientale.	135	100
Keiri con foglie dentate alpino.	125	86
Keiri con foglie non dentate alpino.	125	87
Lamba arbore Indiano.	138	36
Lamio fruticoso senza macchie di Candia.	118	80
Leandro fruttifero di Candia fetido maggiore.	216	166
Leandro fruttifero minore fetido di Candia.	217	167
Legume della bassa Etiopia.	186	141
Legume odoroso di Pernambuco.	70	47
Lepidio di Dioscoride.	141	103
Licnide di Portogallo annua.	151	111
Licnide viscosa peregrina odorata nottiflora.	148	109
Licnide umbellifera.	150	110
Linaria fruticosa di Ragusa odorata.	144	106
Linaria Siciliana.	145	34
Lino silvestre di Capugnano.	146	107
Lino silvestre racemoso.	146	34
Lischia arbore Indiano.	147	108
Liubra frutice Orientale	147	75
Malva annua di Pernambuco.	154	114
Malva con foglie di Bettonica.	152	112
Malva di Ragusa.	153	113
Matipou ovvero Arbore malenconico.	155	115
Miagro Arabico detto Rosa di Gierico.	168	125
Miagro dell'Egitto detto impropriamente Sesamo.	205	125

	Pag.	Tab.
Miagro degli Antichi ſecondo alcuni Moderni.	166	125
Miagro di Sumatra.	169	126
Mioſota ovvero Alſine paluſtre ſerpeggiante.	97	67
Mimoſa di Jamaica detta di Padova.	162	(121 (122
Mimoſa ovvero Erba viva, o Senſitiva ſpinoſa di Pernambuco.	160	(119 (120
Mimoſa ſpuria di Pernambuco.	163	123
Mirride latticinoſa con radice di Rafano.	170	127
Nattonga arbore Indiano.	173	130
Nellikka.	174	131
Nerio peloſo con foglia di Serpillo.	139	102
Orecchia di topo alpina minore.	201	152
Othonna vera di Dioſcoride.	74	49
Palma Indiana detta da Portogheſi Birli.	176	133
Parcol arbore Indiano.	176	36
Pepe Indiano velenoſo.	184	167
Phillo maſchio Indiano.	234	180
Phillo ovvero Foglio femmina Indiano.	234	181
Pimpal arbore Indiano.	179	136
Pimpinella maggiore di Canadà.	181	137
Pimpinella minore di Canadà.	182	138
Pimpinella odorata.	183	139
Pinxevi.	183	165
Prunella con foglie di Sinfitopetreo.	194	146
Quadrifoglio annuo di Perſia.	116	79
Ramba.	190	154
Ratdegal.	186	154
Romphal pianta Orientale.	99	23
Rubia ſilveſtre aſpera.	193	145
Rumbera arbore Indiano.	191	183
Salice ſerpeggiante di foglia larga.	195	147
Scabioſa ſenza caule alpina.	199	150
Securidaca di Salamanca.	40	25
Sempreviuo di più cauli alpino.	202	153
Serpentaria Orientale.	100	173
Serpillo con foglie di Satureja minore.	204	156
Serratula alpina con foglie laciniate.	131	94
Seſamo annuo.	138	101
Seſamo Indiano perpetuo.	95	66
Siderite di Candia con odore di bitume.	120	81
Siderite odorata di Perſia.	179	135
Siler frutice vero di Plinio.	158	117
Siſaro vero di Dioſcoride.	143	104
Siſembro alpino paluſtre di foglia rotonda.	66	44
Solatro pomifero non ſpinoſo.	207	158
Solatro pomifero ſpinoſo.	206	157
Stachi di Candia.	210	161
Stipſdanti arbore Orientale.	191	75
Tanaceto alpeſtre.	187	142
Teucrio ramoſo Italiano.	213	163
Titimalo del monte di S. Giuliano.	221	171
Titimalo di Candia con foglia d' Alipo.	220	170
Titimalo di Perſia con foglia di Lino.	218	169
Titimalo di Cicilia con caule tuberoſo.	219	168
Tlaſpi di Ragusa.	214	164
Tlaſpi fruticoſo di Perſia con foglia di Keiri.	215	165
Tlaſpi murale Piſano con foglie di Serpillo.	17	11
Tlaſpi vero di Dioſcoride primo.	173	129
Toppi.	223	165
Toſſunda pianta Indiana.	203	154 155
Totta vari.	223	131
Trifoglio ſaſſatile glutinoſo.	94	65
Tulipano di fior pieno.	226	173
Turbit vero e legittimo.	83	55
Verbaſco di Sumatra.	226	174
Verbena con foglie d' Ortica.	227	175
Viola alpina di più colori.	230	177
Viola marzia montana.	229	176
Virga aurea Virginiana annua	37	23
Ulba pianta Orientale.	231	118
Urtica racemoſa di Canadà.	232	179
Uva d' Orſo di Galeno.	231	178
Zambal.	207	26
Zambal ovvero Ringhini ſecondo.	208	159
Zambul arbore Orientale.	237	183
Zambul ſecondo	237	184
Zenzero della China.	238	118

FINIS.

I



Assenzo Seriphio *Vero di Dioscoride*

Artemisia Santonicum · Lin.

2 Abrotano maschio uero di Dioscoride



eadem Planta ac 12. 1.

Rumex acetosus. L.

Acetosa di Ragusa

4



5

6

Acetosa dentata perpetua di Tanger

Rumex Acetosa. var β.

7

Acetosa Alpina Serpeggiante

Rumex Scutatus · L.

8

Acetosa Romana Ortense

Verbena Aloysiae L.




Alsine Alpina con foglia
d'Anagalide prima
1
3
2
Alsine Alpina terza
Alsine Alpina seconda



Thlaspi murale Pisano con foglie di Serpillo

an Indigofera glabra . ?

12



Colutea scorpioide ouero Endico Africano

Cnonis Inuticosa. L.

13

Cece Indiano Arboreo perpetuo

Desunt Stipulæ vaginantes quadrianulatæ.


1
2
3
Aladiul
Archam Arbore
Indiano
Alhu

Cochlearia armoracia.



Arnà ouero Ana Vareca

Artemisia vulgaris · β · variegata ·

17 *Artemisia Variegata*



Videtur Asclepiadis vel Apocyni Sp:


1
Canna uiua del Perù
2
Canna Fissa di Plinio
3
Canna Fissa di Rauenna

Assitua oüero Arbore di S. Tomaso

Bauhinia variegata Linn.

Astero di Ragusa *con foglia di Verbasco*



Astero di Virginia


2

Romphal pianta
Orientale


1

Virga Aurea Virginiana annua


3

Ardabar pianta
Orientale

24

Astero annuo odorato
di Candia

25



Securidaca di *Salamanca*

Canna Indiana Arborea



Bacchion Arbore Orientale



Bakeli Arbore Orientale



Genestra arborea di Candia con foglie perpetue

30

Betonica Alpina
serpeggiante



Betula Alpina Bononien.



Chrisanthemo aquatico di Pernambuco

Bignonia capreolata · L.

33



Clematide Thetraphila Americana

Blataria di Dalmatia annua



Lino Silᵉ racemoso

Linaria Italiana

35



Bonduc Frutice Indiano


30
2
1
3
Parcol Arbore
Indiano
Lamba Arbore
Indiano

37

Boragine murale con fior odorato di Candia

38

Boragine Sil.re anua di Candia

39

Boragine Silᵉ. di Candia con fior rosso Cremesino

Bupleuro Alpino Perenne Anguſtifogiio



41



• Centaurea romana. L.

42



Jacea di Candia con la Radice

43

Iacea di Candia Ramo fiorito



Sisembro Alpino palustre *di foglia rotonda*

45



Cardamina Alpina palustre serpeggiante

Cardo con foglia di
Leucoio peregrino

47

Cassia obtusifolia - Lin:



Legume odorato di Pernambuco

Athamanta Sicula. Lin:

48 Dauco con foglie di Suphia Siciliano Fl: albi:



Chelidonium majus L.



NB. Ce n'est absolument que la variété de la grande Chelidoine appellée par C. B. Chelidonium majus foliis quernis.

Chenopodium ambrosioides · a ·

50

Botri Americano

51

Chrisanthemo perpetuo Cretico.





Chrisanthemo di Candia annuo con fiore di duoi colori



Falangio di Virginia con foglie larghe

Convolvulus althæoides. L.

54

Helxine Cissampelo di Dioscoride

55

Turbit uero e leggitimo



50



Helenio magg.re
di
Virginia

57



Helenio minore
di Virginia

58

Chrisanthemo con caule alato di Canadà

59 *Curcuma vera o Cipero Indiano di Dioscoride*

Ciano con foglie intiere Alpino è caule allato

61

Ciano con foglie dentate Alpino



Ciano Persiano, odorato maggiore

63

Citiso di Candia purpureo, Pianta con il fiore

Citiſo Umbellato



65



Trifoglio sassatile glutinoso


Sesamo Indiano
perpetuo

Myosota ouero Alsine palustre serpegiante



Dipsaco grande Indiano


Digitale
Indiana



Ebulo di Candia, con foglie incise

71



Crisocome di Dioscoride



Eruca Indiana con foglie di Tanaceto



Eruca Alpina serpeggiante



Eringio uero di Dioscoride



Erismo uero di Dioscoride

Sisymbrium Iuia. Lin.

Euphrasia tricuspidata . f.



Eufragia Sassatile con foglie
larghe lanceolate

Fico dell' Indie Orientali



2 Fragaria Arborea

3 con fiore herbaceo

79



Quadrifoglio annuo di Persia

Prasium majus.

80



Lamio fruticoso senza macchie di Candia

Siderite di Candia con odor di Bitume



Gentiana purpurea . L.

82

Gentiana maggiore con fiore odorato Alpina

Ginteghinta Arbore Indiano



Globularia Repentante Alpina

Helianthemo di Ragusa

Keiri con foglie dentate Alpino

87

Keiri con foglie non dentate Alpino



Eruca Persiana con foglie intiere

Cicoria annua di Candia fetida.

Iacca Arbore Indiano

Iacca Tronco e fruto



92

Jacea incana di Ragusa

4.

Iacea di Portugallo perpetua

94

Serratula Alpina *con foglie laciniate*

Iacea Serpeggiante con Fiore triplicato



96

Iacea con capo spinoso annua di Persia 1.

97



Doronico con foglie di Bistorta

Igli d'Ende Terra dell'
Isola di Solor.

99



Karante Pianta Orientale



Coix Lacrima Jobi. L.



Sesamo annuo.



Nerio peloso con foglia di Serpillo



Lepidio di Dioscoride



Sisaro uero di Dioscoride



Giglio con fiore fogliosо piramidale

Linaria frutticosa di Ragusa odorata



Lino silre di Capognano

Variety of the Lechuca.

Lischia Arbore-
Indiano.



Lichnide uiscosa pereg.ª noctiflora odorata

Agrostemma Flos Jovis. L.

Licnide Vmbellifora in Helvetia.

III

Licnide di Portugalo Annua.



Malua con foglie di Betonica



Malua di Ragusa

114



Malua annua di Pernambuco

Matipou ouero Arbore Malenconico


Astero
Aizoide



Siler frutice uero di Plinio



Heliochriso uero di Dioscoride.

Mimosa casta?



Mimosa, ouero Herba Viua, o Sensitiua Spinosa di Pernambuco

Mimosa casta ?

120



Ramo al naturale della Mimosa spinosa


Mimosa di detta di
Iamaica Padoa

Ramo fiorito della Mimosa di Iamaica

123



Mimosa spuria di Pernambuco



Anta ouero atta Arbore

Anastatica hierochuntica.

125

Miagro delli Antichi.
Sec.° Alcuni Moderni

126



Miagro di Sumatra



Mirrhide laticinosa con radice di Raphano



Dauco con foglia di Pastinaca Siciliano

Sium Siculum. Lin:

Lepidium perfoliatum. L.

129 *Thlaspi uero di Dioscoride primo.*



Natongha Arbore Iridiano



1
2
Nellika
Totta Vari



Felce dell'America con faccia d'osmunda

Palma Indiana detta
da Portugesi Birli



Fagiuolo primo di Pernambuco



Siderite odorata di Persia

Pimpal Arbore Indiano



137



Pimpinella maggiore di Canadà.

Pimpinella minore di Canada



Pimpinella odorata



Coronopo di spica multiplice Alpino

Legume della bassa Hetiopia



142



Tanaceto Alpestre

143



Abrotano femina uero di Dioscoride



Abrotano femina di seconda
e terza specie



Rubia Siluestre Aspera



Prunella con foglia di Sinfito Petreo

147



Salice serpeggiante di foglia larga



Abrotono fem.a falso Indiano

149

Felce del Congo Arbore

Scabiosa senza caule Alpina

151

Alsine cuero

Orecchia di topo Alpina Maggiore

152 *Orecchia di topo Alpina minore.*

153



Sempreuiuo di piu cauli Alpino


2
Ratdegal
1
3
fiore del Ra
thegal
4
5
Fulfel
Ramba


fiore del Ratdegal
Ratdegal foglie
I
2
Tosunda
p.a Indiana
3
Ramba Arb. Indiano
Falfel Arb. Indiano



Serpillo con foglie di Satureia minore.



Solatro Pomifero Spinoso

158



Solatro Pomifero non spinoso

159

Zambal ouero Ringhini secodo.



Codrilla di Ragusa
serpeggiante

Stachi di Candia

Datura. [illegible]

162



Datura di Coccino spinosissima



Teucrio ramo-so Italiano

Thlaspi di Ragusa



Thlaspio fruticoso
di Persia
con foglia di Keiri

Pinxeui

Toppì

166



Leandro fruttifero di Candia fetido mag.e

Leandro frutifero minore fetido di Candia





Tithimalo di Cicilia con caule tuberoso



Tithimalo di Persia con foglie di Lino



Tithimalo di Candia con foglia d Alipo.



Tithimalo del Monte di S. Giuliano

Lozzia alpina Lin:



Eufragia con radice Squamata

173


Aro Orientale
2
Tulipano di fior pieno
1
Serpentaria Orientale
3

174 *Verbasco di Sumatra*



175



Verbena con foglie d'Ortica

Viola martia Montana.

Viola calcarata var β. Hall.

177 *Viola Alpina di piú Colori*

Vuà d'Orso di Galeno



Ortica racemosa di Canadà



Phillò maschio Indiano



Phillo ouero Foglio

Femina Indiano

182

Bambagia Arborea

di Pernambuco

Zambul Arbore Orientale



Rumbera Arbore Indiano

Carda Arbore Indiano

184

Zambul secondo



Arbore doue pendono
Nidi d Vccelli Ind.

fQX
Z1
Z33
1742
RB
Zanoni, G.
Jacobi Zanonii
Rariorum stirpium
historia
1742



SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 00669 1737